




**Ex Actis Synodicis et Aliis Diligenter et Fideliter Collecta  
Expositio Eorum, : Quae Theologi Academiae Witebergensis &  
harum Regionum alii, qui his adiuncti fuerunt, in  
deliberationibus Provincialibus & alioquin extra has, de rebus  
ad Religionem pertinentibus, monuerint, suaserint, docuerint,  
responderint, concesserint, illo tempore, quo & de his ipsis, &  
de libro Augustano, qui nominatur Interim, qualis esset,  
quaesitum fuit & tractatum. ; Et Edita de Sententia  
Professorum Academiae Witebergensis.**

<https://hdl.handle.net/1874/423666>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**


**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board


E. qu.  
83



40

b









dm̄i predicare dm̄

Om̄e t̄errenū aduertiū se diuini non habet. & q̄ dixit

N. S. C.

n<sup>o</sup>. 40. b.

EX ACTIS SYNODICIS ET ALIIS  
DILIGENTER ET FIDEL-  
TER COLLECTA

## EXPOSITIO

EORVM, QUÆ THEO-  
LOGI ACADEMIÆ VVITEBER-  
gensis & harum Regionum alij, qui his adiuncti fue-  
runt, in deliberationibus Prouincialibus & alioquin ex-  
tra has, de rebus ad Religionem pertinentibus, monue-  
rint, suaserint, docuerint, responderint, concesserint,  
illo tempore, quo & de his ipsis, & de libro Au-  
gustano, qui nominatur INTERIM,  
qualis esset, quaesitum fuit &  
tractatum.

*Ex donat. bib. a. Kiesel*

ET EDITA DE SENTENTIA  
Professorum Academiae VVite-  
bergensis.

VVITEBERGÆ EXCVDE-  
bant Hæredes Georgij  
Rbau.

ANNO M. D. LIX.



EX AMPLISSIMO ET AMPLISSIMO  
DIGNISSIMO ET AMPLISSIMO  
TER COLLECTA

EXPOSITIO

FORVM, QVAE TITULO

LOGI ACADEMIE WRATIBURGENSIS

INSTITUTIONE ET STATUTIS

INSTITUTIONE ET STATUTIS

INSTITUTIONE ET STATUTIS

INSTITUTIONE ET STATUTIS

INSTITUTIONE ET STATUTIS

INSTITUTIONE ET STATUTIS

INSTITUTIONE ET STATUTIS

*Handwritten note:* In nomine domini Amen

ET FORVM DE SENECTORIA

INSTITUTIONE ET STATUTIS

INSTITUTIONE ET STATUTIS

WRATIBURGENSIS EXCELSAE

INSTITUTIONE ET STATUTIS

INSTITUTIONE ET STATUTIS

ANNO MDCCLIX





## XPOSITVRIS NO.

bis Historiam earum delibera-  
tionum, de quibus in suspicio-  
nem adductis & infamatis,  
Flacius Illyricus totis annis de-  
cem capitales instituit accusati-  
ones, & Theologorum Acade-  
miæ nostræ, & ipsius Acade-  
miæ, & vniuersim Ecclesiarum in his terris: Visum fuit  
operæ precium initio paulò altius repetitis exordys causæ,  
summatim tamen, commemorare tum quæ fuerint occasi-  
ones præbite à nobis tam diris & turbulentis vociferatio-  
nibus, & molitionibus tam insidiosis, crudelibus & ma-  
litiosis, qualibus eum vsum esse, & adhuc vti palàm est,  
tum qui conatus fuerint, quæ studia vtrorunq; eo tempo-  
re, quidque præstitum sit effectumq; vtrinq; ab vtrisq;, &  
quare scriptionum velitationibus ac recriminationibus  
cum Flacio contendere nostri atq; conflictari nec debue-  
rint nec voluerint. Vtrunq; enim ostendendum est poste-  
ritati, & quam nauarint nostri publicè operam Ecclesijs  
coniunctis Augustanæ confessionis professione, in tuenda  
& conseruanda veritate doctrinæ susceptæ semel atq; cõ-  
probatæ, illo periculosissimæ mutationis articulo, quo in  
Germania quasi sub iugum redacta, Imperator victor no-  
uas condere leges & decreta sancire cæperat, quibus sta-  
tus constituebatur vsurpandus interea in Ecclesijs, donec

controversiæ de religione ac disceptationes Synodo dirimentur, & quid responderint priuatim de ijs, quæ non de mutando doctrinæ genere aut vlla re necessaria, sed de ritibus quibusdam adiaphoris, in consultationem adducta fuerunt ac disputationem, ut cognoscatur, Flacianæ accusationes quales fuerint. Hanc autem institui à nobis narrationem pij omnes certò sibi persuadeant, non alia de causa, nisi ut explicata & demonstrata veritate, tribuamus laudem & gloriam æterno ac misericordi Deo iusto & veraci: & consulamus saluti atq; incolumitati Ecclesiæ, procellis horum tumultuum duriter quassatæ: & vindicemus ac tueamur innocentiam optimè meritorum, nimis iniquè ac penè nefariè falsis criminationibus aspersam: deniq; vt adseramus ac confirmemus veritatem doctrinæ, quæ inde vsque ab initio emendationis in hac Schola & harum regionum Ecclesijs, eadem semper sonuit, propter miseram posteritatem, cui relinqui certa, explicata & indubitata testimonia necesse est cum de doctrina, quam amplexi ac professi, discessimus à grege Pontificio, idola & errores pugnantes cum fundamento & articulis fidei retinente ac stabiliente, tum de autoribus emendationis.

Initio autem Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi, Et filio coæterno  $\lambda\omicron\gamma\omega\ \kappa\omega\varsigma\ \epsilon\iota\kappa\omicron\nu\ \alpha\iota\delta\iota\omega\ \alpha\iota\delta\iota\omega\ \pi\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma$ , patefactori admirandi & arcani decreti de redemptione & restitutione generis humani, atq; huius decreti exequutori, Et Spiritui sancto procedenti à Patre & Filio, efficaci

caci in mentibus et cordibus credentiū, et copulanti eos cū  
 Deo & inter sese, vt vnum simus in ipso: Huic ergo vero  
 Deo toto pectore gratias agimus, quòd hanc Scholam &  
 Ecclesiā tot periculis obiectā, & toties hostiliter petitam  
 clementer protexit, et huc vsq; seruauit, et multorum alibi  
 etiam degentium animos rexit & flexit, vt hanc Scho-  
 lam cura sua cogitationeque complecterentur, & eius in-  
 columitatem assiduis votis Deo commendarent. Et eun-  
 dem Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi  
 per & propter filium Iesum Christum  $\mu\epsilon\sigma\sigma\iota\tau\lambda\omega$   $\nu\omicron\upsilon\lambda$   $\iota\eta\epsilon\tau\lambda\omega$   
 nostrum ardentibus et veris gemitibus precamur, vt post-  
 hac quoq; hos alueolos alarum suarum inuolucris tectos tu-  
 eatur & sustentet, in quibus tot annis de rore cœlesti ex-  
 ucto fideliter & collecto ex fragrantissimis flosculis, quos  
 in Paradyso diuinitus plantata Prophetarum & Aposto-  
 lorum dogmata ac monumenta rigarunt, mella dulcia &  
 sincera stipantur sedulitate magna, et integerrima ac san-  
 ctissima fide: Et pellat ab ijs fucos & stelliones & arane-  
 as & tineas & vrsos quoq; qui vel vi diffringere ac disij-  
 cere alueolos hos, vel occulta fraude exturbatis inde api-  
 culis impedire operas quas faciunt, vel sordibus aspersis  
 corrumpere & inficere conantur mella, quæ conficiunt hæ  
 & elaborant. Oramus etiam precibus ardentibus, vt &  
 in hac causa adsit veritati ipse Deus verax, & æternus  
 Dei filius  $\lambda\omicron\gamma\theta$ , via, veritas & vita, & quem mittit  
 ipse à Patre Spiritus veritatis  $\pi\alpha\rho\upsilon\kappa\lambda\iota\tau\theta$ , & regat



mentes, iudicia, voluntates & corda nostra, vt hæc testi-  
ficatio proficit Ecclesiæ ad stabiliendam veritatem, & pur-  
gandam innocentiam fidelium ministrorum.

Atque vt ab eo ordiamur, quod palàm & in con-  
fesso est, principio pios obtestamur omnes, vt considerent,  
qui sint & fuerint illi in Academia nostra & harum ter-  
rarum Ecclesijs Ministri repurgatæ doctrinæ, quos sibi  
præcipuè ex reliquo numero hostes delegit & euertendos  
proposuit Flacius. Nimirum illi ipsi, per quos immensa  
Deus & ineffabili bonitate ac misericordia doctrinam  
Ecclesiæ ex tenebris regni Pötificij plus quàm Cimmerijs  
& confusarum opinionum perplexissimis labyrinthis eru-  
tam, extricatam & emendatam restituit. Quos reuerendo  
uiro Doct. Martino Luthero velut in acie pro luce cælesti  
contra tenebras inferni, & Pontificiam tyrannidem di-  
micanti, *παράστασ* assiduos, & laborum, certaminum  
ac periculorum fidissimos socios adiunxit. Quos Lutherus  
ipse vt fratres *ἀδελφοί* et dilexit ardentem, & cum ad-  
miratione, æstimatione ac prædicatione eorum donorum,  
quibus diuinitus fuerunt exornati, veneratus est, & Ec-  
clesiæ sua voce ac testimonio commendauit. Horum non  
pauci ex hac statione diuinitus euocati in cælestem commi-  
grarunt patriam, in qua absq; omni dubio cum ipso autore  
et ductore **LUTHERO**, et promissa rectè factorum  
præmia percipiunt, & in conspectu filij Dei domini nostri  
Iesu Christi audiunt dulcissimū *ᾠδὸν*, decantante illud  
Eccle

Ecclesia cœlesti, de quo vaticinatus est Daniel: Qui docti fuerunt, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iusticiam erudierunt multos, quasi stelle in perpetua æternitate. Inter quos sunt Reuerendiss. & illustriss. Princeps Georgius Anhaltinus, Caspar Cruciger, Doct. Pomeranus, Iustus Menius, Iohannes Forsterus. Aliqui verò adhuc in viuis sunt, & suo loco operas easdem, eadem fide, constantia & perseuerantia faciunt & vrgent. Inter hos præcipuo loco est communis Præceptor noster PHILIPPVS Melanthon, quem quòd Deus mirabiliter contra tot insultus et iniurias defensum, clementer seruauit Ecclesiæ, in tanta curarum & occupationum mole, & tanta imbecillitate corporis, senio, laboribus, ærumnis languefacti, toto pectore ipsi gratias agimus, & vt diutius seruet eum ardentè precamur.

Obtestamur etiam eosdem, vt perpendant, qua semper integritate, fide & constantia iidem, quantis laboribus & periculis, quanta patientia ac tolerantia, inter tanta summorum ordinum odia, tot tamq̃ multiplices aduersationes, tam cruentas comminationes, tam uiolentas impetitiones, insidias verò tam callidè & uasfrè structas, pro veritate pugnarint contra astutè cogitatas et specioso fuco adornatas præstigias, quas satellites Pontificij subinde variatas imperitis offuderunt, Deo eos ducente, dirigente & roborante inde vsq̃ à principio motorum certaminum.

Æstis

*Æstiment autem hæc ex toto causæ cursu, & de certaminibus, quæ cum aduersarijs ante & post calamitosum Germaniæ bellum habuerunt, et de ijs monumentis, quæ & edita initio, & post sepe repetita, & luculentius atq; enucleatius tractata, aucta atq; illustrata, in omnium manibus uersantur: Non de supposititijs, interceptis, furto surreptis, deprauatis, epistolis aut scriptis, quales circumferri ab impostoribus & ostentari solent, vt publicorum scriptorum eleuentur testimonia, et suspicionibus prægrauentur autores: Multò minus de congerie calumniarum et mendaciorum Flacij et Galli, quibus quas inuehunt opiniones falsas & à nostra doctrina discrepantes impudentia plus quàm Therfitica pingunt. Ex illis enim monumentis, quæ à se orta autores profitentur, discent ( si ignorant quod ignorare non debent aut possunt etiam ) quod fuerit perpetuum & vnicum horum doctorum in illustranda & ordine contexenda cœlesti doctrina studium, atq; in primis Philippi Melanthonis, quem præ cæteris Flacius & rabiosius exagitauit, & insectatus est atrocius, & crudelius lacerauit.*

*Discent igitur inde, quantum elaborarint hac in re Doctores & Præceptores nostri, vt demonstratis in Ecclesia erroribus & abusibus Pontificijs, & quorumcumq; Fanaticorum delirijs, illis declaratis ac refutatis, his taxatis & explosis, reuocarent doctrinam ad veros fontes patefactos in verbo autoritate diuina tradito: Et tollerent*

rent atq; abolerent, quicquid à præscripta norma discreparet: Et constituto vero, simplici & illustri discrimine inter nostras Ecclesias & Pontificias, decreta Pontificum & Monasticæ doctrinæ sordes eluerent atq; exploderent, confutatas evidentibus sacræ scripturæ testimonijs: contrarias his nostrarum Ecclesiarum sententias, quæ ex puris ac limpidis doctrinæ cælestis fontibus, non ex lutulentis & cœnosis Pontificum lacunis deprompta sunt, magis magisq; expolirent ac confirmarent: Deniq; ut rectè eruditas & instructas Ecclesias nostras & maturè præmonitas onni tempore, munirent accuratè contra eas imposturas, quas subinde innouatas nouo fuce & noua specie aduersarij conflant ac producunt, et incautis admouent, ut hac fascinosos in fraudem illiciant. Cognoscent hoc quoq; nostros semper velut fidos Ecclesiæ custodes, ex hoc Academicæ loco ceu eminenti & illustri specula, in omnes propè nutus quorumcunq; fanaticorum & hostium intentos, quid molirentur illi, circumspèctis occasionibus omnibus, qua potuit fieri, vigilantia obseruasse, & explorasse sagacitate: Et cum ea peruestigassent, rursus, qua potuit fieri, industria & fide, ductu & auxilio diuino, aut priusquam erumperent, repressisse, aut postquàm mota ac tentata essent, ne nocerent Ecclesijs nostris, discussisse ac depulisse.

Conferantur autem non priora tantùm & ante bellum promulgata scripta, præsertim quæ aucto & confir-

B           mato

mato iam de controuersijs iudicio ediderunt, sed & recentia omnia, cum ea, quæ contra Synodi Tridentinæ impia decreta & Sphyngris Augustanæ præstigijs instructa ac comparata fuerunt, publicè & priuatim, tum reliqua omnia, quæ post mutationem à bello ex hac Schola prodierunt magno numero & multiplicia, quorum aliqua Philippus Melanthon nominatim iudicio ac censuræ conuictarum nobis Ecclesiarum, & expressè Saxonicarum subiecit, tunc, cum & feruerent Pontificiorum conatus maximè in turbandis aut prorsus deprimendis Ecclesijs nostris, & Flacius inclementissimè, boatu planè barbarico de, nobis vociferaretur. Conferantur & dogmata, quæ uiua uoce in Ecclesia & Schola huius Urbis toto hoc tempore repetita & inculcata sunt, iudicibus & testibus tot auditorum millibus.

Si ergò hoc modo perpetuum sibi quisq; proposuerit cursum cum Professorum cæterorum in Schola nostra, tum communis Præceptoris nostri Philippi Melanthonis, & totam seriem eruditissimorum scriptorum & piorum consiliorum capita ac rationes, quæ fuere communicata alijs, totum deniq; & perpetuum doctrinæ contextum sui similem ubiq; & inter se consentientem, inde usq; ab editæ confessionis Augustanæ tempore: tum uerò etiam scrutetur diligenter atq; inuestiget, num quid horum vel minimum aut in scriptis publicis aut ijs annotatis, quæ ex ore docentis Philippi Melanthonis auribus quisq; excepit aut calamo

calamo, reperiatur, quæ cum Gallo Flacius & ipsi Philippo Melanthoni & Scholæ nostræ impegit. Et ubi perquisiuerit atq; euoluerit accuratè omnia, secum reputet, An vox doctrinæ conticuerit vnquam in hac Schola aut elanguerit, Et an vnquam quicquam, obscuratum saltem aut mutilatum fuerit & truncatum in vlla doctrinæ parte, aut fuerit etiam neglectum aliquid eorum, quæ docerimonerue Ecclesiam publicè illo tristi tempore necesse fuit. Nam cum de corrupta doctrina nos insimulet, quæ potest certior demonstratio & refutatio manifesto mendacio opponi doctrina ipsa, quæ extat tot repetita & expressa monumentis eo ipso tempore, quo corruptionis doctrinæ, desertionis ac prodicionis veritatis, collusionis cum hostibus Flacius atrocissimè nostros ad vulgus accusauit.

Sed in priuatis consultationibus nutasse nostros, & dogmata inflexisse ad iudicia & affectus potentum, & aditus aperuisse hostibus Pontificijs ad Ecclesias nostras inuadendas clamitat Flacius? Etsi quid in doctrinæ et omnium rerum necessariorum defensione præstiterint nostri, planū faciunt & testatum scripta, ad quæ respicere potius decuisset applausores Flacij, quàm ad cæcas exagitationes eorum, quæ ignorauit Flacius: Et quid de doctrina nostrarum Ecclesiarum ipse Flacius tunc senserit & sentiat, nunc scriptis liquidò declarat, vt quo loco & in quorum numero habendus sit, obscurum esse amplius non possit:

tamen quales fuerint priuatæ consultationes, ostendemus, hoc quidem in loco summam ac strictim, postea verò in historia actorum copiosius, adhibito testimonio archetyporum.

Statim vt post bellum recolligi in Academia Professores & discipuli, & Scholæ haberi publicè cœperunt, ad suas quisq; redijt operas. Redijt huc & Flacius Illyricus, qui tunc erat vnus ex collegio nostro, ex misero & profugo euectus ad munus & locum professoris publici, autoritate præcipuè & commendatione atq; opera Philippi Melanthonis. Cœpimus suo quisq; loco ea docere, quæ professionis erant cuiusq; & instituti, vt fuerat factum ante Scholæ dissipationem. Inuita instaurationis Scholæ velut ex naufragio sese paulatim recipientis, Dei beneficio, & tranquilla erant & prospera, vt reditus ad locum pristinum neminem nostrum pœniteret. Incidebant autem in idem tempus infœlicia Caroli Imperatoris consilia & conatus infœlices, de qualicunq; concordia inter disiunctos Imperij ordines sarcienda noua & ænigmatica religionis formula, quæ ex quibusdam Pontificijs abusibus atq; erroribus manifestis & veteribus, quibusdam nouis aut noua deprauatione limatis, quibusdam etiam nostræ doctrinæ particulis, sed ferè aut mutilatis, aut insidiosè fucatis, & quibusdam medijs rebus, ita confarcinata erat, vt nec recipi ab aduersarijs, nisi eum statum, quo regni Pontificij Maiestas nititur, labefactatum vellent & inclinatum:

tum : nec comprobari à nobis posset, nisi Veritatis agnitionem & confessionem abijceremus. Quæsitæ fuit de illa formula Philippi Melanthonis & cæterorum Theologorum sententia à pluribus diuersorum ordinum & gentium hominibus. Cum ergò librum agnosceret Philippus Melanthon, & aliquanto antè similem Ratisbonæ compositum & propositum meminisset, & quibus autoribus reuocatus is esset in lucem, & aliquanto magis deprauatus, non temerè suspicaretur, initio priuatim ijs, qui antequàm Augustæ formula promulgata fuit, occultè consilium petiuerunt, sententiam suam de illa communicauit, Ita vt non verbosis quidem, sed perspicuis suo more & rerum plenis quasi designationibus fundamentorum veræ refutationis, indicaret & præstigias Sophismatum, & decreta ac postulata impia in precipuis & maximi momenti articulis, quantum in ea celeritate, qua refutationes perfici oportebat, fieri potuit. Earum vna primùm transcriptione, mox typis diuulgata in omnium statim peruenit manus.

Conuentu Augustano soluto, Mauricius Dux Elector &c. reuersus ad suos, vt de religione antè eis cauerat, ita quid agitare consilij Imperator, quidue & qua id seueritate flagitaret & vrgeret exposuit. Et quòd de libro Augustano nihil omnino nisi re cum suis communicata promittere voluerit, ostendit, Renouato simul promisso, quo nec sese deflexurum ab ea doctrina, quàm suæ Ecclesiæ profite-



rentur, nec passurum, vt ab eadem sui ad alienam & nouam adigantur, confirmauit. A Theologis autem conuocatis moneri se petiuit, Quid salua veritate doctrinae & conscientia salua, concedere Imperatori posset in ritibus medijs ac ceremonijs, ne pertinacia temeraria in rebus non necessarijs nec impijs aduersando Imperatori, qui prae se ferret concordiae causa haec institui & requiri, praebet argumentum fingendae falso nouae rebellionis & contumaciae: Sua etiam se causa haec petere ostendit, vt consulat tum conscientiae erga Deum suae, & erga Ecclesias suarum Regionum, tum Ecclesijs ipsis luce verae doctrinae florentibus, quas, si post praestitam in ijs rebus obedientiam, quae sine Dei offensione, sine violatione legum diuinarum, & sine conscientiae lesione praestari possent, nihilo minus bello peterentur, non posset non vel cum periculo capitis & omnium fortunarum bello defendere. A doctrina enim nostrarum Ecclesiarum, quam sciret esse verissimam, non sese discessurum vnquam, Deo iuuante, nec concessurum, vt vlla re impia, subditi onerentur. De hac quaestione, cum Theologi denuo in vrbe Misena totius libri Augustani alteram texuissent, & quidem copiosiore ac prolixiore refutationem, illa priore, quae inter initia subito emissa erat: vt principijs malorum priusquam crescerent & ingrauescerent, occurreretur tempestiue, et praemonerentur incauti, ne libro temere assentirentur: Et formulam etiam praescripsissent Ecclesijs harum regionum, qua

qua exponerent rationes & causas Imperatori, cur ample-  
cti Librum Augustanum non possent: De hac ergò quæ-  
stione post reiectam secundo tertioque, & refutatam  
Sphynge Augustanam, disputatum est à Theologis &  
Consiliarijs in aliquot congressibus, quorum vni affuerunt  
etiam duo Episcopi, contra quos acerrimè dimicatum est,  
vt responsa docebunt.

Hos congressus Flacius primo cùm adhuc nobiscum  
esset, clam & fictitio nomine sparsis chartis suggillare,  
mox apertè criminari ac traducere ad vulgus cœpit, cùm  
quid ageretur & fieret, quid exigeretur ac ijs, qui ad de-  
liberationes adhibebantur, quid de petitis & postulatis  
illi responderent, nec sciret nec scire certò posset, nisi quan-  
tum suspicionibus colligebat, & de captatis à sese vel in-  
certo sermone peruulgatis arripiebat rumusculis, deniq;  
quantum somniabat ex somnijs Philippi, quæ studio tam  
sollicito excepit & notauit, vt momenta etiam in suos re-  
tulerit amales, quibus ea recitari audiuit, scilicet ne quid  
periret, quod substruendis & fundandis aliquo modo ijs,  
quæ meditabatur, accommodatum reperiebat.

Paulò post cùm à suspicionibus, somnijs Philippi  
Melanthonis, perquisitis ac direptis in huius Bibliotheca  
scriptis priuatis & epistolis, vocibus à quocunq; auditis,  
quas sciscitando insidiosè & animos pertentando elicere  
solebat, & similibus, præclarè sibi videretur instructus  
ad eam causam publicè & ex professo agendam  
nos,

nos, quam vsq; ad illud tempus alieni nominis figmento  
presserat, abruptit se à nobis, & hinc ad tutam ac munitam  
arcem profugit, turpiter & sine causa deserto loco &  
munere suo. Tum demum cœpit seriò à congressibus, à  
quorum insectatione tragœdiam exorsus fuerat, totus  
in Præceptores nostros & Doctores conuerti. Hostes  
aduersarios, qui de recenti Imperatoris victoria superbi  
ac feroces, Ecclesias in magna parte Germaniæ deuasta-  
bant tyrannicè, excussis inde p̄ys pastoribus, & vel suffe-  
ctis in eorum locum impijs ac prophanis sacrificulis, vel  
templis clausis, ac ministerio sublato: Illos ergò ita dissi-  
mulanter præterijt, aut metu, aut potius vafro consilio in  
nostram comparato perniciem, vt ne hiscere quidem con-  
tra eos vel voluerit vel fuerit ausus: Imò vt ne quidem vl-  
lum illorum dogma perstrinxerit. Sed omnes coegerit ad-  
uersum nos copias suas, omnes in nos intenderit vires in-  
genij & corporis, scriptionibus priuatis & publicis, fa-  
bricis imposturarum & calumniarum, discursationibus,  
solllicitis in nos inquisitionibus, deniq; conatus sit extrema  
omnia. Cumque ea quæ publicè fiebant ac præstabantur,  
Doctrinæ repetitione consolando confirmandoq; afflictas  
Ecclesias alibi, Nostris consulendo, ne in easdem deuolu-  
tæ calamitates similiter de veritate & toto ministerio pe-  
riclitarentur, nulla specie calumniari posset, & infama-  
re: nec certò & exploratè scire posset, quid in priuatis  
congressibus tractaretur ac disputaretur: cohibere se ta-  
men

men ac frenare non potuit, quin de conquisitis ac coaceruat  
tis cæcis & virulentis suspicionibus, manium somniorum  
terriculamentis, anilibus fabellis, peruulgatis sermunculis,  
extrueret accusationes nostri & nostrorum, criminatio-  
nibus atrocissimis & planè parricidalibus accumulatas.

Noſtri inter initia occupati cura cogitationeq; &  
ſollicitudine de rebus difficillimis & periculorum plenis,  
nec tam ad ipſos pertinentibus, quàm complectentibus  
ſalutem & incolumitatem Eccleſiarum in his regionibus:  
& freti conſcientia rectiſſimæ ac conſantiſſimæ volunta-  
tis, piorum conſiliorum, & conatum ac ſtudiorum dire-  
ctorum ad Dei ſolius gloriam, veritatem doctrinæ, &  
Eccleſiarum ſtabilitatem: confiſi deniq; diuino præſidio,  
quod & ardentè implorabant, & certo ſibi præſto futu-  
rum ſciebant in ea cauſa, quæ Dei erat: his calumnijs &  
inſectationibus ſui non admodum mouebantur, quod pro-  
pter odia iniuſta & falſas inſectationes ac traduccionem  
ſcirent, nec deſeri Eccleſias in tantorum periculorum me-  
tu & tantis erroribus nouis, nec pia & ſalutaria conſilia  
mutari aut abijci, nec curam conſeruandi Eccleſias cum  
veritate doctrinæ deponi debere. Et Philippus ſimili-  
bus artiſicijs ante ſe quoq; mirificè petitum oppugna-  
tumq; & exagitatam meminerat ab alijs. Propterea in-  
tenti in præſentia negocia, ſpretis magno & forti animo  
mendacibus calumnijs Flacy, ſicut & Imperatoris Caro-  
li minacia edicta & intentata ab ipſo pericula contempſe-

C

rant:

rant: Id dabant operam, vt cum doctrinæ quam planta-  
rant puritate, Ecclesias, quibus summa perpetuæ vasa-  
tionis & amissionis doctrinæ pericula impendebant, Dei  
auxilio tuerentur.

Flacius lætus de concepta spe & de pulcherrimis et  
speciosissimis occasionibus vel opprimendi vel deformandi  
nostros, & hoc perfecto experiundi in doctrina confessio-  
nis nostræ, quod aliquanto post inchoatum, nunc persequi-  
tur & vrget: nec destitit ab incæpto, nec defuit sibi ipsi  
vllis technarum & machinationum modis. Sed repetito  
& ingeminato eodem coccyso, & ictibus eodem argu-  
mento suspicionum, sonniorum, fabellarum duplicatis,  
triplicatis, & tandem ad fastidium & nauseam vsq; mul-  
tiplicatis, oppugnare nostros perrexit, additis nouis ac-  
cusationibus totius Academiæ & vniuersim Ecclesiarum  
in his regionibus, & toto Argumentorum agmine speci-  
osius nouis calumnijs, & mendacijs manifestis instructo,  
de doctrinæ in hac Academia deprauationibus, citatis, vt  
series scriptorum docebit, mutilis, fraude corruptis, sup-  
posititijs, calumniosè detortis sententiolis.

Nactus ocium tandem Philippus mox de priuatis  
consultationibus falsò & calumniosè, ex solis suspicioni-  
bus, sine fundamento aliquo reprehensis, breui respondit  
Epistola, quam præmisit repetitæ in enarratione Episto-  
le ad Colossenses doctrinæ de pœnitentiâ & vera conuer-  
sione ad Deum Anno M. D. XLIX. contra præstigi-  
as, qui-

as, quibus satisfactiones à quibusdam recens pingebantur. Et respondit ideo, vt satisfaceret morosis quibusdam & curiosis hominibus, qui vel perturbati vel persuasi Flacy vociferationibus, flagitabant, vt quid priuatim etiam gestum conclusumq; esset, proferretur. Hanc Epistolam hoc loco inseruimus, vt qui toties accusarunt silentium nostrum, videant, & quid reprehenderint, & quare nos culparint, & quas causas huius reprehensionis habuerint, edocti tunc satis superq; hac Epistola, & de summa priuatarum deliberationum ac conclusionum, & de perseverantia nostrorum in eodem doctrinæ genere, & de voluntate ac studio retinendi agnitam veritatem ac propugnandi. Ostenderunt autem hac sua postulatione illi, quod non delectentur veritatis demonstratione, de qua & assentiri debuerant testimonio, & acquiescere asseuerationi tanti viri, cuius fides & integritas perspecta erat publicè tot annis, sed mutuarum criminationum in re nihili scurrili & improbo atq; in Ecclesia non ferendo conflictu.

Ad qualem conflictum Philippum à Flacio multoties prouocatum meminimus.

Verba Epistolæ hæc sunt:

PHILIPPVS MELANTHON  
pio Lectori. S. D.

VT præcipua cura omnium hominum esse debet, vt rectè agnoscere & inuocare Deum discant: ita cum in Ecclesia se

Deus patefecerit, & uelit ibi suam uocem audiri, ac uelit singulos fieri ciues eius cœtus, & ad uexillum Domini nostri Ihesu Christi concurrere, ut apud Esaiam dicitur: Erit signum populis: Omnino necessaria est & hæc cura, circumspicere mente, & in tanta confusione generis humani sapienter quærere, quæ & ubi sit uera Ecclesia, ut in eam nos fidei societate, inuocatione & confessione, includamus, ubi cunq; sumus. Sparsa est enim in diuersa imperia, Sed à prophana & impia parte generis humani distincta est signis non fallentibus, ut sciamus uerè Dei Ecclesiam esse cœtum, ubicunq; est qui uocem Euangelij sonat incorruptam, & legitimum Sacramentorum usum retinet, nec Idola pertinaciter defendit. Hæc cum ab ijs, qui doctrinam Propheticam & Apostolicam didicerunt, & non fabulosam esse sentiunt, mente, oculis atq; auribus iudicari possint, agnosci certe Ecclesia potest.

Et in tantis imperiorum ruinis, ac hominum dissipationibus, hanc consolationem bonæ mentes teneant, ubi uocem ueræ doctrinæ incorruptam audiunt, & legitimum Sacramentorum usum cernunt, & uident non defendi pertinaciter Idola, & errores pugnantem cum uoce filij Dei, ibi se in societate Ecclesiæ esse certissimè sciant, nec dubitent, tales cœtus Dei domicilia esse, ibi ministerio Euangelij adesse Deum, ibi exaudiri inuocantes, ibi rectè coli Deum, ex eo cœtu colligi æternam hæreditatem filio Dei, iuxta illud: Ubicunq; sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Hac consolatione sæpe in dissensionibus publicis opus est, quam quidem ed recito, quia nunc quoq; clamoribus quorundam non leuiter perturbantur nostræ Ecclesiæ, quæ hanc ueram & firmam consolationem teneant, de qua suos oculos & suas aures singuli testes faciant. Sonat eadem uox doctrinæ uniuersæ, quam in libris nostris, qui extant, sonamus. Usus Sacramentorum manet idem, qui fuit ante proximum bellum, Taxantur errores, & idola, ut libri a nobis scripti ostendunt.

Quod uero clamat Flacius Illyricus, & doctrinam mutari, & restitui ceremonias quasdam antea abolitas, primum de doctrina respondebo. Palàm refutat hanc calumniam uox omnium docentium in Ecclesijs nostris & in Scholis. Ac ne longa ut obscura sit responsio. De uniuersa doctrina sentio quod scripsi in eo libro, qui in multorum manibus est titulo Locorum Theologicorum, in quo  
non

non uolui nouum doctrinæ genus constituere, sed fideliter collegi doctrinam communem harum Ecclesiarum, quæ amplexæ sunt confessionem exhibitam Imperatori Anno 1530. quam sententiam iudico esse perpetuam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, ac uolo dextrè & sine Sopiistica & sine calumnijs intelligi id scriptum.

Et quantum mihi conscius sum, non studio dissentiendi ab alijs, non amore nouitatis, non φιλονομεία, aut alia ulla praua cupiditate impulsus sum, ut illam Epitomen colligerem. Sed tempora occasionem præbuerunt. Cum in prima inspectione Ecclesiarum comperissemus admodum dissonos clamores esse ineruditorum de multis rebus, Summam doctrinæ, quam Lutherus in diuersis & interpretationum & concionum uoluminibus tradiderat, tanquam in unum corpus redactam edidi, & quæsiui genus uerborum, quo ad proprietatem, quæ ad perspicuitatem & concordiam utilis est, discentes aduieserent, ac semper omnia scripta iudicio Ecclesiæ nostræ & ipsius Lutheri permisi, de multis quæstionibus etiam disertè sciscitatus sum Lutherum, quid sentiret, ac multi pagellarum illarum exempla adhuc habent. In eius doctrinæ professione, quam ut dixi, scio perpetuum esse consensum Ecclesiæ Catholicæ domini nostri Ihesu Christi, & nunc Deum inuoco, & iuuante ipso hanc confessionem ad æternæ Ecclesiæ consuetudinem adferam. Hæc recito, ne quis criminetur, me aliorum fidem dubitatione aliqua mea languescere facere.

Iam de rituum mutatione, quæ alicubi facta est, pauca respondebo. Optarim certe in hac præsertim tanta moestitia nulla prorsus mutatione has Ecclesias turbari, ac si quæ factæ sunt, non sunt a me ortæ, Sed fateor me suasisse & Francis & alijs, ne desererent Ecclesias propter seruitutem, quæ sine impietate sustineri posset. Nam quod Illyricus uociferatur, potius uastitatè fuisse faciendam in templis, & metu seditionū terrendos Principes, ego ne nunc quidem tam tristis sententiæ auctor esse uelim. Alia onera multò duriora quàm linea uestis est, sustinere nos studiorum & Ecclesiæ causa manifestum est, odia potentium, contumaciam populi, maleuolentiam infucatis amicis, discordias docentium, inopiam, iniurias, & alia multa mala, quæ etiam tranquillam gubernationem comitantur. Nunc tuerò turbulentis temporibus multa accedunt atrociora.

Cum autem propter tales miseras non discedendum sit à statione, toleretur etiam seruitus in re leuiore, quæ tamen sine impietate est



te est. Mihi quidem ingens mœsticia huius temporis in tanta dis-  
tractione uoluntatem & opinionem poscere uideatur, ut afflictas  
Ecclesias consolemur & foueamus, quantum pie fieri potest, & cures-  
mus, ut rerum necessariarum omnium doctrina fideliter explicata ad  
posteritatem propageetur, & Scholæ conferuentur, quæ custodes sint  
omnium honestarum artium.

Quod autem narrat Flacius, alium nescio quem, dixisse, me  
dixisse, Non discedendum esse ab Ecclesijs, etiam si omnes ueteres  
abusus restituerentur, manifestum mendacium est.

Ac uidete artificem, ut odia accendat, & suspiciones cumu-  
let, multa profert ex familiaribus colloquijs, quæ etiam calumniose  
interpretatur, alcubi personis alijs sermones falsos attribuit, ut has  
bere non solum testes, sed etiam adstipulatores uideatur. Neq; sena-  
si, neq; dixi unquam, quod ille in me falso confert, manendum esse  
in ijs Ecclesijs, in quibus restituantur errores, & oblatio Missarum, &  
inuocatio sanctorum, & similes impij cultus, qui nostris scriptis ta-  
xati sunt. Imo palam profiteor, nec recipiendos esse illos Idolorum  
cultus, nec tolerandos. Et ut discentes in singulis materijs essent in-  
structiores, magna cura & magno labore fontes controuersiarum exa-  
posui.

Hic si dolori meo indulgere uellem, possem & de Flacio iustè  
queri, qui aduersus me talia mendacia spargit, & commemorare ex  
alto repetitas causas harum ærumnarum, quibus nunc Ecclesia totius  
orbis terrarum oppressa est, & exponere, quæ res armauerit audacis-  
am aduersariorum contra ueritatem, & confirmauerit potentiam,  
Sed hæc uulnera nunc attingere nolo, & istos libertatis uindices oro,  
ut sinant me & alios multos tacitos circumferre nostros dolores, nec  
accendant atrociora dissidia.

Gloriatur se defensorem fore pristini status. Si statum impe-  
ria certa & politias intelligit, & Ecclesiam suis tantum mœnibus in-  
cludit, non recte sentit. Sparsa est etiam in alias politias Ecclesia so-  
nans uocem Euangelij incorruptam, & uera inuocatione, ueris gemi-  
tibus & lacrymis Deum inuocans. Cumq; tanta fuerit familiarita-  
tas ei mecum, quantum significat, testis esse potest ipse meorum do-  
lorum gemituum, & absiduitatis. Nos imperiorum & status publici  
concussionem deploramus, nec quærimus arces aut præsidia, Sed in  
his ipsis Ecclesijs, in quibus sumus, eandem uocem Euangelij sona-  
mus, inuocantes Deum in uera agnitione & fide filij Dei, & medios  
cristi la-

cri labore studia literarum, institutionem iuuentutis & disciplinæ cōseruationem adiuuamus. Si potest Ecclesijs ille defensor status aureum seculum restituere, triumphet ut uolet.

Cur me delegerit, cū nulla in re unquā à me læsus sit, quem in ista defensione status, ut uocat, primum opprimat, ut Marius Antonium, nescio, cū sciat mihi semper displicuisse corrupte las doctrinæ, & à me errores præcipuos taxatos esse. Nunc scribit me promouere, hoc enim utitur uocabulo, quia suasi, ne in templis fieri solitudo, propter lineam uestem, aut res similes,

Etiā si qua esset dissensio de re tali, non obliuiscenda erant in Ecclesia præcepta de dilectione, præsertim cum sciat nos in magno luctu esse, & nec regna, nec opes quærere, non erant imitanda exempli ciuillium dissensionum, in quibus, qui sint animorum impetus, prouerbio significatum est: ὅτις ἄρ μὴ φάγῃ ὄζειν μήποτε γλίησεται ἰδράκωρ. Ille uerò mihi non tantum stylum, Sed alia minatur atrociora. Optarim nos conferre operas potius ad illustrandas res necessarias, satis enim certaminum restat, propter quæ inter nos pacifici inducias & uelut syncretissimum uon modo nobis, Sed toti Ecclesiæ utilius esset, ne accideret illud, quod Paulus inquit: κλέπτετε μὴ ὑπο ἀδελφῶν ἀναλωθῆτε. Ego responsiones moderabor ex utilitate, ac spero me & scriptis, & multorum honestorū iudicijs aduersus calumnias satis defendi. Nam & alij p̄j & docti uiri in multis regionibus non leuiter dolent, has Ecclesias condemnari.

Sed & Flacium & alios adhortor, ut cogitent, quid futurum sit, Si utrinq; accensi Historiam annorum triginta repetemus, Quælis hæc erit tela?

Quòd toties profert obiter dicta in familiaribus colloquijs, imò & somnia recitat, ostendit qua fide amicitia & familiaritatis iura colat. Sæpe in dolore familiares querelæ liberiores sunt, sæpe disputandi causa ego ipse uehementius sententiam, quam amplector, oppugno, non iudens, sed discendi causa, ut aliorum cogitationibus erudiar.

Postremo natura mea multis nota est, non adpeto laudem toruitatis, Sed mediocris est comitas, qua iocor interdum etiam in doloribus. Talia dicta postea calumniose spargere, ut iste facit, ελακτικὸν est, non officiosum, ut nihil dicam asperius. Sin autem, ut in  
quæ

quadam parte suæ Epistolæ significat, ubi mihi gladios etiam minatur, casus aliquis me oppresserit, quorumcunq; gladijs præbenda erit hæc misera ceruix, commendabo me filio Dei Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis & resuscitato, qui inspector est cordium, & scit me simplici studio quæsiuisse ueritatem, non factiones aut regna constituere, non laxare frenos curiositati uoluisse, nec sine magna difficultate diligenter considerata uniuersa antiquitate, multas intricatas quæstiones euoluisse, meq; iuuentuti ad disciplinam & ad colenda rectissima studia hortatorem fuisse.

Sed de me iam nihil dicam. Scio in dissensionibus ciuilibus, omnes casus omnibus expectandos esse, scio rabiem animorum uarijs modis accendi. Et habere Flacium suas quasdam faces animaduerto, Sed & uitam meam Deo commendo, & Ecclesiam Dei ueram in his regionibus & alibi, de qua multò magis, quam de mea uita sollicitus sum. Sed hac me consolatione sustento, quod promissit Deus, se etiam senescenti Ecclesiæ adfuturum esse. Et filius Dei inquit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Seruabit Deus aliquos cœtus custodes doctrinæ Euangelij & rectè ipsum inuocantes, & ut in his regionibus etiam seruet toto eum pectore, & ueris gemitibus oro,

Hanc breuem responsionem opposui clamoribus Flacij, non tam mea causa, quam earum Ecclesiarum causa, ubicunq; sunt, in quibus multorum piorum animi scriptis Flacij uulnerantur. Hi tenent hanc consolationem, quod certum est, fundamentum in his Ecclesijs fideliter retineri, uidelicet incorruptam uocem Euangelij, omnes articulos fidei & usum Sacramentorum sine corruptelis. Tali ministerio adesse filium Dei, & in tali cœtu exaudire inuocantes certissimum est, ut supra quoq; dixi. Bene uale candide Lector. Calend. Octobris

1549.

**H**anc Epistolam cum edidisset, et simul retextam totam de uera conuersione ad Deum doctrinam luculenter et perspicuè, mox de præcipuis doctrinæ capitibus,

m

in enarratione Symboli Niceni eodem modo sententiam suam repetiuit, & hanc enarrationem cum inscripsit Ecclesijs Saxonis, tum censeret ab illis ac iudicari voluit, ut cum à Flacio incitatus esset contra nos, ostenderent quæ in hac doctrinæ forma reprehenderent & improbarent, & si nihil desiderarent (ut desiderarunt nihil) desinerent Flacij calumnijs assentiendo fouere dissensiones & discordias. Hac prouocatione ad iudicia Academiarum & Ecclesiarum rectè sentientium sæpe usus, tantum studio recolligendæ ac sarciendæ Ecclesiæ, quæ studio partium ex Flacij clamoribus & occultis machinationibus in factiones erat distracta, censuras nullas unquam subire recusauit, ne quid desiderari vlla in parte posset à quoquam, nec silentium prætexi posset nostrum odij & maledicendi cupiditati. Sed neq; à cæteris hac in parte prætermissum est quicquam. Et Epitomen priuatarum deliberationum copiosius explicatam publicauit tunc Princeps Anbaldinus. Extat & oratio hoc Argumento recitata à Principe Anbaldino in Synodo quadam de præscripto Philippi Melanthonis, quam etiam hic subiungemus, ut nunc legant & cognoscant, quæ tunc scripta fuerunt de hac causa, illi, qui vel abhorruerunt tunc ab his (ut fit in calumnijs) vel ab horum inspectione & consideratione charitatis Flacianis fuerunt abducti.

D Oratio

ORATIO DE DICTO PAULI: PRO  
bet vnusquisq; opus suum, & sic apud sese gloriam ha-  
bebit, non ab alijs, recitata VI. Octobris  
Anno M. D. XLIX.

**I**Nitio gratias agimus Deo æterno Patri Domini nostri  
Iesu Christi, conditori Ecclesiæ angelicæ & humanæ, quòd hæte-  
nus, quanquam magnis tumultibus & confusionibus gubernatio  
impeditur, seruaui tamen clementer harum regionum Ecclesias, &  
ardentibus uotis eum oramus, ut Filio suo Domino nostro Iesu  
Christo hæreditatem celebraturam ipsum in omni æternitate, perpe-  
tuo in his regionibus colligat. Et huic piæ precatiõni adiungamus  
orationem Dominicam,

**C**VM autem in his congressibus profit aliquam commonefactio-  
nem utilem proponi, & nunc Ecclesiæ nostræ, & nos omnes in  
magnis doloribus simus, propter uenenatas calumnias, quæ contra  
nos sparguntur, necesse est remedia idonea his nostris doloribus ad-  
hibere. Audiamus itaq; Apostoli uerba ad Galatas: Probet unus-  
quisq; suum opus, & sic apud sese gloriam habebit, non ab alijs.

Consolationem igitur institui, ne his criminationibus fracti,  
existimetis nos Ecclesiæ societatem amisisse, nec excuti uobis fidem  
& inuocationem sinatis. Non ferrum, non tela ulla, maiora uulnera  
in corde faciunt, quàm illæ diræ uoces, etiamsi falsæ sunt, in quibus  
clamant nos aduersari ueritati, & impios cultus restituere.

Etsi enim conscientia rectæ uoluntatis & piorum consiliorum  
lenit nobis mœsticiam, tamen propter Ecclesiæ dilacerationes ualde  
cruciamur. Quæramus igitur conuenientia remedia. Ac primum  
populo & cæteris, qui à deliberationibus publicis absunt, hæc con-  
solatio satis mederi potest: suos quisq; oculos, suas aures testes faciat.  
Cum adhuc uocem Euangelij incorruptam audiat, & uideat in cœna  
Domini nullam fieri mutationem, nec ullos impios cultus restitutos  
esse, statuat sese Ecclesiæ ciuem esse, & uerè se à Deo exaudiri, & rectè  
se harum Ecclesiarum societatem ueri, quia certum est, ibi esse  
Dei Ecclesiam, ubi sonat incorrupta uox Euangelij, & usus Sacra-  
mentorũ legitimus retinetur, & non defenduntur pertinaciter ido-  
la, sicut

la sicut scriptum est: Vbiunq; duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Lucere autem agnitionem Filij Dei in his Ecclesijs, cum fundamentum recte teneatur, non dubium est.

Hanc consolationem populus teneat, & non aucupetur falsas & calumnias, quæ contra has Ecclesias sparguntur, ut sunt multi leues, quibus uoluptati est, conuicia legere & audire.

Semper Ecclesia uarijs modis oppugnatur, & Diabolus labefactare fidem & inuocationem in omnibus uarijs scandalis studet, ut cum in populo Israel multi uiderent filiorum Davidis parricidia, seditionem præcipuorum ordinum & Principum, & incestas libidines, dubitabant certe an hæc gens Ecclesia Dei esset, qua in perturbatione tamen pios uidere necesse fuit, ubi uox diuina uere sonaret. Ita nunc populus ad hanc arcem confugiat, sciat ibi uere esse Dei Ecclesiam, ubi uox Euangelij sonat incorrupta, ut dictum est. Si quid ab alijs in deliberationibus publicis actum est, de quo dubitas, id ad te nihil pertinet, cum nec sis autor nec approbator, & cum res non satis nota est, regulam sequaris, Nolite iudicare, nec iudicabimini. Item: Non sis iusurro in populo.

Nunc de nobis etiam dicam, qui deliberationibus interfuisimus.

Primum de doctrina & rebus necessarijs, non solum conscientia rectæ uoluntatis, & piorum consiliorum, nos consolatur, sed euentus etiam. Nam res ostendit, nec doctrinam mutatam esse, nec usum Sacramentorum.

Hic cum publicæ conciones & ritus, qui in oculis incurrunt, testimonium de nobis dicant, manifestum est, falso & nos & has Ecclesias accusari, ac si quis delectatur illis mendacijs, suam leuitatem & maleuolentiam declarat. Diabolus, ut nomen indicat, impellit multorum animos, ut et serant, & auidè audiant calumnias. Ideo non inuisitatum est, etiam manifesta mendacia habere applausores, quæ postea magnos tumultus excitant.

Quantquam igitur iniuriæ dolorem nobis afferunt, tamen Deo iudici utrosq; commendemus, & sciamus nos propter horum iudicia, nec societatem Ecclesiæ amisisse, nec à Deo abiectos esse. Nam adhuc uox doctrinæ eadem est, & magno labore magnisq; periculis à nobis propugnatur.

At inconstantiam nobis tribuunt aliqui, quòd de uestitu & de alijs quibusdā similibus ritibus non tumultuose pugnamus, non

minitamur principibus seditiones, non iubemus deserere Ecclesias, dicunt his iniurijs seruitutis, strui insidias populo.

In hac criminatione plausus & studia habent multitudinis. Sed nostra defensio in hac re honestissima est. Etsi tanta est malicia vulgi ut nihil mirum sit gubernatores de ea frenanda cogitare, & uetera disciplinæ uincula requirere, Tamen nos in hac deliberatione optaremus nunc moestitiæ Ecclesiarum & imbecillitate, quæ magna est & in bonis mentibus, parci, & ideo quantum fieri possit à non necessarijs mutationibus abstinere, Tamen ubi Principes ad tollendam dissimilitudinem rituum Ecclesiasticorum, qui in aliquibus Ecclesijs intermissi, in alijs obseruantur, & ad disciplinam restituendam, quædam decreta proponenda duxerunt, quæ sunt sine Impietate, fatemur nos suadere, ne propterea Ecclesiæ deserantur, Intelleximus alicubi in Sueuia & ad Rhenum in templis prorsus solitudinem factam esse, nullam audiri uocem doctrinæ, multis in locis diu non administratam esse coenam Domini. Hæc accidere nollemus, & uerè iudicamus, Necessaria anteferenda esse non necessarijs, Retinendam esse uocem Euanigelij, Ecclesiæ congressus, Sacramentorum usum, etiam si qua imponitur corpori seruitus. Dulce est nomen libertatis, & homines inquieti, cum religionis prætextu eam defendunt, uehementius mouent hominum animos. Itaque non mirum est nobis irasci multos, eò quòd libertatem non magis etiam laxamus, Quod ita obtineri potuisse aiunt, si Principibus metum seditionum nostris clamoribus & populi consensu incuteremus.

Nos uerò neq; factionibus certare, neq; inflammare vulgi animos contra Principes uolumus. Nam quòd aiunt, nos assentatione tacere, calumnia manifestè falsa est. Sciunt enim ipsi, nos in rebus necessarijs nusquam de sententia celsisse. Labores & pericula nostra uident, cum quidem ipsi sine ullo periculo inter applausus sui theatri uociferentur, tantùm de rebus non necessarijs, de quibus tamen nunc sophisma excogitant, necessariò uitari lineam uestem, quia significet recipi ueteres errores. At extat nostra uox & confessio de singulis articulis.

Conciones & ritus ipsi quotidie testimonium dant confessioni nostræ. Falso igitur dicunt eam ueste illa inuolui.

Quàm magnos motus his ipsis annis, ut uetera exempla omitam, uidemus ortos esse argumentis simili calliditate fucatis.

Ego in

Ego ingenue fateor, etsi optarem, ut ante dixi, nulla in re prorsus turbari Ecclesias, tamen si hæc uota irrita sunt, me in hac sententia manere, hæc quasi seruitute, etiamsi molesta & odiosa esset, quæ apud illos libertatis defensores uituperatur, Tamen non pollui conscientias, nec ista subtilitate uerborum, & præstigijs calumniatorum turbor, sed prouoco ad recta & candida iudicia, quæ tam duras sententias de hac re non ferent.

Præterea cum omnino deceat ordinem aliquem esse Feriarum & lectionum in templis, ut Natalis Christi, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, cur non fateremur nos libenter retinere tempora, quorum aliqua Deus ipse retinuit inde usque à primo Paschate? Cumque horum temporum obseruatio reprehendi non possit, cur non & de similibus ritibus candidius iudicant?

Dum fundamentum utriusque tenemus, quod est Christus, & utriusque sumus eadem Christi Ecclesia, concordiam nos utriusque ueripium erat. Ac ut nos libertatem eis gratulamur, ita ipsi uicissim seruitutem nostram, quam uocant, boni consulere debebant. Nec propter leues causas odia accendenda erant, & faciendæ distractiones, præsertim cum aliæ restent controuersie grauiores, propter quas res maximè prodesse nos quam coniunctissimos esse, ne odijs aut studijs factionum, ut sæpe accidit, corrumpantur.

O rem miseram & deplorandam. Quoties in Ecclesia uoluntates hominum leuissimis occasionibus distractæ sunt, Postea factionum studia & æmulationes mutationem dogmatum pepererunt. Ita Arium dolor repulsæ accendit, ut tam triste bellum moueret.

Primum autem oro Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut ipse hæc uulnera Ecclesiarum sanet, & flectat nostras mentes ad concordiam. Deinde illos ipsos ueteres amicos nostros obtestor propter Filium Dei, ut nobis & Ecclesijs nostris parcant, cum alioqui magno in dolore & luctu simus, quem leuari aliorum beneuolentia & consolatione oportebat.

Nos quidem, quia totius nostri consilij summa hæc fuit, ne deferrentur Ecclesiæ, nisi necessariae causæ essent, conscientia piæ uoluntatis nos sustentamus, ac ne nunc quidem possem aliud consilium dare his qui alibi similem seruitutem sustinent.

Nec errat conscientia præferens necessariam conseruationem ministerij Euangelici, non necessariae fugæ. Et sapissimè prohibet



Euangelium rixas de cibis, uestitu; & similibus rebus, si tamen uox doctrinae maneat incorrupta.

Talis cum fuerit & sit conscientia nostra, non abijcimus inuocationem Dei, & supplices oramus, ut exitum consilij nostri regat ipse, & nos gubernet, & prohibeat Ecclesiarum dilacerationes. Sic Paulus iniultae criminationi opponere docet, conscientiae iudicium, cum inquit: Probet unusquisque suum opus, & sic apud sese gloriam habebit, non ab alijs, Id est, Inspiciat quisque sua consilia & facta, & curet, ut bona conscientia regantur, Quod cum ita facit, habetque non uanam persuasionem, sed ueram conscientiae approbationem, hae gloria se aduersus iudicia hominum tueatur, nec pendeat ex aliorum applausu, nec calumnijs fractus suam stationem deserat. Esset omnino plausibile, si rabiose conuisceremur gubernatoribus, & miseritarem eis seditiones.

Hanc isti libertatis assertores dicerent esse fortitudinem & constantiam Propheticae similem. Sed magis nostrae conscientiae iudicia, quam illius Theatri plausus sequamur.

Retinendum est fundamentum & doctrinae puritas, & in magna Imperiorum & opinionum confusione cauendum, ne maiores dissipationes fiant, ne maiora dissidia dogmatum accendantur, & moesta Ecclesiae fouendae, consolandae, consociandae, non deserenda sunt.

Has rationes cum haecenus quidem pio studio secuti simus, speramus Deo uoluntates nostras probari, praesertim cum ipse sciat, quae de grauioribus controuersijs certamina sustineamus.

Quod uero sauciari aliquos scandalis horum timidorum consiliorum dicunt, uideo multos non de doctrina, sed de libertate pugnae. Etsi autem hi quoque dissimiles sunt, & aliquorum dolore moueor, tamen propter hos non facienda est uastitas & solitudo in tot regionum Ecclesijs. Videmus magnas esse non solum iudiciorum & opinionum diuersitates, sed multo magis uoluntatum, & uehementes impetus ad factiones confirmandas.

Hos affectus remoueamus ab his deliberationibus, & quaeramus, ut Paulus inquit: non quid nobis gloriosum aut utile sit, sed quid moestissimis Ecclesijs prosit, quid ad doctrinae & disciplinae conseruationem, & ad tuendam literarum possessionem conducatur.

Haec cum mediocri cura fecisse nos res ostendat, minus mouemur hominum maledicorum sermonibus, Ac de excusatione nostrorum

strorum consiliorum & nostræ uoluntatis alibi plura dicemus. Vos uerò qui à deliberationibus publicis abfuitis, & in statione uestra manetis, manifestam defensionem habetis, cur non abiecto ministerio in templis solitudinem faciatis, quia uocationi parendum est, etiam si qua difficultas toleranda est, modò absit impietas.

Hac consolatione munite pectora, nec sauciari animos illis calumnijs sinee, quæ etiam si speciosæ sunt, tamen ita cogitabitis, mirificas esse præstigijs in calumniando, nec dici aut fieri quicquàm tam rectè posse, quod non plausibiliter deprauari possit. Et hoc sæculo hæc ars in primis excellit, & laudem habet sapientiæ. Sed ueritatis oratio simplex est.

Acquiescite igitur in hac perspicua & simplici consolatione, quòd non deserendæ sint Ecclesiæ propter hos ritus nobis usitatos.

Ad hanc autem consolationem adiungo & has adhortationes. Cùm ærumnæ nos tam multæ exerceant, simus nos in omni uita modestiores, sit maior sedulitas in discendo & docendo, ut magis intelligant omnes, uerè à nobis retineri doctrinam incorruptam. Sit & precatio ardentior, in qua Deo & uniuersam Ecclesiam, & uos ipsos, & uestras familias, coniuges, & paruos natos ueris gemitibus commendetis, quia certissimum est, Ecclesiam non solis humanis consilijs, sed præcipuè à Deo seruari & gubernari, sicut immensa misericordia Deus eam restituit, cum Adam & Heua post lapsum, nullius creaturæ ope, ex his miserijs, quibus oppressi erant, liberari poterant. Et apud Hoseam dicit Deus: Perditio tua Israel ex te est, à me uerò auxilium tuum.

Te igitur omnipotens Deus, æternæ & unice Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ, & hominum, & Ecclesiæ tuæ Angelicæ & humanæ, una cum Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis & resuscitato, & Spiritu Sancto tuo, oramus in his tantis ærumnis, ut propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, nostri miserearis, & Spiritu Sancto Ecclesiam tibi perpetuò inter nos colligas & regas, & poenas immensa misericordia tua mitiges.

A M E N.

DIXI.

VI. Octobris. Anno

M, D, XLIX,

Paulò

**P**aulò post Reuerendus Doctor Pomeranus edidit Ionam Prophetam commentarijs explicatum, & inscriptum Serenissimo Regi Daniae. In illius libri praefatione cum qualia sint, quae Flaciani sparserint & spargant de nostris Ecclesijs, declaret grauius & copiose, legant eam quæsumus, qui silentium accusant nostrum, nec responsum fuisse quidquam queritantur.

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, Domino Christiano Daniae & Noruegiae, Vandalorum & Gottorum Regi, Duci Schlesuicensi, Holsatiae, Stormariae & Detmariorum, Comiti in Oldenborch & Delmenhorst, Domino suo clementissimo, Iohannes Bugenbadius Pomeranus Doctor, Gratiam & pacem à Deo per Iesum Christum, Filium eius, Iusticiam nostram, exoptat.

**C**hristus dicit, Senerissime Rex, Iohannis octauo, de Diabolo: Ille homicida erat ab initio, Et in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo, Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius, id est, fons mendacij. Occidit enim ab initio genus humanum suis mendacijs. Hac uidere licet hodie in operibus Diaboli, quæ exercet ipse contra nos miserè afflictos Prædicatores & Ecclesiae Christi doctores.

Postquam enim uoluntate, consilio, iussione & persuasione Illustrissimi Principis Electoris captiuus (quem Deus liberet sua gratia) dedidimus hanc nostram ciuitatem, & Cæsarea Maiestas dedit nobis subditis & obedientibus pacem, cum hac promissione, quòd nihil agere uellet contra Religionem nostram, quam hætenus seruauimus secundum Augustanam Confessionem, à qua ne latum quidem

dem digitum unquam discessimus. Videns Diabolus, quòd non posset nos delere suis homicidijs ( Christus enim cum suis Angelis fideliter conseruabat nos ) studet nunc, uidelicet Diabolus, nos conspurcare & opprimere suis mendacijs per Adiaphoristicos Scriptores, qui scribunt multis & publicis scriptis in totum mundum, quod nos Theologi, qui sumus fideles. Ministri Christi ( testes sunt nobis multæ Ecclesiæ Christi, quibus fideliter seruiuimus, & adhuc hodie agnoscunt cum gratiarum actione fidele ministerium nostrum ) accepta pecunia à Magistratu nostro, proditores facti sumus Euangelij Christi, & abiectis omnibus bonis ordinationibus defecimus à fide ad doctrinas Demoniorum, & ad cultus Antichristi.

Et audent Hypocritæ publico scripto iurare per nomen Christi & iudicium eius contra nos, in primis uerò contra me, & constituere se in locum iudicij Christi, & iudicare conscientiam meam & minari mihi iudicium Christi, his uerbis, Hoc inquit, testor coram Christo Domino meo iusto iudice, qui hæc & alia plura quæ agit Doctor Pomeranus contra ueritatem & contra propriam conscientiam, recte iudicabit. Nec prodest eis, quòd dicunt se audiuisse à uiro fide digno, quasi Pater Lutherus dixerit: Post mortem meam nullus ex his Theologis manebit constans, Primum, quia, Omnis homo mendax, Noli ergo iurare super uerba hominis, qui potest mentiri; Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum, Non enim erit impunitus qui hoc fecerit. Deinde, quia accusant mendacij Sanctum uirum Lutherum, Hæc enim uerba, Post mortem Lutheri nullus ex his Theologis manebit constans, si rem ipsam spectes, sunt simpliciter falsa, ita ut & hostes Euangelij sentiant & dicant esse mendacium & doleant non esse ueritatem.

Præterea scribunt ex mera inuidia ( id quod nemo non uidet ) contra hanc nostram Scholam, quæ floret in Christo, cui sit gratia, his uerbis, Si haberemus mille Scholas Vuitebergenses, deberemus omnes potius perdere, quàm permittere, ut in una tanta mala fiant, In ea enim corrumpuntur adolescentes falsis opinionibus & praua doctrina contra Euangelium, hi omnes quando reuertuntur quisq; in patriam suam corrumpent alias Christi Ecclesias. Ita faciunt Adiaphoristici Scriptores hanc diuinam Scholam suis mendacijs & blasphemijs communem pestem Ecclesiarum Christi.

Christe fili Dei uiui, qui nos uoluisti tuos esse ministros, Hæc sunt horrenda & tragica Satanæ mendacia contra nos misere afflictos,

afflictos, contra Ecclesias tuas sub cruce laborantes, contra sanctum ministerium nostrum, contra Scholas sanctas, Quibus blasphemis perturbauerunt Ecclesias tuas, & multos bonos homines, quorum multi dolent de nostro quasi lapsu, quidem seducti in ignorantia etiam maledicunt nobis. Cùm autem resciscunt huius rei ueritatem, gaudent & gratias agunt Deo, & gratulantur nobis, Ita electis & dilectis Dei omnia cedunt in bonum.

Generosus quidam uir & eruditus dixit nobis, Principem captiuum sanctum uirum, ita persuasum istis mendacijs, ut diceret in inferiore Germania ad eum, malum uerbum de nobis Vuittembergensibus, sed solita modestia cum animi dolore. Scimus enim quod plus dolet de hoc scandalo, quàm de proprio damno & captiuitate. Ita & accidit iunioribus Principibus, in ista calamitate ipsorum, per mendaces hominum.

Sunt quoque aliqui Prædicatores, qui iactitant fidem, in primis Superbi & Ambitiosi, sed pro charitate iniiciunt in plebem odium contra nos. Hæc est pietas eorum & merces nostra. Alicubi Hypocritæ, qui ex nobis exierunt, sed ex nobis non fuerunt, item & hostes Euangelij urserunt ita homines, Cur non deficitis ab illa doctrina, à qua defecerunt uestri Præceptores, ut uideatis in Adiaphoristicis scriptis? Miror autem uehementer, quid sibi uelint fratres, qui aliunde uenientes ad nos, gaudebant & gratias agebant Deo de omnibus, quæ uidebant, audiebant & cognoscebant, apud nos, Et tamen reuersi ad sua, calumniabantur omnia nostra, ut ante, addentes afflictionem afflictis. Fortassis hoc est quod Christus caput nostrum in Psalmo 41. dicit, Accedit aliquis, ut exploret corde peruerso, quærit quod calumniatur, recedit & deirahit, & c.

Erant & apud nos, qui delectati ista ignominia & contumelia nostra, insidiabantur ut caperent nos uel in sermone, & scripserunt ista mendacia ad alios quasi agnitam & perspectam ueritatem, forte illi quos quandoque offendimus iustis increpationibus, Et alij legentes talia, de quibus olim eram bene meritus, scripserunt ad alios, Ita miscuerunt contra nos cælum & terram, ut nusquam suscipere remur, ne ab Ecclesijs quidem nostris, si quandoque exigeremur in exilium cum uxoribus & liberis nostris propter Euangelij ueritatem. Scripserunt & Adiaphoristici Scriptores ad alias Academias, admonentes, ut & ipsæ scribant contra nos, id quod nobis scripserunt  
domini

domini & fratres nostri ex Academia Regiomontana. Quis non uideat hic maliciam? Certe homines, in quibus aliquid est humanitatis, quos Diabolus non excœcauit odio nostri, bene & certò possunt iudicare de scriptis eorum, quæ scribunt contra nos.

Sunt hic & domini & fratres nostri, cum quibus summa familiaritas & amicitia mihi intercedit, qui me sæpe admonerent, ut scriberem contra tales calumnias, ita ut tandem mihi molesti essent suis admonitionibus, in publicis conuiujs, quò ibam, sperans in hisce turbis aliquam lætam horam me ibi habiturum, uel inter fratres. Sed accedit mihi quod Christus in Psalmo dicit: Sustinui qui simul contristaretur & non fuit, consolantem me quæsiui, & non inueni, Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

Scripti ergo ad tuam Maiestatem ipsam huius rei ueritatem, Deus scit, quòd non mentior, & easdem literas exscriptas mihi Principibus & Ciuitatibus quibus prædicaueram, ne scandalizentur in nobis per mendacia aliorum, Sed lectis literis, reddiderunt nobis Adiaphoristici Scriptores plaustra calumniarum, minantes nobis superbissime, nisi emendemus nostra mala, Quibus dixi, Cessare, fecimus quod exigitis à nobis. Emendauimus omnia mala quæ scribitis contra nos, & traducitis nos toti mundo. Spectaculum facti sumus & Angelis & hominibus. Quomodo inquit, emendastis? Per hoc, inquam, quod dicimus mendacium Satanæ esse omnia quæ scribitis contra nos. Afunt, Vos confiditis in hoc, quod uobis licet confugere ad statum inficiale. Respondemus, Non, sed probantis testimonio omnium Ecclesiarum Christi, quibus fideliter prædicauimus, ut ante dixi. Ego in oculo locutus sum nihil, Quid me cedis? interroga eos qui me audierunt.

Tunc uidens pertinaciam eorum, & quod quaeritur talibus scriptis seditio in hisce terris contra Magistratum nostrum, ad quam non debemus nostra responsione & contentione cooperari, & quod ista tempora sunt nobis fatalia, de quibus dicitur Apoc. 14. Hic est patientia Sanctorum, & eorum, qui mandata seruant, & fidem Iesù, Hæc inquam, reputans apud me, cœpi cogitare de silentio & patientia, id quod postea pii, eruditi & prudentes uiri in nobis probauerunt. Dixi, Custodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea, Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me. Obmutui & silui à bonis, & dolor meus renouatus est, &c. Mea est

uindicta, Ego retribuam, dicit Dominus. Et S. Paulus Galatis, Qui conturbat uos portabit iudicium, quisquis fuerit ille. Qui uos spernit, Me spernit, dicit Christus, & qui Me spernit, spernit Eum, qui Me misit.

Utinam tandem uideant isti Scriptores, quanta mala fecerint in Ecclesia Christi, scribendo contra fideles Christi ministros, & timeant iudicium Dei. Ego quotidie oro Deum, ut hostibus, persecutoribus & calumniatoribus nostris ignoscere, & eos ad te conuertere digneris, Te rogamus audi nos, Ne tradas me calumniantibus me, ut non calumnientur me Superbi, Pater, ignosce eis, quia nesciunt quod faciunt, Et consolor meipsum his Christi uerbis, Beati estis cum maledixerint uobis homines, &c. Sic fecerunt & Prophetis, qui fuerunt ante uos. Sic fecerunt & filio Dei in carne nostra, Confidite, Ego uici Mundum, &c. Christus non remaledixit, Sed sicut agnus ductus est ad mastrationem, & sicut ouis coram tondeute obmutuit, & non aperuit os suum.

Quia uerò Mundus non audit nos, sed perpetuo clamat contra nos, Tu testimonium præbes de teipso, testimonium tuum non uerum, Dico Domino, Domine Deus meus, si feci istud, &c. Psalmo 7. Hæc omnia mala uenerunt super nos, nec tamen obliti sumus tui, nec perfidè egimus contra pactum tuum &c. Psalmo 44. Hic recordor historiæ Dauidis, quam legis 2. Reg. 16. Clamauit Simeï contra Dauid: Egredere uir sanguinum, &c. Dauid autem, dixit, Sinite ut maledicat mihi, Dominus præcepit ei, Maledic Dauidi, &c.

Dico autem tuæ Maiestati ueritatem, quòd in nostris Ecclesijs & Scholis, & in omnibus hisce terris, summa est concordia, non solum doctrinæ Christianæ, sed etiam Personarum, id est, Ministrorum, ut gaudiamus & gratias agamus Deo, quando audimus & alibi esse talem concordiam, Pro alijs autem oramus Patrem in nomine Iesu Christi, Et ego hoc publico scripto admonéo fratres nostros omnes, ut studeant per Spiritum sanctum hanc sanctam concordiam conseruare. Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Si uerò inuicem morderis, uidete ne ab inuicem consumamini.

Bone Deus quantam sylum præbeo eis calumniandi nos & omnia nostra? Præterea clamabunt, Vos debetis respondere de Lipsico Interim. Ego non debeo respondere, neq; de Hinterlm, neq; de Fur Im. Non enim mihi sum conscius alicuius malæ doctrinæ,  
Neq;

Necq; Magistratus noster hoc unquam à me postulauit, tantum abest ut coemerit, quemadmodum mentiuntur contra nos.

Postremo clamat, Vos nunc tacetis, & non uultis consulere afflictis Ecclesijs. Propterea, Serenissime Rex, dedico tuo Maiestati & tuo Nomini hos meos tractatus, qui continent materias utiles & necessarias, præcipue hoc tempore, Ecclesijs Christi, ut tua Maiestas leget & iudicet, Dedit enim Deus tuæ Maiestati intellectum, ut possit cognoscere magnum Mysterium Dei in Christo, ut & omnes uideant nos hæcenus non tacuisse. Tractauimus enim hæc publice in Schola nostra, statim in principio, quando post dedicationem Ciuitatis rursus coepit colligi. Hanc doctrinam publice docemus in salutem omnium, qui sunt in Imperio Romano, & omnium, qui ad Ecclesiam Christi pertinent, etiam alibi extra Imperium agentium. Si uero imperium aut Papale Concilium hanc doctrinam non sustinet, quemadmodum prædictum est in Daniele, Sciat uticissim, quod Christus filius Dei, pro nobis uictima factus, qui constitutus est à Deo iudex uiuorum & mortuorum, non sustinebit posthac amplius insignem blasphemiam in Spiritum sanctum, in hæc tam clara ueritatis Euangelij luce. Nam & Concilium Tridentinum iam ante statuit blasphemiam in Christum, his uerbis, Si quis dixerit, Peccata omnia illi esse remissa, qui remissa esse certo credit ac statuit, atq; hanc esse illam fidem, quam requirit Deus à peccatore, ut iustificetur, Anathema sit, Non enim sic dicunt sacræ literæ, in quibus illud est, contra superbam hanc & temerariam, sæpè etiam falsam fidem; Quis sit si conuertatur & ignoscat Deus? Quibus respondet Paulus, Etiam si nos Apostoli, aut Angelus è cœlo aliud Euangelium euangelizauerit, præter id quod prædicauerimus, & quod à nobis accepistis, sit anathema. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.

Et Petrus plenus Spiritu sancto, in domo Cornelij, coram Romanis militibus, qui primi ex gentibus susceperunt ab Apostolis Euangelium Christi, longe diuersum, contra hanc blasphemiam pro Christi gloria statuit ex sanctis Prophetis. Christo, inquit, omnes Prophetæ testimonium perhibent, Remissionem peccatorum accipere per Nomen eius, quorquor credunt in Eum. Ibi negat Petrus & Spiritus, in ullis sanctis Prophetis legi illam turpem & blasphemam dubitationem, quam docent Papistæ contra fidem



in Christum. Videbit quoque tua Maiestas in hisce meis Commentarijs, quòd Spiritus Sanctus non in sacris literis, ne in Ioele & in Iona quidem, hanc dubitationem dixit aut dicere potuit, Cessate ergo opus pugnare agnitam Euangelij ueritatem, iam pergit Daniel, pergit & Apocalypsis expositor Danielis. Christus seruet suam Ecclesiam contra omnes portas inferorum in uitam æternam,  
A M E N.

Scripsi Vuittenbergæ M. D. L.  
Prima Octobris,

**S**Perabamus autem futurum, ut si hæc cognouisset Flacius, ad ueritatis productæ uocem ac testimonium si nullo percelleretur terrore conscientie, at pudore tamen suffusus ac rubore, uerecundè sese reprimeret, & impetu maledicentiæ frenato, atque cohibita impudentia, paulatim & tacitè cedendo reciperet sese, ne uel conspiceretur amplius in publico, uel exaudiretur uox ulla eorum, quibus hæctenus incessere temerè & falsò patefactam mox innocentiam optimè meritorum solitus esset: Et cogitaret etiam tum de fundamentis suarum criminationum, quàm sint cæca, falsa, lubrica, lacera, malè de suspicionibus, somnijs & fabellis, consuta, & calumnijs malè sarta: tum de dissidijs, quibus Ecclesiam petulantis ac maledicæ linguæ flabello inuoluisset nulla de causa: tum de peruersuris in Ecclesiam horribilibus scandalis, si illata uulnera uellicando arrodendoque lacerare pergeret & exasperare. Multò maximè autem cogitaturum Flacium existimabamus, quæ præstarent beneficia uniuerso orbi Christiano nostri,

nostri, rectè suo loco, & in ea, in quam sunt collocati di-  
uinitus, statione, docendo de Deo frequentes cœtus Schœ-  
lasticos: & hæc vera dogmata eruditè scriptis longè la-  
teq; disseminando ac propagando, de quibus exteris etiam  
gentibus, quæ vel viua voce docentium frui, vel patrij  
nostri sermonis idiomate vti non possunt, veritas diuina  
innotescit: Deniq; velut in perpetua & contra hostes Ec-  
clesiæ Christi comparata atq; adornata militia infringendo  
aduersariorum conatus. Ideoq; aut desitutum à crimi-  
nando, aut moderaturum clamores, ne & posteritatem  
tantis defraudaret beneficijs, & occupatas sanctas operas  
nostrorum doctrinæ defensione contra tot hostes, & velut  
elaboratione atq; expolitione vltima eiusdem interpellaret,  
& collationes impediret doctorum inter se de rebus maxi-  
mis: Quod fecisset, si quid, non dicemus Christiani animi,  
quem frustra in eo requirimus, sed ingenij aliquid habuisset  
humani.

Adeò autem nihil istorum mouit eum, vt oculis oc-  
clusis, obturatis auribus, animo in suo proposito pertina-  
cius obfirmato, ita componeret se, tanquam qui nec doceri  
nec cernere, audire, cognoscere vellet quicquid eorum, quæ  
fierent & dicerentur. Imò vt qui nullo habito respectu  
Ecclesiæ, veritatis, vtilitatis & tranquillitatis publicæ,  
innocentiæ nostræ, laborum & erummarum, quas pro Ec-  
clesia sustineremus & exhauriremus, rata haberet vellet,  
quæ de nobis ex criminibus à sese confictis ipse statuisset  
& sanxi-

Et sanxisset: Et qui, nisi hoc obtineret, ausurus videretur omnia. Redijt itaq; ad veteres vomitus, & repetitas eodem coccyfmo veteres criminationes nouis calumnijs ad eum modum exaggerauit & exacuit, vt appareret liquido, nihil eum aliud agere & conari, nisi vt clamoribus his commoueat & perturbet animos hominum, & ex perturbatione in dubitationem, ex dubitatione in suspicionem de nonis insidijs & metum, & ex metu & suspitionibus in odia, ex odijs in consilia & conatus seditiosos concitaret atq; conijceret.

Clamabatur tunc atrocius quàm antea, Discessum esse à veritate & defensione doctrinæ Christianæ: religionem ad studia & cupiditates potentum detortam esse & attemperatam: ritus impios in Ecclesiam reuocatos esse: conciliationes tentatas Christi cum Belial: Scortum Babylonicum in Ecclesiam intromissum esse, & similia, quorum manifestam impudentiam & vanitatem non tantùm in publicum edita scripta & viue docentium voces redarguebant, sed & res ipsæ illo ipso tempore, & quæ in oculos atq; aures omnium incurrebant, sine vlllo patrocinio vllorum refutare poterant apud eos, qui veritatem quærent. Cùm nihil omnium illorum, quæ à Flacio planè tragico & toties ingeminato boatu nostris obijcerentur, audiretur vel auditum esset vsquam, conspectum nihil, nihil cognitum, Deniq; tentatum aut susceptum nihil, & ne quidem cogitatum: Et studium nostrum in asserenda veritate

ritate publicè iam esset testatum factum, & magis quoti-  
die testatum fieret omnibus, qui videre vellent & cognos-  
cere.

Demonstrabantur autem hæc ipsa fundamentis &  
rationibus iisdem, quibus antea, persuasionibus suspicio-  
num, indicijs privatis hominum incertorum, vanis rumus-  
culus, toties repetitis somniorum ludibrijs, calumnijs &  
depravationibus rectè dictorum & factorum. Miscebantur  
& Principum negocia, ita quidem, vt non obscure  
odium nobis & periculum crearetur, qui in his locis sub-  
sisteremus. Quodq; ab eo Principe, quem illi oderant, &  
picturis atq; scripturis deformare conarentur, non recede-  
remus, desertores nos & proditores tam veritatis quam  
officij haberi volebant. Nam & inter Flaciana crimina  
obijciebatur nobis nostra in hanc Academiam reuersio.  
Quærebantur novi belli vel seditionum potius causæ & oc-  
casiones, & classicum scriptis cruentis ac seditiosis, &  
tribunij concionibus canebatur. Ad arma capienda in-  
citabatur populus, vt vix pagella prodiret decem versu-  
um, quæ in conclusionem minacem ac cruentam non desi-  
neret. Terrebamur & nos minis seditionum. Et quòd  
comminatione earundem Principibus non incussissemus  
metum ac terrorem, condemnabamur. Quin & occultis  
scriptionibus ac machinationibus pertentabantur & sol-  
licitabantur contra nos moderatiorum animi, quos adhuc  
fauere nobis, & quæ fecissemus probare constabat.

F

Hæc

*Hæc cum ita gererentur à Flacio, & addictis ipsi satellitibus, faciliè intelligebamus, Imò re ipsa experiebamur, nunquam fore, ut voces nostræ exaudirentur à vesanis hominibus odioq; impulsis ad hanc causam & ambitione, nec querentibus veritatis & Ecclesiarum conservationem, sed euerfionem nostri, & deletionem nominis & memoriæ huius Scholæ & beneficiorum inde profectorum. Populus etiam exacerbatus antea domesticis & publicis calamitatibus, ab inquietis illis ita & suspicionibus complebatur, & incitabatur odijs, ut aures similiter nobis non videretur præbiturus. Rectissimum itaq; videbatur tentare, ac ferendo potius & tacendo, quàm referendo ac recriminando calumniatores frangere nostros, & feruidos vulgi impetus mollire, & sopire clamores possemus, præsertim cum isto statu rerum aliter fieri non posset, quàm ut respondendo dissidia auferrentur, & rixis præberetur pabulum, quibus salus publica tolleretur atq; obrueretur, & inclinatæ res Germaniæ & patriæ communis ad ruinam, ut à nobis etiam hoc modo impellerentur. Neq; aduersarijs etiam nostris Pontificijs hanc indicauimus voluptatem creandam esse, ut nostris certaminibus & digladiationibus vel ipsi sese inter se suauiter titillarent, vel erigerentur in spem recuperandæ pristinae tyrannidis: Multò minus occasionem dandam esse illis tantam ac tam oportunam censuimus, ut occupatis nobis mutua laniena, & de linea veste stolidè præliantibus, interea  
ipsi ali-*

ipsi aliquos non satis confirmatos, & alioquin timidiores metu seueritatis, quæ in pios exercetur, à societate nostrarum Ecclesiarum, & professione doctrinæ prætextu dissidiorum retraherent sub pristini seruitutis Pontificiæ iugum: Aliquos tristi & deformi discordiarum intestinarum specie, absterrent, ne se coniungerent nobiscum: Aliquos vi opprimerent. Quantopere enim veræ doctrinæ propagationem impediuerint, & quantum causæ nostræ offecerint, & noceant quotidie clamores isti, ante oculos & in conspectu est. Neque ignorabamus voces quorundam, qui ad extirpandos Lutheranos bello non amplius opus fore dicebant. Ruituros enim breui suis inter se mutuo iugulatos & consumptos contentionibus, & plurimos altercationum & rixarum pertæfos, atque in dubitationem adductos, sponte sese recepturos ad Ecclesiam Romanam, à qua discessissent.

Tanta præterea acerbitate animorum, & impudentia tanta atque audacia fingendi & asseuerandi quiduis causa agebatur à Flaciano satellitio: tam subdole denique & fraudulenter structis technis atque artificijs hominum animi velut cogebantur, ut non habitura ea diuturnos successus certò nobis persuaderemus, futurumque confideremus, quod talibus artificijs accidere solet, ut sua sponte paulò post conciderent, sequè ipsa refutarent. Repetebantur enim subinde anathematismi, quibus crimina in nos conferebantur non supplicijs corporum, sed æternis luenda

atq̄ expianda cruciatibus. His diræ miscebantur atq̄ execrationes, quas suis quisq̄ cupiditatibus & odijs prætexebat, vt inde nouorum motuum occasiones detexeret. Et post excussos in nos defixosq̄ omnes contumeliarum aculeos, addebantur minæ, flagitabantur palinodie, ferebantur leges & conditiones reconciliationum & reditus in gratiam, quibus iuebamur agnoscere & confiteri, & commissa esse à nobis hæc, quæ Flacius prodidisset scelera, & merito nostro has nos sustinere ceu pœnas criminationum & condemnationum, quas ille statuisset, & indixisset.

Etsi igitur veritatem vinci mendacijs, innocentiam calumnijs opprimi, excœcari iudicia affectibus, recta & sancta studia conatibus aduersis & improbis impediri, non poteramus non dolere, tamen repressimus nos, & cessimus indies magis magisq̄ incandescenti vehementiæ vel potius crescenti furori Flacij. Cessimus & vulgi inconsideratis clamoribus, silentiq̄ patientia exceptis ac transmissis vastissimis conuiciorum, calumniarum & criminationum fluctibus, quibus inundabamur & penè obruebamur: consolabamur nos illo Psalmi dicto: Maledicent illi, & tu benedices. Pepercimus Ecclesiæ, cui & grauius faucibus & gementi ac mœrenti illo mœstissimo tempore, vulnera non exacerbanda, neq̄ acuendi erant dolores vel rixis futilibus de re nihili, qualibus sæpe antea Ecclesiæ consensum turbatum ac dissolutum noramus ex

Historijs

*Historijs cum periculo & iactura veritatis doctrinae, vel  
acerbis refutationibus calumniosarum criminationum,  
quibus petebantur priuatim personae. Accedebat hoc  
quoque, quod p̄j & boni vbiq; locorum, & detestabantur  
hos Flacij virulentos conatus, & nos obtestabantur, ne  
deposita aut remissa etiam cura incolumitatis publicae vel  
potius veritatis, cuius patrocinium & defensionem susti-  
nuissemus fortiter & faeliciter tot annis, à moderatione  
ad scurrilium rixarum certamina commoueri nos patere-  
mur. Sed vt potius intra haectenus vsurpatae moderationis  
metas eum persequeremur cursum, quem tenuissemus sem-  
per, quemq; & nostris priuatim & coniunctis Ecclesijs  
publicè profuisse & prodesse comperissemus. Imperitiae  
multitudinis impetus, quos non iudicio & consideratione,  
sed Flacij incitationibus inflammari & regi cerneremus,  
sua sponte paulò post deflagratos esse, & plurimos ex  
hac ipsa multitudine cum calores deferbuisent irarum, &  
ocalluisent in exulceratis animis vulnera de ciuilibus bel-  
lis & turbatis ab Imperatore Ecclesijs reliqua, auribus  
minus occupatis admissuros excusationes nostras, & seda-  
tioribus animis rectius de causa cognituros & iudicatu-  
ros. Vt frustra quaeritur tuta nauibus statio, cum senum  
Mare internis concussum & agitatam feruet aestibus, &  
magna vi foris incumbentium flatuum turbinibus magis  
impellitur: sic frustra nos quaesituros nostrae innocentiae  
praesidia, aestuantibus intus adhuc animis, & frementibus*



illis irarum, indignationum & odiorum fluctibus, quos ci-  
uilia bella & conatus Imperatoris in obtrudenda Sphynge  
Augustana commouissent, foris autem hos Flacio nouis  
calumnijs uehementius irritante ac percellente, quibus si  
responderemus, fore ut lis duceretur, & dissidia magis  
magisque accenderentur & gliscerent, & tandem altercan-  
do amitteretur veritas, praesertim cum appareret, ita affe-  
ctum esse Flacium, ut non cessurus, sed pro vno responso  
vero, gemina videretur nobis redditurus esse & menda-  
cia & conuicia. Per se etiam honestiorem semper esse, quae  
re fieret, quam verbis defensionem ac refutationem. Non  
ignorare nos, quae in magnis & fatalibus motibus ac mu-  
tationibus publicis accidere soleant, ut à pessimo quoque  
opprimatur crudelius, quo quisque melior est & innocenti-  
or: Et quo consulit quisque rectius, eò ab imperita multitudine  
grauius culpetur: quoque nauat plus quisque, ac praestat pub-  
licè, eo iniquioribus sententijs condemnetur, si ad affe-  
ctus vulgi consilia non inflectat. Oportere recta suadere  
& facere volentem in magnis & publicis dissensionibus ad  
omnes sese casus placido & tranquillo animo excipiendos  
ac perferendos praeparare. Etsi omnibus & publicarum  
criminationum & clandestinarum obtrectationum ac ma-  
chinationum modis oppugnemur à Flacio, non adimi ta-  
men nobis vllorum honestorum hominum studia, neque ex-  
tingui erga nos benevolentiam, quòd consiliorum & co-  
natuum ipsius fontes & scopi minime sunt obscuri, & ne  
ignoren-

ignorentur, ab ipso etiam declarentur crebra cædium, oppressionum, seditionum, mentione & inculcatione. Intelligi à sapientibus & vera αἴτια clamorum istorum, & has à nobis sumptas ἀφορμὰς καὶ προφάσεις, quæ odys aliunde natis & cupiditatibus ac studijs in alium finem directis titulo religionis prætendantur, & quòd non plectamur εἰ ἀμάστιμα τοῦ πρὸς λύσαν ποδὸς ἐν χορεία. Deniq; petulantiam vsurpari à Flacio intolerandam & publica dignam animaduersione. Satis autem de obiectionibus falsis responsum esse.

Cessimus ergò, & ità cessimus, vt de intentata nobis propter lineæ vestis concessionem lite, & calumnijs ac criminationibus exaggerata, nihil contenderimus amplius, sed suo quisq; loco & conditione, qua potuimus fide, industria, sedulitate & assiduitate curauerimus & promouerimus ea, quæ Ecclesiæ necessaria ac salutaria & tunc esse intelligebamus, & futura in posterum prospiciebamus, etsi oppugnabamur multipliciter, à Flacij quidem satellitio & similibus, venenatis calumnijs & insectationibus: Ab hostibus verò Pontificijs, scriptis pariter & insidijs, quibus petebatur vita, & iugulum præcipuorum Scholæ nostræ Professorum & optimè meritorum: Omnino enim persuasum & tunc nobis erat, & est nunc quoq; ita demum rectè collocaturos nos operas nostras ac preciosissimi temporis vsuram: & stationem hanc, in qua consistimus, ita demum rectè tutaturos nos, si nostra  
illustran.

illustrando, aduersa refellendo, & pullulantium subinde nouorum errorum semina frangendo & comminuendo, priusquam radicibus actis adolescerent, traderemus Ecclesie certam & ex Sophismatum nexibus explicatam doctrinam: Siq̄ cœtus Scholasticos, qui magnis agminibus confluebant & confluent, præcipuè ad audiendam velut cygneam vocem optimi Præceptoris Philippi Melanthonis, ita excoleremus, conformaremus & instrueremus, vt cum velut in vestigia nostra succederent, Ecclesijs, Rebus publicis & Scholis vsui essent, ornamento ac præsidio, & retinendo tuendoq̄ depositum, quod quasi de manibus nostris accepissent, id præstarent exemplo nostro, quod à nobis præstitum meminissent.

Eodem tempore præter hæc mouebantur lites nobis, & bella parabantur multiplicia ex locis diuersis, atq̄ ex his rursus ferebantur alia, quæ vigilantiam, attentionem, circumspæctionem & considerationem flagitabant. Imperator noui conatus metum incutiebat Synodi Tridentinæ coactione. Nec occultabantur magnificæ & quasi confirmatæ spes aduersariorum, quas illi de Synodo in rem suam conceperant tantas, vt tanquam de iam deletis nobis funditus, receptoq̄ & stabilito regno suo triumphare viderentur. De iusticia essentiali, excluso nimirum à iustificatione merito & sanguine filij Dei, Osiander tantis cum fulminibus dirarum & execrationum, tantoq̄ cum boatu bellum nobis inferebat, vt nisi bonitas causæ ac  
Veritas

Veritas nos texisset ac fulciuisset, toleraturi impetus atq;  
insultus tam violentos, & superaturi non fuissimus. Quam  
rem tentare Osiander nunquam fuisset ausus, nisi ex fra-  
cta apud imperitum vulgus clamoribus Flacy & labefa-  
ctata autoritate Academiae nostrae penè certos sibi suc-  
cessus promisisset.

Ex his Osiandri disputationibus texebat aliam te-  
lam argutiorem & periculosiorem Stancarum de Media-  
tore, & de modo loquendi, quem uocant communicationē  
idiomatum. Haec magno labore extricatam ex spinosis &  
perplexis humani iudicij ratiocinationibus ab Ecclesia do-  
ctrinam, de vnione duarum naturarum in Christo inuolu-  
tura & obscuratura vel etiā deletura videbatur, nisi dissuta  
vel incisa potius maturè fuisset. Alibi aliorum spargeban-  
tur errorum initia, quae sapientes gubernatores de iudicio  
& sententia Academiae nostrae & Philippi Melanthonis,  
priusquam suffragatorum & asseclarum viribus aucta in-  
ualescerent, sopiebant. Deniq; in plurimis locis excitata  
his vociferationibus Anarchia, & renouato subinde fomi-  
te confirmata, ita conuellebat Ecclesias, vt funditus dis-  
iectura & euersura rectè constituta, & vastitatem in-  
finitam paritura videretur. Crescebat licentia fingendi,  
audacia mouendi, confidentia perficiendi quiduis, in quo-  
cumq; ignauissimo etiam & profligatissimo homine, qui  
mediocria ad tribuniciè & seditiosè concionandum, &  
vulgi animos inflammandos adiumenta habebat.

G Imperator

Imperator verò deceptus spe sua de Sphynge Augustana, Synodum Tridentinam ea seueritate cogebat & urgebat, vt conquieturus non esse exploratè sciretur, nisi controuersias ad cognitionem & compositionem deduxisset. Ideò ea, qua poterat id facere, autoritate imperabat Principibus, qui discessissent à Romana Ecclesia, vt sub fide publica sisterent Theologos ad reddendam rationem de doctrina, quam professi essent Pontificiæ aduersam, & ad causas exponendas seunctionis ab Ecclesia Romana. Se contra præstiturum promittebat, vt non audiretur tantùm & cognosceretur ac pensitaretur doctrina nostrarum Ecclesiarum, sed etiam vt de indicatione & admonitione nostrorum, si quid emendandum videretur aut mutandum in Pontificia religione, id corrigeretur aut aboleretur.

Hoc statu rerum nostri rursus memores & officij sui, & perpetuæ constantiæ, & salutis Ecclesiarum, ne aut deessent veritati laboranti, aut destituerent Ecclesiam tum demum seriò periclitantem & in extremo constitutam discrimine, aut metu periculorum defugere & tergiversari confessionem viderentur, ita rem gerebant, Deo hæc omnia benignè ac feliciter gubernante & dirigente, vt cum fragore terribili vibrata ab Osiandro fulmina in Academiam nostram simplicis veritatis obiectu facile eliderent, retunderent, & à nobis amolirentur, cardine totius controuersiæ perspicuè & disertè demonstra-

to ac refutato, sine mutuorum conuiciorum acerbitate, & omiſſis parergis, quæ Periclea grandiloquentia miſcuerat, aliena à propoſito: Stancari deliria breui, ſed erudita refutatione compeſcerent: Reliquas turbas alibi exortas etiam non magno negotio ſedarent, tum conſulendo tum inſtruendo & iuuando eos, qui vt exierant ex nobis, & erant ex nobis, ſic tueri conſenſum in doctrina nobiſcum cupiebant: Et his conſectis, totos ſeſe ceu accingerent atq; expedirent ad certamen ſummum & maximum, defendendæ ſcilicet tuendæq; in Synodo doctrinæ Eccleſiarum noſtrarum contra potentiſſimos in orbe Chriſtiano aduerſarios, Quod certamen videbatur poſtremum futurum eſſe, & Eccleſijs noſtris aut pacem & ſecuritatē, deuictis conſutatione & Imperatoris autoritate reſpreſſis aduerſarijs, aut contra his reſtitutis in integrum, cum mutatione pernicioſa perpetuam interuentionem allaturum, Imperatore ſpe conſtituendæ concordie in orbe Chriſtiano, ſeuerè & pertinaciter atq; obſtinatè collationem de doctrina flagitante. Horum vt prius ſperari valdè non poterat, ſic alterum metui neceſſe erat, quo condiſcreta iam cõperant, quæ exequuturus Imperator omnino fuiſſet, præſertim ſi comparere nos in Synodo recuſaſſemus, niſi Pontificium agmen, quod concurrerat, diſturbaret, & quæ ſtruebantur, euertiret Mauricius Elector Saxonie, decretis impijs, quæ iam ſancita erant, vno ic̄tu incidiſſis & deletis velut Gordio nodo.

Vt ergò toti Ecclesie publicè ante illam <sup>σύνοδον</sup> cum aduersarijs ostenderetur, quam Synodo doctrinam opposituri essemus, & in qua constituissimus Dei auxilio perseuerare, & eximerentur etiam animis hominum omnes vel minimi sinisterarum suspitionum aculei, si qui adhuc ex mendacibus Flacij calumnijs reliqui, aut languidiores & imbecillitate pavidos turbarent: aut odijs alieniores, quo minus nobis reconciliarentur, impedirent: retexebat Philippus Melanthon nostrarum Ecclesiarum nomine Confessionem Augustanam, In qua repetitione declarabat plenius, & distinctius doctrinae capita, quae confessio Augustana breuius indicarat, & singulis ad Symboli Apostolici fontes reductis atq; accommodatis, conuincebat aduersarios, quòd cum ipsi dogmata fundamento còtraria retineant, & iniusta senecia Tyrannicè stabiliant, causam praebeant nostris iustissimã ab ipsis dissentendi, et cum hæc dogmata, tum conatus Tyrannicos veritatis cœlestis voce redarguendi & improbandi. Intexebat etiam refutationes eorum Sophismatũ, quibus pingere interea aduersarij suos abusus atq; errores, nostrosq; fallere & eludere didicerant. Et còtrouersias explanabat, quas Osiander & alij mouerant interea, ne vel dissensiones nostrae nobis obsessent, disertè & explicatè professuris, quae sentiremus & doceremus, vel propter omissas in præcipuis capitibus controuersias, ambiguitas aliqua negociũ facesseret, aut afferret moram.

Cum hac se confessione tam ardenti, confitendae veritatis

ritatis studio coniungebat multo maxima pars nostrarum Ecclesiarum, ut spe non dubia confluxura rursus & coalitura discerpti miserè ac dilacerati corporis Ecclesiarum nostrarum membra consideremus. Ipse verò Philippus Melanthon ad offerendam eam Synodo confessionem, & propugnandam proficiscebatur, ut nihil omitteretur diuino auxilio, quod & gloriã Dei celebraret, atq; Ecclesiæ proferret terminos: & doctrinæ quam sequeremur, adderet robur, ac fidei plus conciliaret atq; autoritatis: & conscientias ad Deum consolaretur, leniretq; fortunam quæcumq; accideret: & ceu recollectas ex naufragio tabulas quassatæ & laceræ Ecclesiæ cogeret rursus & coagmentaret, repetitæ constantiæ ac confessionis exemplo roboratas.

Eo ipso etiam tempore Philippi Melanthonis opera seruiebat Ecclesijs Illustrissimi Principis Megalburgensis Ioannis Alberti &c. in describenda forma quasi politie Ecclesiasticæ, quæ ex concinnè distributa doctrinæ capita ad modum examinis, cum iusta & dilucida explicatione, & celebrandorum in templis rituum ordinem complecteretur. Descripsit hanc ergò tunc, & liber editus titulo Ecclesiarum Ducatus Megalburgensis, eam meruit approbationem in nostris Ecclesijs & peregrinis, ut velut Canon normam doctrinæ populo proponendæ multis in locis regat. Nec cæterorum quisquam vlla in parte interea Ecclesiæ defuit, cum suo loco viua voce docendo, tum publicis scriptis posteritatem inuando. Ex-



tant, cum plura alia & eodem tempore & post publicata  
Philippi Melanthonis scripta, atq; inter cætera præcipuè  
commentarijs illustrata Epistola Pauli ad Romanos, Lo-  
corum communium repetita lingua patria expositio, tum  
præclara monumenta Principis Anhaltini, Doct. Pome-  
rani, Forsteri & aliorum, qui adhuc in viuis sunt, eodem  
tempore elaborata & absoluta.

Deniq; (vt semel dicamus) hoc à bello tempore  
egerunt præcipuo studio, vt diuulsas dissi-  
ditas rursus copularent Ecclesias: turbatas pacarent, sedu-  
ctas reducerent in viam. Idcirco & iussu mandatoq; Il-  
lustrissimorum Principum Neoburgi in recens motis con-  
trouersijs cum Hassiacis Theologis & alijs quibusdam  
consensum constituerunt, Osiandricis, Schuuenckfeldicis  
& alijs erroribus reiectis et declaratis. Et accersiti ab am-  
plissimo Senatu inchoatæ vrbis Noribergæ de Osiandri cõ-  
mentis iterato pronunciarunt, tam perspicuè, vt vel inuitos  
quosdam ex osoribus nostris fateri oportuerit, non sese in-  
tellexisse momenta controuersie, nisi de indicatione & ex-  
plicatione Philippi Melanthonis, Noribergæ conscripta.  
Reliquos vehementer magis atq; acerbè, quam vere & ex  
fontibus Osiandricæ causæ fundamenta oppugnasse. Hæc  
scripta publica omnibus superbissimè & arrogantia plus  
quam Thrasonica abiecit Flacius, quòd ea careant conuici-  
orum acerbitate & atrocitate condemnationum, quas zeli  
nomine solent venditare & iactare. Sic nec dissimulatum  
est

est quidquam, nec prætermissum de Schuuenckfeldicis de-  
lyrijs, neq; in disputationibus, quæ publicè contra autorem  
& ex professo institutæ fuerunt apud nos, neq; in scriptis,  
quæ extant, quæ etiam & erudire nunc plures, & profu-  
tura plus posteritati non dubitamus, quàm prolixas decla-  
mationes Flacy, quibus Stenckfeldium ita oppugnat, vt  
doctrinam *ωσι λόγῳ* impugnet, præsidijs contra eum ex  
Samosatenicis & Arrianicis fontibus petitis, & raptibus  
atq; enthusiasmis Schuuenckfeldij, hominis in truncos &  
stipites conuersione, & confusione eorum, quæ distinctè à  
nostris ac disertè tradita sunt, patrocinetur magis quàm  
quisquam sectatorum ipsius autoris.

Hæc publica nostrorum erga Ecclesiam merita, &  
hi assidui ac necessary labores adeò non fledebant Flaci-  
um, vt vesana odia eius magis magisq; inflammarent,  
quòd his obscurari nomen suum & auctoritatem, & præ-  
ferri ea ipsius nugacibus & maledicis chartis experire-  
tur. Certè repetitio Confessionis, etsi ea occasione scripta  
est, quod processura Synodus Tridentina existimaretur,  
neq; eorum quæ à Flacio contra nos declamabantur men-  
tionem faceret, tamen valere apud eum debuit, quòd in  
ea de toto corpore doctrinæ, quæ Pontificijs opponeretur,  
illustria & perspicua testimonia extarent, vt si maxime  
ante illud tempus aliquam suspicandi aut erroris etiam  
causam aliquis se iustam habuisse queri potuisset, ea tollere-  
tur, & magis iam planum fieret, nostros a pristina  
doctrina

doctrina nequaquam recessisse, nec quicquã quod veritati contrarium esset concessisse, aut concedere etiam deinceps cogitare. Quod si delictum etiam ante hoc tempus verè à nobis aut nostris fuisset aliquid, & factum imbecillius: tamen quod talis confessio re ipsa esset resipiscentiæ argumentum euidentissimum, satisfacere potuisset ijs, qui has Ecclesias saluas esse voluissent. In quibus omnino fuisset aliquid pietatis reliquum, y neq. paucis neq. paruis benefactis & meritis erratum vnum vel lapsum aliquem non grauatim condonassent.

Sed nihilo placatior factus Flacius cum eadem, qua antea vehementia ad pristinos coccyismos redijt. Hanc etiam confessionis repetitionem, quod nutantem, & iam labentem existimationem ipsius impulsura magis, atq. Ecclesiæ concordiam quam dissoluerat, redditura videretur, vt supernuacaneam culpæ fuit ausus, scilicet ne quid intentatum relinqueret eorum, quæ existimaret, aut impeditura esse suscepta contra aduersarios pontificios certamina, aut extenuatura vel in contemptum adductura, ea quæ præstita essent à nostris, aut crescentem rursus autoritatem nominis & Scholæ nostræ repressura, aut rursus paulatim coeuntem concordiam, priusquam coalesceret, dissutura vel diuulsura. Et haud scimus an ab aduersarijs pontificijs, ad disturbandos hoc mendaciorum & calumniarũ fumo alueolos Ecclesiarum nostrarum non fuerit conductus. Adeò enim contra dogmata Papisica  
nec

nec suscepit vnquam nec conatus est quicquam serio (ponamus enim quod sit ad eam rem idoneus) vt nostros labores aut serio impedire studuerit, quibus potuit modis & rationibus, aut superbe & Thraſonicè contempserit & abiecerit.

Deniq; quæcumq; à nostris dicerentur aut fierent, ipse ita asp̄nabatur & repudiabat, vt in suo perseueraret obstinatè proposito, & cùm ante hac edito Magdeburgi anathematismo has terras & scholas ab Ecclesia exclusisset, non mutaturum se sententiam de nobis suam, nec in Ecclesiam nos recepturum ostenderet, nisi ipsi sententijs nostris, & nostra confessione nos eorum condemnassemus, de quibus falsissimè ab ipso traducti eramus, & conuictos nos facinorum testaremur, & culpam publicè deprecaremur. Declarauit & postea conditionibus latis in ijs actionibus, quas pacificationes videri volebat, nisi hoc fieret, se amicum nobis esse non posse.

Etsi autem non ignoramus commonefacti multorum præstantium virorum exemplis, quid accidere soleat in dissensionibus publicis, cùm animi iustis doloribus sauciati, postea vel leuibus suspicionibus tentantur, dum vulnera adhuc recentia sunt: tamen infœlicem & quasi fatalem cœcitatem multorum demirari satis & deplorare non possumus. Nam si eo candore & iudicij rectitudine, vel etiam ea sedulitate ac diligentia, studuissent illi inquirere & cognoscere, quæ à nostris scribebantur, do-

H      cebantur,

cebantur, consulebantur, & vniuersim pro communi salute  
omnium Ecclesiarum Germaniæ gerebantur & sustine-  
bantur piè, constanter & grauitè, qua excipiebant, quæ à  
Flacio ex suspicionibus venenatis ac violentis de occultis  
& priuatis, & ex rumusculis ac somnijs calumniose excu-  
debantur ac producebantur ad infamandas Ecclesias no-  
stras & optimè meritos ministros opprimendos: siq; com-  
parata inter se vtraq; pensitassent ea grauitate, quæ est gen-  
tis Germanicæ: tum neq; ipsi impelli sese atq; commo-  
ueri contra insontes fuissent passi, neq; in eas Ecclesiæ  
deuolutæ fuissent calamitates, quibus cum nunc con-  
flictantur, neq; ex inclinata et penè præcipitata autoritate  
publica scholarum creuisset tantopere in hostibus contra  
nos rabies, nostris extimulata & armata dissensionibus:  
in inquietis ingenijs apud nos licentia & audacia.

Pij quidem & intelligentes ingenti dolore & ge-  
mitu deplorabant hæc mala, & eò magis quòd neq; consi-  
lij neq; auxiliij adferre quid possent. Promiscua multitudo  
præcentoris sui Flacy dirum & ferale subinde reddebat  
carmen, quo ita perstrepebant ac personabant omnia, vt  
voces eliderentur nostræ, & proicerentur scripta. Quem  
sciebant pleriq; iudicio & suffragatione Lutheri, initio  
emendationis, doctrinam ex magna perplexitate &  
confusione opinionum, qua implicabantur etiam, hi, qui  
eminere inter nostros, & inter præcipuos haberi vole-  
bant, verè diuina dexteritate & perspicuitate erutam

atq;

atq; expeditam redegisse in corporis formam Augustæ,  
vt quid interesset inter nostras Ecclesias & Pontificias  
conspiceretur, & postea in Locis Communibus, cum Lu-  
theri approbatione explicasse vberius: Cui ita salutem  
credebant suam, vt de præscripto eius confessionem edere,  
qua niteretur salus cuiusq;, non dubitarint: Cuius post  
bellum & scripta legebant plurima nulla in re à prioribus  
discrepantia, & voces audiebant easdem, & iterum re-  
textam ex priore confessionis formulam vsurpabant: Cui  
curam educationemq; committebant filiorum: A quo pete-  
bant responsa in rebus dubijs: Et cuius contenti sententijs  
cedebant: Cuius innocentiam in ijs rebus, de quibus falsò fu-  
erat traductus, argumentis vanissimis & leuissimis, & ex  
obsuro incertoq; ac planò falso fundamento extructis, ige-  
norare non poterant, quod de ea ipse ex professo & publicè  
esset testificatus: Cuius deniq; scriptis quotidie prodeunti-  
bus ita carere non poterant, vt si vel hiscendum esset, ver-  
bis & rebus inde depromptis vterentur: Et cuius editiones  
postremas Cygneas cantiones appellitabant: Hic ergò  
assiduarum operarum, curarum, vigiliarum & ærumna-  
rum hunc fructum, & hæc ferebat præmia, vt de impu-  
dentibus, mendacibus & Sycophanticis chartis reus  
perageretur vulgò eorum criminum, quibus atrociora  
nulla cogitare mens humana potest, & Academia, in qua  
& ipse & nos reliqui à tot millibus audiebamur, lerna  
hæreseôn proclamaretur, & feriretur anathemate,

præeunte verba, ac velut præcinente homine profugo & errone, cuius & nomen ignotum ante fuerat, & incerta erat origo, incerta religio, & quidem rationes condemnationum afferente, quas diximus. Quas de reconditis & diu cumulatis thesauris suarum, vt vocat, demonstrationum ille promebat suspiciones, fabellas, somnia, detorsiones rectè & simpliciter dictorum, eæ confestim ita arripiebantur, vt pro nihilo haberentur, quæ verè, firmiter & explicatè contra dicebantur ab eo, quem Magistrum & Præceptorem veræ & religiosæ pietatis ad Deum quotidie sequebantur.

Miramur hæc, & miramur merito. Neq; causas intelligimus, cur fumos suspicionum & somniorum seductiones, & incertas atq; aberrantes fabellarum ambages, & calumniarum perplexos ac sinuosos flexus ac nexus, mendaciorum deniq; tenebras, à Flacio offusas sequi potius voluerint, quàm expeditum iter publicis scriptis clarè & conspicuè demonstratum, ijs testibus, qui in Ecclesijs nostris semper fuerunt ἀξιόπιστοι? Aut cur rimari etiam & scrutari priuatim disputata de ritibus externis in his Ecclesijs uoluerint potius, quàm illis stare & niti de doctrina sententijs, quæ præscriberentur publicè Ecclesijs omnibus? Hæc vero cum iudicio nullo fieri potuerint, aut fatali impetu seculi, aut errore affectato vel maleuolentia, vel vtroq; factò vt sint oportet. Fatales impetus excusationem admittunt. Error affectatus, veritate

ritate demonstrata, grauis admodum est. Sed grauior cum errore affectato coniuncta maleuolentia & nocendi cupiditas, qualem esse in satellitio Flaciano res declarat, cum imperita multitudo artibus Flacij decepta & incitata facto seculi errauerit. Et fiunt hæc eò grauiora, si non vnum priuatim, sed publicè plurimos: si non corpus & vitam, sed famam lædant atq; existimationem eorum in Ecclesia ministrorum, de quorum innocentia necesse est erudiri posteritatem contra calumnias & infectationes, vt quibus autoribus emendatæ doctrinæ vox sit tradita & propagata, posteritas sciat. Magis autem miraremur hanc conuersionem, nisi dissensionum publicarum hos fructus esse & exemplis admoneremur, & nunc malo publico didicissemus.

Quanquàm igitur ex omnibus nostrorum scriptis, ad quæ prouocamus, planum est, nihil in confessione veritatis illo formidolosissimo tempore, & statu Germaniæ perturbatissimo, quo omnia suspicionibus, metu, trepidatione plena erant, quo nutabant multi, qui constantiæ possessores quidam videri volunt, desertis Episcopatibus & Ecclesijs suis: Nihil ergò commissum esse à nostris, tunc, quod pietatem & constantiam Christianam non deceret: Et de Flacij etiam calumnijs quanquàm responsum satis superq; est ab Illustriss. Principe Anhaltino, Doctore Pomerano, & Philippo Melanthono, scilicet quid in priuatis deliberationibus de rebus Adiaphoris, et quibus de causis cōcessum



fit: tamen quòd non contenti his aliqui, penitiora etiam promi sibi & aperiri postulant, vt quales fuerint illæ consultationes cognoscant, hæc etiam proferemus, editis exemplis deliberationum & concessionum omnium, quæ de archetypis exprimi curauimus, Illa ipsa Archetypis vbi cunq; fuerit opus demonstraturi. Et ne desideretur amplius quicquam à quoquam in hoc decenniali de linea veste certamine, perficere conabimur.

Ad id verò perficiendum non adhibebimus somniorum ludibria, non supposititiorum aut surreptitiorum scriptorū testimonia, non pigmenta & colores sophismatum, non fumos & nebulas suspicionum, multò minus calumnias & mendacia, qualibus sese Flacius venditat & fulcit. Neq; apologeticè exemplo Flacij disputabimus, quòd tali patrocinio prorsus non est opus veritati suis nixæ & consistenti fultibus, seq; met ipsam tuenti ac sustinenti. Sed ipsam rerum vt gestæ sunt narrationem pro nobis causam dicere sinemus. Illa enim & crimina quæ hastenus iniquissimè in nos collata fuerunt, ita vel tacentibus nobis diluet ac refutabit, & innocentiam nostram viris intelligentibus, sincerè iudicantibus, & vero amore ac cura complectentibus & conseruatam cupientibus lucem veritatis doctrinæ, salutem & incolumitatem Ecclesie, autoritatem sancti Ministerij Euangelici, ita patefaciet, vt speremus candidos lectores nobiscum admiraturos insignem impudentiam & crudelitatem eius, qui nos tam  
improbè

improbè deformare sine iusta causa, & omni genere contumeliarum & probrorum conspergere fuit ausus. Omnino quæ tunc dicta & scripta fuerunt, de archetypis nunc proferentur, & in posterum quocunq; tempore fuerit opus, demonstrabuntur. Non est autem hæc à nobis instituta narratio, vt supra monuimus, vt renouemus certamina: Sed vt potius, quæ ipse toties renouauit, abrupta sopiamus, & his sopitis de doctrinæ nostræ puritate dimicemus contra recentes & plane diabolicos ipsius conatus. Non sese enim quieturum nisi oppressis nobis & testatus est toties, & omni conatu virium suarum ostendit. Et ne hoc ignoraremus, repetitam Epitomen omnium earum criminationum, quæ tanta mole chartarum toto decennio in nos effudit, superiore anno promulgauit, roboratam quinq; suorum <sup>συναδικωσων</sup> suffragatione, Nicolai Galli superintendentis Ratisbonensis, Iohannis Vuigandi superintendentis Magdeburgensis, Iohannis Aurifabri concionatoris in Aula Vmariensi, Antony Ottonis Pastoris Northusani, & Matthæi iudicis Diaconi Magdeburgensis. Et in chartis contra quoscunq; sparsis non tam pugnat contra eos, quos titulo indicat ac proponit, quam hoc unum agit, vt nostros omnes, qui vtiliter hætenus in hac Schola & Ecclesia vel docendo vel scribendo, & existimationem consecuti sunt aliquam & piorum voluntates ac studia sibi conciliarunt, vel in posterum vsui fore Ecclesiæ videntur, aut repetitis & renouatis prioribus ac  
penè

penè obsoletis criminationibus, aut nouis confictis, ad eum modum infamet, conspurcet ac conculcet, vt non ipsi tantùm in contemptum & odium deuoluantur, Sed scripta etiam ipsorum Ecclesiæ & posteritati profutura, iuuentuti de manibus excutiantur, & ex templis omnibus, Scholis, Bibliothecis etxurbentur. Quibus aut labefactatis aut profligatis cogitate quæsumus optimi Ciues nostrarum Ecclesiarum, quam postea normam secuturi, quam aduersarijs Pontificijs opposituri, in qua doctrina acquieturi, quam liberis tradituri vestris, quam relicturn tandem sitis, nepotibus & posteris. Respicite quæsumus de qua doctrina dimicaueritis cum aduersarijs, huc vsq;, perpeffi odia, oppressiones, & capitis pericula, & iacturam fortunarum vestrarum. Et de qua dimicatur sitis in posterum, controuersia stante, prospicite, si ea quæ contra eos defensa, & in vestris Ecclesijs hucusq; conseruata sunt, eripi vobis, & aboleri patiemini. Deiectos ne vos de concepta semel susceptaq; sententia sinetis ad ea portenta adigi, quæ contra hanc sententiam Flacius cudit & constat? Et mutatione sententiæ ad nutum & impulsu erronei maliciosi, cum illa ipsa, quæ hactenus sensistis, tum sepultos cum iisdem auos & patres vestros condemnabit? Hæ scilicet sunt artes & technæ Diaboli, quibus patefactæ & lucenti veritati callidissimè insidiatur, vt deletis aut sublatis ijs scriptis, quæ fundamenta continent causæ tantis cum periculis, sumptibus,

bus, iactura rerum plurimarum, laboribus, vigilijs, non sine ardenti imploratione auxiliij diuini, & ardentissimis atq; assiduis exercitijs fidei atq; inuocationis, spiritus sancti ductu, actæ, defensæ ac stabilitæ, & autoribus ipsis protritit ac pessundatis, pro quibus erant ardentissimæ gratiæ agendæ Deo donatori talium & tam salutarium organorum: Ut his ergò confectis, vel posteritati adimat vsuram diuinæ lucis, vel nos etiam pertentatos disputationibus nouis, & in dubitationem coniectos, aut turbet, ne vnquam in certa consistamus sententia, aut prorsus à comprehensa semel & firmiter credita doctrina detorqueat. Necessè est igitur tradi posteris vera, certa & illustria testimonia, & de doctrina quæ fulsisset in Ecclesijs, & de ministrorum, quorum opera restituta illa & illustrata est, fide, integritate & constantia. Hoc verò dum facimus, oramus reuerenter & amanter omnes Deum timentes & amantes veritatis & piæ pacis studiosos Lectores, vt attentos se præbeant, & si hæctenus tot venenata & maledica scripta Flacij contra nos emissa & ferre patienter & perlegere potuerunt, nostram etiam hanc iustam defensionem benignè & diligenter cognoscant, & nobis hoc tribuant ius, quod in omnibus controuersijs iudicandis & disceptandis seruari solet, τὸ δὲ μὴ ποῖν ἀνομοῦν.

Docebit autem narratio euidenter, quòd toto illo tempore Theologi nostri manserint sui similes & ijdem,

qui fuerunt ante bellum, & quòd consilia direxerint omnia ad eundem finem constanter, quem propositum habuerunt semper, scilicet vt gloria Dei illustretur, res necessariae explicentur & defendantur, refutatis impijs erroribus & sublata superstitione, & Ecclesiae conseruentur incolumes, sicut mandatum est: Diligite veritatem & pacem. Ex iisdem enim fundamentis, quibus antea, omnium deliberationum consilia & consiliorum extruxerunt rationes. Vt in doctrina nihil mutarunt & omnibus rebus necessarijs: sic à sententia de ritibus externis, qui suo genere nec viciosi sunt nec prohibiti, nunquam discesserunt: Et res necessarias à non necessarijs ita distinxerunt, vt necessarias defendendas esse etiam cum vitæ & capitis periculo, de non necessarijs nec præceptis diuinitus, & quæ sine impietate vsurpari possent, minimè eadem pertinacia esse pugnandum & constituerint & consuluerint pacis & concordie causa.

Vno ore & consensu semper antea cum Augustæ tum in Colloquijs omnibus professi fuerant de sese & testati, se petere ab Imperatore suis Ecclesijs doctrinæ emendatæ vsum, quam emendationem magnitudo abusuum & errorum impiorum flagitasset, & de hac sese cum aduersarijs contendere, non de Imperio, nec de rituum externorum & vtilium ordine, in quibus concedere vellent Imperatori libenter & facile, quæ salua veritate doctrinæ concedi possent. Nulla sese enim vel petulantia vel malitia vel curiositate

sitate vel ambitione hæc mouisse certamina, nec de rebus paruis litem esse, sed summis, quibus Dei gloria & salus nititur vniuscuiusq;, & extare seuerissima Dei mandata, quæ iubeant fugere idola, & doctrinæ cœlestis corruptionem, quæ duo esse apud aduersarios euidentia veritatis conuincat. Nec delectari sese vastitate & perturbatione ordinis, neq; hanc sese moliri: sed hoc optare vnicè, vt cum emendatæ doctrinæ puritate & abolita superstitione cultuum impiorum, in Ecclesijs vtilium ceremoniarum vsus retineatur, vel constituatur pio consensu vna & communis quædam ceu τὰς ἐκκλησίαις, ne distraherentur Ecclesiæ dissimilitudine rituum, aut confusione ordinis deformentur.

Fuit autem hoc Imperatoris consilium, vt controuersias ad legitimam cognitionem in Synodo deduceret. Id quia subito fieri non poterat, & post victoriam ipse de constituenda politica concordia in Imperio cogitaret, & de hac frustra laboraturus esse persuaderetur à nonnullis, nisi complecteretur compositionem dissidiorum in religione: Ideo decurrit ad consilium de suspendendis controuersijs, & proponenda formula, quam ordines Imperij interea amplecterentur & sequentur. Ad hanc rem experiundam suppeditata fuit ei à quibusdam formula scripto explicata, de qua quomodo ad Electorem Mauricium relatum sit, ostendet narratio. Interea dum hæc clam & occultò agerentur, ab Electore Saxonie Mauricio Philippus clam

etiam & occultè de libro fuit quæsitus, & quidem subito. Philippus, ut qui tunc nondum intelligebat satis consilia Imperatoris, & in ea erat sententia, ut existimaret, non quomocunq; sartam pacem, sed veram concordiam seriò quæri: & hoc agi, non ut prægranarentur iniustis et veritati contrarijs decretis Ecclesiæ nostræ ante exploratiõnem, sed ut veritatis restitutione & emendatione abusu-um Ecclesijs consuleretur omnibus in Germania pariter: Denique librum, ut fuerat factum antea Ratisbonæ, in hunc finem esse compositum, ut doctorum censura subyiceretur, nec prius euulgaretur, quàm horum esset sententijs emendatus & comprobatus: moderatè initio & breuiter indicabat crassissima saltem, quæ tolerari nullo modo possent. Oportebat enim id fieri celeriter, nec spacijs satis ad accuratiorem considerationem concedebatur, ut res docebit. Hortabatur autem simul Principes, ut cum tantam rem meditarentur, nihil constituerent, nisi communicato consilio cum multis viris doctis & intelligentibus. Mox denuò consultus vnà cum reliquis, & iterum atq; iterum, vehementius & copiosius respondit cum Electori Saxoniæ, tum harum regionum incolis, pluribus notatis, quæ ferri non possent neq; excusationem admitterent, ex ysdem semper fundamentis, distinctis necessarijs, id est, de quibus dissensio præcipua semper & controuersia fuerat, à non necessarijs, quæ non venerant in contentionem, Et nõ mutata sententia de cõcessione rituum externorum. Tan-  
dem

dem post publicatum librum, cum cerneret nihil eorum, quae Theologi harum regionum priuatim monuissent multipliciter, correctum esse, & reperirentur in libro nouae & plures ac magis impiae corruptelae, quas post intextas esse apparebat, & Imperator vi cogere conaretur Ecclesias nostras ad receptionem earum impietatum, quas liber continebat: longo volumine, quod in vrbe Misena absolutum est, instituit singulorum errorum accuratiorem confutationem. Et duae quidem confutationes ex his praeter ceteris omnibus primo sparsae & peruulgatae transcriptione & typis, reliquis, qui multo post contradixerunt, exemplo fuerunt. Haec ergo ut ordine legerentur ab omnibus, & considerarentur, quae Theologi inter initia ante publicationem libri, cum agi de formula comperissent: quae, cum promulgata & ordinibus Imperij obtrusa esset, responderint: ordine singula edidimus, occasionibus simul expositis.

Respiciat autem semper candidus Lector ad hoc fundamentum, quod idem tunc suadere voluerint, quod suaserant antea, & cedere in iisdem, ad quae concedenda sese toties antea obligarant sponte & ex professo: scilicet ut siue impetrarent suis Ecclesijs concessum verae doctrinae, qua fruerentur, usum, & abrogationem abusuum atque idolatriae, siue hoc non impetrato, res deuenirent ad priuatam confessionem cuiusq;, scirent Ecclesiae, quae largiri Imperatori possent, quae non possent villo modo, & quas habeant veras causas seiunctionis ac dissensionis à Roma-



na Ecclesia, propter quas neq; odia metuant, neq; exilia recusent, neq; exhorreant supplicia, & in quarum defensione cogantur auctoritatem mandati Dei humane auctoritati anteferendo, aduersari Imperatori. Nec vlla ratione, imò ne quidem salua conscientia mutare hanc postea sententiam poterant. Quam enim aliam speciem apud pios omnes omni tempore res habitura fuisset, quam præfractæ & seditiosæ contumaciæ, si postquam reiecissent & repudiassent impia & intolerabilia quæuis in proposito libro, propter adiaphora, de quibus concedendis iam antè ex veteri & sæpe repetito promisso Imperatori obligati erant, vel Mauricium Electorem contra Imperatorem, vel harum Regionum incolas & subditos contra Electorem concitassent? Meminimus Doctorem Pomeranum piè & grauiter de his rebus pro cõcione differentè dicere: Omnia in omnè partem disputata esse & pensitata diligenter: Sibi verò in hac senectæ, in qua sese assidua inuocatione filij Dei quotidie præparet ad piam mortem, etiam hoc venire in mentem, Vtrum & posteritati sit futurum vtilius, & re ipsa sit in hoc casu, & hoc momento impendentium persequutionum, rectius, si ipsi, qui autores & adiutores fuerunt emendationis doctrinæ, martyrio comprobarent, & suo obsignarent sanguine doctrinam, quam Ecclesie ex scriptis Prophetis & Apostolicis restituissent, Et in explicata euidenti ac minimè ambigua causa relinqueret posteritati exemplum martirij & confessionis: An verò si recusando cum falsa doctrina, sine discrimine, pari per-

tinacia

timacia, ea, de quibus se cedere posse antea fuerint testati,  
incurrerent in culpam & crimen vel suspicionem saltem  
seditionis, & titulo seditiosorum hominum ad supplicia cō-  
demnati, sanctum studium & vtiliter Dei beneficio naua-  
tam Ecclesiæ operam nota & labe seditiosarum molitionū  
deformarent, & propterea suspectam redderent posterita-  
ti doctrinam, tanquā titulo & prætextu emendationis  
doctrinæ egerint hoc, vt veteri politiæ Ecclesiasticæ sta-  
tu petulanter ac seditiosè turbato atq; everso, excussis Epi-  
scopis, direptis facultatibus, mutata forma Imperij, proie-  
cta & spreta Imperatoris autoritate, vastitatem parerent,  
& licentiam introducerent atq; confirmarent infinitam  
faciendi quiduis & cōstituendi in Ecclesia, præsertim cum  
multi hisce annis fanatici homines abusi occasionibus mu-  
tationum necessariarum, in alijs nō necessarijs, quibusdam  
etiam planè impijs, multa seditiosè mouissent, quorum vel  
suspicionem sustinere pio homini graue sit admodum. Sed  
& amoliri eam non sit facilè, cum professi sint toties ad-  
ditis obtestationibus, non odijs aut ambitione, non cupidi-  
tate dominationis, non studio dissentienti sese dissidere ab  
aduersarijs, sed de rebus magnis & necessarijs pugnare, in  
quibus euidentia veritatis redarguat & conuincat aduer-  
sarios. Ominò sibi persuasum hoc esse, relinquenda esse  
posteritati certa testimonia vel confessionis ac martyrij  
periculo confirmata, de ijs doctrinæ & rerum necessaria-  
rum capitibus, quæ contra abusus, errores & idola Pon-  
tificia huc vsque defendissent. Nec cum illis confunden-  
da esse

da esse cum periculo non paruo conscientiarum reliqua, de quibus non modo non dimicassent, sed cedere sese etiam, et cessuros esse, testati essent, deniq; propter quæ hæc neq; suscepta neq; facta esset secessio.

Ab hac ipsa sententia non discesserunt postea, cum ab Electore Mauricio iuterrogati essent de Adiaphoris. Cum n. et repetiissent iterum atq; iterum reiectionem ac refutationem impietatũ libri Augustani, et coram Elect. Mauricio mutationem in Adiaphoris omnem multoties et dissuasissent & essent deprecati, Elector verò Mauricius constanter nullam se facturum mutationem ullius rei necessariæ ostenderet, sed in ritibus adiaphoris velle se suæ conscientiæ causa præstare obedientiam Imperatori, quatenus cum pietate & religione ad Deum posset, si quidem ab ipsis Theologis in omnibus de religione tractationibus hoc esset permissum: moti ergò salute harum Ecclesiarum, quas cum luce doctrinæ conservare cupiebant, cesserunt ei, & censuerunt hanc potius servitutem ferendam, quàm aut desertione vastandas, aut seditione commouendas, aut recusatione promissis et concessionibus prioribus contraria cum in dubitationem de tota religione tempore persecutionis, quam necessariorum et non necessariorum rerum confusio erat necessario paritura, imò & in contemptum religionis ac prophanitatem, tum in discrimen conijciendas esse Ecclesias, in quo de tota doctrina & toto ministerio essent periclitaturæ.

Non

Non orta sunt à Theologis consilia de mutatione rituum, Sed cesserunt hi Principi volenti declarare Imperatori obedientiam in ijs rebus, quibus salua religione et pietate ad Deum præstari poterat, & cesserunt propter grauissimas causas. Nihil Diabolo, vt sceleratè fingit & mentitur Flaciana factio, Nihil gregi Pontificio tributum est vlla concessione. Declaratum est Imperatori, qui vt Magistratus pacem se querere & coniunctionem Ecclesiarum distractarum præ se ferebat, & qui persuasus erat à quibusdam vel autoribus vel certè primis suffragatoribus Libri ex illis ipsis, qui Confessionis Augustanae professione nobiscum coniuncti erant, librum talem esse, vt intolerabilis Ecclesijs nostris non sit futurus, & quem Ecclesiæ nostræ non grauatim essent accepturæ: Huic ergò declaratum est, sicut in similibus deliberationibus fuerat factum antea semper, & per Principem Electorem Mauricium, & à Theologis ipsi Principi Mauricio, quæ intolerabilia Liber contineret, & apertè falsa & blasphemata, de quibus assentiri Princeps non debeat nec possit, quòd talia sint, vt intelligi etiam ab ipso possit, ferenda ea non esse, quæ rursus concedi possent: quæ verò propter obscuritatem aut ambiguitatem aut Sophismatum præstigijs pertinerent ad explicationem & confessionem ipsorum Theologorum priuatam, quibus non vellent onerare Principem, vel alios etiam non satis instructos, sed de quibus vellent suo loco & periculo respondere. Deniq; de

K

qui-

quibus rebus vt contentio fuerit semper, sic remitti nihil possit: De quibus rursus ipsi & possint & velint obtemperare, vt videat non petulanti nostros & contumaci curiositate aut contemptu Cæsareæ Maiestatis aut infinitæ licentiæ cupiditate aduersari consilijs de pace, sed propter causas, quas prohibitione diuina mutare in nulla parte liceat.

Cumq̄ deliberatio priuata tota pertineret præcipuè ad Ecclesias harum regionum, non ad ipsos Theologos: separarunt priuatam confessionem suam et vniuscuiusq̄ à consilio, quod dandum esset promiscuæ multitudini in Ecclesijs nostris. De sese testati sunt, repetita crebrò eadem mentione, quod vt hanc tueantur doctrinam, quam professi essent, nulla aut reformident aut defugiant aut recusent pericula, nec se requirere, vt Princeps propter ipsorum priuatam confessionem, quam & edidissent, & repetituri essent, vbicunq̄ foret opus, se suosq̄ in discrimen conijceret. Nam proprio sese, non Principis aut subditorum periculo confessuros Deo iuuante. Neq̄ mutationem sese in rebus adiaphoris aut suadere aut probare quantum ad ipsos, sed cedere sese in his propter Ecclesias. Ad has quantum attineret, moueri sese tum periculis parituris doctrinæ interitum & Ecclesiarum vastationem, tum pia sollicitudine de ciuibus Ecclesiæ, qui dissimiles sint, & quorum multò maxima pars imbecillior & languidior cum sit, vbi pericula in conspectu forent, prius totam abiectura religionem quam perpeffura esset crudelitatem & calamitates persecutionis,

cutionis, præsertim si videat subeunda esse hæc pericula de  
rebus ex humana autoritate pendentibus, & non prohibi-  
tis mandato diuino nec suo genere impijs. Quod si accide-  
ret, maximam multitudinem & accusaturam Theologos,  
qui non de gloria Dei, sed suis affectibus & laude constan-  
tiæ cum aliorum periculo pugnantes, ijs detrectandis, quæ  
concesserant antea, attraxissent iniustæ seuiciæ vim prop-  
ter causas minimè contrarias mandato diuino, & execra-  
turam totam religionem, in qua diuina humanaq; misceren-  
tur & confunderentur arbitrio paucorum. Hos ergò o-  
portere disertè erudiri de discrimine rerum necessariorum  
& non necessariorum, & commonesieri de quarum re-  
rum veritate & recto ac diuinitus mandato vsu hoc mu-  
tationis articulo pugnatum sit contra abusus, errores &  
idola gregis Pontificij, Ad quas autoritate diuina vera,  
seria & constans cofessio sit alligata: quam edere quocunq;  
periculo oporteat, & quam sine lesione conscientiæ &  
horribili Dei offensione defugere non liceat, quæcunq; ac-  
cidant: deniq; ad quam instrui, animari et cõfirmari audi-  
tores debeant, et de qua dicitur: Confessio fit ore ad salutē.  
De quibus rursus pugnatū non sit, et quantū ac quomodo  
differant ab illis diuinitus traditis atq; præceptis alia, quæ  
humana autoritate in Ecclesia constituuntur et mutantur  
in ritibus non impijs ordinis & exercitiorum causa, in  
quibus homo Christianus sine conscientiæ offensa, si de ne-  
cessarijs constanter sit testatus, concedere aliquid possit,

vt si propter confessionem & conseruationem doctrine,  
quam retineri ac defendi contra Pontificias corruptelas  
neceſſe ſit, bello vel aliter Eccleſiæ peterentur, ſcirent im-  
mutabile Dei mandatum eſſe, & velle Deum, vt obedi-  
entiam Deo debitam ſanctionibus & edictis Imperatoris  
anteferendo, conſtantia Confessionis teſtentur doctrinam  
noſtrarum Eccleſiarum veriſſimam eſſe, & ſtatuant cer-  
tò ſibi in hac cruce & his perſequentionibus affore Deum:  
Ritus verò humana autoritate conditos minimè ſimili ne-  
ceſſitate conſcientias obligare. Nec propterea abijci fi-  
dem, ſi poſt editam piè de ſingulis articulis doctrine con-  
feſſionem, profiteantur cedere ſe poſſe in vſu rituum & ſta-  
φόςων, præſertim cùm & Imperatori ipſi, qui ad coniun-  
gendas & copulandas Eccleſias hæc quæ agebat, profite-  
batur directæ eſſe, & toti poſteritati neceſſe ſit oſtendi  
perſpicuè & euidenter, quaſitum à nobis id eſſe, vt glo-  
ria Dei illuſtretur, reſtituatur doctrina ex erroribus ex-  
plicata, & tollantur Idola atq; cultus idolatrici, non vt  
petulanter efficiatur vaſtitas in Eccleſijs euerſione aut  
perturbatione vt ilium rituum & ordinis.

Addiderunt etiam diſertè, ſe hac ſententia conſulere  
imbecillioribus, non ſtatuerè modum zelo confirmatorum  
& robuſtiorum, ſi qui eſſent, qui experiri aduerſationes  
ſuo loco, & ſuo cum periculo, non alieno, quàm cedere  
mallent ferendo ſeruitutem non impiam, quod tamen ha-  
etenus ore magis quàm re declararunt cenſores noſtri,

quorum tantum fuit robur animi, ut ingruente tempestate Episcopatus & functiones desererent, quaererentque receptus & latebras, & ne deprehenderentur, mutarent vestes ad fallendos obuios, & dissimulatis nominibus nostros suggillarent, & metu trepidarent, sicubi extra limites suae munitionis versarentur, & nihil non expauescerent. Hi si praestitissent eam constantiam, quam falso iactitant, non fugissent ceu mercenarij metu periculorum ex statione sua, nondum experti vel minas vel pericula, qualia multi praestantes viri in Germania superiore illo tempore sustinuerunt, ex Ecclesijs suis vel abrepti ad confessionem, veleiecti in exilia crudeliter. Nec Ecclesias vel onerari libro Augustano, vel occupari atque opprimi ab hostibus fuissent passi: Sed confirmatas erudissent & seruassent, vel vitae suae & fortunarum periculo, vel quocumque alio euentu, nostrorum Exemplo. Hi enim in iisdem verae doctrinae, piorum consiliorum, & vocationis suae vestigijs manserunt, nec cesserunt minis & periculis, quibus impetebantur, & corruptelis libri Augustani primi sese opposuerunt, repetiueruntque easdem de doctrina sententias voce & scriptis, & ad casus quoscumque atque confessionem sese praepararunt. Imbecilliores autem post longas deliberationes, erudierunt, ut cum mutatio, quam moliretur Imperator, videretur persequutiones allatura & martyria, scirent de quibus rebus praecipue dissensio sit, & semper contra aduersarios pugnatum sit in omnibus



congressibus, à quibus discedere per immutabilis mandati  
diuini auctoritatem non liceat: de quib. pugnatū non sit, &  
de quibus remitti aliquid salua conscientia, de quibus nihil  
concedi vllō modo posse multò antè censuissent. Hæc omnia  
& scripta publica quæ extant, & actorū series conuincit.

Reuerendissimus et optimus Princeps Georgius An-  
haltinus, cuius fuisse eruditionem eximiam, grauitatem  
insignem, pietatem erga Deum ardentem, virtutes pluri-  
mas excellentes ac vere heroicas, acre studium tuendæ ve-  
ritatis, & in conseruandis atq; erudiendis his Ecclesijs fi-  
dem, in confessione constantiam fuisse dignam admiratio-  
ne, omnes sciunt. Is igitur (vt de reliquis nihil dicamus) in  
ea Ecclesiarū administratione, in quam fuerat collocatus,  
constanter permanebat, toto illo turbulentissimo tempore,  
quo Ecclesiæ terrebantur minacibus edictis de libro Au-  
gustano recipiendo, Nihil prætermittens vel docendo vel  
monendo voce & scriptis, vel præcauendo, quod auxilio  
diuino prouideri humanis cogitationibus, & præcaueri ac  
præstari qualicunq; humana diligentia poterat. Et cum at-  
tractus esset clandestinis aliorum consilijs peregrinus Epi-  
scopus, huic adducto in Episcopatum ita se opposuit, vt in  
ipso statim aditu, quo gubernatio tradenda ei iam erat, sit  
testatus grauiter & constanter, suo suffragio, nec vocatū  
eum, neq; electionem comprobata esse, Nec semittere  
eum ad Episcopatum aliter, nisi cum hac obtestatione &  
cōditione, vt nō modo nihil mutet in ea forma Ecclesiarū,

quæ

quæ nunc esset, sed eandem foueat ac tueatur. Quod si face-  
ret, se non tantum habiturum eum libenter pro Episcopo,  
sed suo loco opera atq; consilio suo adiuturum fideliter ac di-  
ligenter, & præstiturum erga ipsum, quæ deceret. Si non  
faceret, se conatibus ipsius aduersaturum, & prohibiturum,  
ne quas moliretur mutationes, posset perficere. Hac obte-  
statione ita munivit Ecclesias à se constitutas & tot annis  
gubernatas, vt huc vsq; Dei benignitate cum tranquillita-  
te & quiete vsus veræ doctrinæ & Sacramentorum re-  
tinuerint. Quapropter ei hæ regiones gratitudinem debent  
perpetuam. Debebant et defensionem mortuo contra ama-  
rulentas et nefarias criminationes atq; insectationes Flacij,  
quibus præclaras has tanti Principis & tanti Ministri  
actiones impudenter calumniari non veretur.

Si ergò Flacius tanti fecit salutem Ecclesiarum nostra-  
rum, quare non similiter in sua statione substitit? Cur re-  
ceptus quæsiuit apud eos, à quibus nunquam fuit accersit-  
us, & quibus nõ fuit opus vel opera vel consilio ipsius: Cur  
non yisdem discursationibus, quibus contra nos vsus totam  
penè commouit Germaniã, eodem tempore afflictissimas  
Germaniæ Ecclesias alibi aduersus deprauationes Sphyn-  
gis Augustanæ confirmauit, quas nullo vnquã verbulo at-  
tigit: Aut incitauit plebem ad armis prohibendos conatus  
Imperatoris, sicut seditiose cõtra Electorẽ Mauriciũ harũ  
Regionum incolas accedit nulla de causa, quod toto illo tẽ-  
pore, quo in deliberationibus priuatis de Adiaphoris dispu-  
tatum

tatum est, coram & vidit & audiuit apud nos nec vocem  
doctrinae nec ullam rem necessariam mutari: Sed haec  
omitemus, Et parcimus censoribus nostris, qui ubi agno-  
uerint sua constanter facta, propriae conscientiae testimo-  
nijs conuicti, fortasse abstinebunt ab insectationibus et  
condemnationibus nostri. Et quidem quid  
actum sit à nostris, series commemo-  
rationis exponet:

# CONVENTVS

## PRIMVS LIPSIAE HABITVS

Anno XLVII. Mense Iulio.

**P**OST MUTATIONEM FACTAM  
in his terris à calamitoso bello, Illustriss. Princeps ac  
Dominus D. Mauricius Dux Saxoniae Elector &c.  
conuocatis & ex veteri ditione sua subditorum ordinibus,  
& ex ijs qui tum primum ad hanc accesserant, vniuersis,  
primum Conuentum habuit Lipsiae, Anno post salutife-  
rum partum 1547. Mense Iulio. Non autem politicos  
tantum ordines tum, sed Theologos etiam conuocari cu-  
rauit, & inter hos primo loco Reuerendiss. & Illustriss.  
Principem ac Dominum D. Georgium Anhaltinum etc.  
& vniuersos Superintendentes Ecclesiarum ditionis suae,  
& collegium insuper Theologicum & Rectorem Acade-  
mie nostrae. Ita factum fuit, vt ex Academia nostra ad  
hunc

hunc venirent, Reuerendus D. Doctor Iohannes Bugen-  
hagius, Pastor huius Ecclesie & Superintendens, &  
D. Doctor Caspar Cruciger Academiae Rector, Cla-  
rissimi viri D. Doctor Melchior Fendius & M. Paulus  
Eberus, qui in vrbe substiterant. D. Philippus Melan-  
thon vir clariss. Praeceptor noster colendiss. & Collega  
cariss. qui peculiariter *VV*imaria ad illum conuentum ac-  
cersebatur, vt infra exponitur, cumq; eo Reuerendus D.  
Doctor Georgius Maior.

Cum igitur Politico ordini ab Illustriss. Principe  
Mauricio Electore &c. exposita essent ea, quorum causa  
conuocatus fuerat, quae ad haec negocia non pertinent,  
Postea ad 15. calend. Sextil. quae est 18. dies Iulij ad  
Principem Anbaltinum & Theologos reliquos, qui mag-  
no numero conuenerant, atq; euocatos ex Academia no-  
stra, referri haec curauit, quae de scripto germanico, quod  
tum simul exhibitum fuit conuersa in linguam latinam  
subieciimus.

## MAURICII PRINCIPIS AC DVCIS

Saxoniae Electoris &c. Scriptum ad Theologos,  
qui post bellum Lipsiae mandato ipsius con-  
uenerant.

**V**estram beneuolentiam & vos ideò literis accersi & *Er. um. d.*  
conuocari curauimus, vt nostram apud vestram be-  
neuolentiam & vos de religione voluntatem & sententi-

L am

am declaremus, ne inter nos, vestram beneuolentiam & vos, hac in re aliqua sit diffidentia, & nos, vestra beneuolentia & vos, ita certam & veram de hac re cognitionem habeamus, vt nullum vlla à parte periculum metui aut suspicando concipi possit.

Proinde declaramus apud V.B. & vos sententiam nostram, quòd Papisticis abusibus & omnibus ijs, quæ verbo Dei contraria, & à religione Christiana aliena sunt, neq; deficiendo adhærere, neq; horum quicquam admittere velimus. Quibuscunq; etiam rebus & doctrinam verbi Dei prouehere, & ministros huius iuuare poterimus, ea vt Christianum Principem Electorem decet pro viribus nostris fideliter, diligenter & benignè præstabimus.

Volumus etiam pacem & concordiam consilio, opera, & administratione nostra iuuare, quantum à nobis & conditione humana fieri potest.

Studia etiam doctrinæ & homines doctos omni tempore fouebimus & tuebimur, vt iuuante Deo sub nostra gubernatione crescant & aurescant, & protectio & defensio his præstetur.

Similiter etiam iudicia & iuris administrationem in nostris regionibus constituemus, quæ nihil suspitionis habeat, & omnibus ius & iusticia ex æquo contingat.

Atq; Deo nos iuuante & gratiam largiente eum nos  
præ-

præstabimus, ut nemini causa afferri debeat, propter quam de gubernatione nostra iure queri possit.

Quicquid igitur vestra benevolentia & vos hac in re nobis consulere, & V. B. & vos de rationibus suis in ijs rebus, quæ vestra benevolentia & vestri muneris atque curationis propria sunt, significare poteritis, Id à V. B. amanter petimus, & à reliquis vobis benignè cupimus, <sup>quod dicitur</sup> ut facere velit. Quod & à V. B. amicè, & à reliquis vobis benignè sumus accepturi, & de ijs, quæ indicabuntur cum V. B. & vobiscum ut amicè & benignè nobis conueniat, videbimus.

Hæc igitur illius scripti sententia est, de quo diximus.

Exercuerat autem præterea Principem Mauricium longo iam tempore hæc cura, ut de ritibus & Ceremonijs Ecclesiarum ditionis suæ constitueretur, & in his similitudo præstaretur. Nam etsi sub Illustriss. Principe et Domino D. Henrico Duce Saxonie, Principe opt. & laudatissimo cum primum doctrinae veritas in regionem Misnensem introduceretur, & abusus atq; superstitiones tollerentur, Tum, igitur, etsi forma rituum constituta & edita fuit cum titulo Agenda, noto in Ecclesijs nomine, Tamen postea non parua dissolutio hac in parte in regionibus illis secuta est, ut multi multa in diuersis locis priuata autoritate & abolerent & introducerent, de quo cum alia mala & incommoda, tum disputationes & rixæ

multiplices, & ab alienationes inter vicinos ex plebeio & equestri ordine extiterunt, & consistorijs in disceptando labor et difficultas obiecta est, vt tandem etiam in aliquot conuentibus prouincialibus ab illarum regionum ordinibus hoc peteretur, vt ad euertendum talia cura susciperetur, & de certorum rituum vsurpatione consensus fieret atq; constitueretur. Hac igitur necessitate allata, Princeps Mauricius & Anno XLIII. Theologos Lipsie conuocarat, vt de hac re colloquerentur atq; conferrent sententias, & Anno XLV. Mense Augusto, iterum conuocatis in vrbe Lipsensi Principe Georgio Anhaltino &c. & Superintendentibus aliquot mandata dedit, vt assumpto Theologorum collegio in Academia Lipsensi, de ceremonijs & harum vtili & pia concordatione deliberarent & decernerent. Communicauerat de hac re prius vt solebat de omnibus, cum D. Luthero Princeps Anhaltinus, & de quibus deliberatio futura esset ei cognoscenda & iudicanda miserat, & consilium huius expetiuerat, Cui Lutherus sententiam de illis suam per Epistolam significauit quam subiecinus, editam quidem & antea in Principis Anhaltini narratione, sed omissa, moderationis causa, extrema clausula. Ideo hoc loco plenior transcripsimus.

Gratiam & pacem in Domino. Legi Illustriss. princeps, idem Reuerendiss. Præsul, libellum ad me missum, & legi cum magna voluptate, omnia mihi uehementer placent, & benedico Domino, qui coepit opus hoc bonum in T. Celsit. oroq; ut augeat & multiplicet benedictionis suæ tam salutare initium, Amen, Nec est quod Celsit.  
T. à me

T. à me quicquam uel consulendo uel quærendo petat, ipsi Domi-  
nus adest & aderit largiore & copiosiore gratia, quam ut opus sit ex  
me pumice arido & sterili aliquid expectare &c. Datum die S. Mag-  
dalenæ M. D. XLV. Celsit. T.

deditus.

D. Martinus Lutherus.

*Respondit etiam eadem ferme sententia quibusdam  
Superintendentibus, qui similiter consilium ipsius hac de  
re expetiuerant.*

*Complectebatur autem libellus ille, de quo hæc  
scripsit Lutherus, expositionem quandam & informati-  
onem certorum capitum quæ in Synodis solemnibus Super-  
intendentes Pastoribus inspectioni ipsorum attributis  
proponere deberent, In qua admonebatur de puritate do-  
ctrinæ comprehensæ in Confessione Augustana, & quæ  
de quibus rebus locutiones, ut inscitæ & scandalum com-  
plectentes, vitandæ essent: Cuius sæpe in administratione  
Sacramentorum, & matrimoniorum causis, sepultura  
& alijs Ecclesiasticis muneribus, multa accidere soleant,  
in quibus quid fieri oporteat vulgus Pastorum in Pagis  
non semper constituere potest, Ideò ad tales etiam casus  
inserta erat instructio, Item de moribus & vita, quæ  
Christianos Sacerdotes deceret, exponebatur. Et, quod  
hoc loco præcipuè indicandum, De Ceremonijs etiam  
doctrina inserta erat, quæ essent diuinitus institutæ & im-  
mutabiles, quæ ab hominibus, & mutari possent, & ex  
hoc secundo genere, quæ abolendæ essent, quæ seruari  
possent,*



possent, & per se essent adiaphoræ, Itemq; hæc adiaphoræ  
Ceremoniæ, quando intolerandæ fierent libertati Christia-  
næ & impietatem haberent, quando seruari deberent, &  
detrectationem atq; abolitionem haberent improbam &  
animaduertendam. Postremo postulabatur in illo scripto,  
vt Pastores ritus certos et eosdem præstarent atq; conser-  
uarent, secundum formulam Agendorum temporibus  
Ducis Henrici propositam, & à Doctore Crucigero &  
Iona conscriptam, Neq; in hac parte quicquam propria &  
priuata autoritate mutarent aut noua introducerent, &  
discrepantiam vt cauerent. De linea tamen veste, de qua  
maximè postea tumultuatum ab inquietis illis fuit, et quæ  
has regiones quasi terræ motu quodam concussit, & contra  
quam vestem ita quidam disputarunt, vt Ecclesias potius  
deserendas & vastitatem admittendam, Imò uitam potius  
impendendam dicerent, quàm ea vt reciperetur, & in se-  
cundam Tabulam legis diuinæ potius peccandum, si fortè  
dubitaretur, quid ab horum zelo quæreretur, & quò con-  
silia horum tenderent atq; dirigerentur, ideò celebratur  
vnius Zelotæ talis memorabile apophthegma, qui ad Prin-  
cipem Anhaltinum professus fuit, se potius cædem perpe-  
traturum, quàm vt lineam illam vestem indueret. De hac  
igitur veste, quæ in eo libello leguntur, omninò putauimus  
transcribenda.

Post admonitionem de cultu, qui Sacerdotes dece-  
at, subiiciuntur hæc verba, vt conuertimus: Sed in admi-  
nistra

nistrationibus Ecclesiasticorum munerum Sacerdotes cō-  
sueto ornatu utantur, qui & plerisq; in locis in usu est, in  
concionibus & administratione Sacramentorum, Etiam  
apud aegrotos, vestem lineam, quam vulgo Choralem ap-  
pellant, vsurpent (Ea tamen ratione qua collegium Theo-  
logicum Lipsicum vna cum Superintendentibus aliquot  
in Colloquio Lipsiæ Anno XLIIII. habito, de hac re  
censuit) sicut in alijs multis locis, vbi Euangelium doce-  
tur, fieri solet & consuevit, & adhuc in his terris fit  
maxima ex parte. Cum enim hæc res sit adiaphora, tam  
est liberum nobis & penes arbitrium & optionem nostram  
sine grauatione conscientiarum hoc retinere & vsurpare,  
quam abolere aut omittere, nisi quod cum ad speciem &  
decentiam hoc faciat, & Sacerdotes omnes non sint æque  
benè vestiti, sæpeq; relatum sit, quòd aliqui in administra-  
tione diuinorum munerum eiusmodi vestitu ad populum,  
matronas & Virgines vsi fuerint, quo homines non medi-  
ocriter offenderentur, Ideò optimo consilio faciendum vi-  
sum, vt ille vsitatus habitus sine immutabilis necessitatis  
obligatione retineretur. Et cuperent Principes, vt in di-  
tationibus ipsorum hac in parte vna quædam & consentiens  
forma, quantum id fieri potest, præstaretur, hac tamen  
conditione, vt omninò homines docerentur, in his salutem  
non esse positam, neq; vt res ad hanc necessarias vsurpa-  
ri. Item ne in ijs locis, vbi primum introducuntur, scan-  
dalum concipiant.

Hæc

Hæc fermè fuere in libro eo quem suo illo elogio D. Luther us ornauit, Atq; illa postea capita deliberatione habita, ab ijs qui conuocati erant, approbata fuere, & decretum factum Lipsiæ, vt diximus, Anno XLV. die XXVII. Augusti, subscriptis, vt fieri solet, nominibus eorum qui præsentem tum & autores fuissent.

Cùm igitur & ante id tempus, ditionis veteris status hoc flagitaret, vt illo mutationis factæ tempore magis faciendum videretur, vt de Ceremonijs ageretur, & in vnâ formam harum consentiretur, Ideo in hoc conuentu Lipsensi anni XLVII. illud ipsum scriptum, & Superintendentibus ijs, qui pristinae deliberationi anni XLV. non interfuerant, & euocatis ex Academia nostra, & cæteris ditionum earum, qui primum in potestatem Prin. Mauricy venerant, propositum fuit, de quo iterum deliberaretur. Ad hæc igitur consultationis capita, ab vniuersis, qui tum conuocati conuenerant, & inter hos & cum his à nostris etiam Collegis responsum fuit hoc scripto, quod de germanico conuersum & ipsum subiecimus. Complectitur autem Theologorum de religione sententiæ & uoluntatis declarationem atq; promissionum & petitionum quarundam, & consiliorum certorum expositionem.

Responso

# RESPONSIO THEOLOGORVM

ad Mauricij Principis Electoris

scriptum.

**L**AVDABLEM & Christiano Principe dignam declarationem sententiæ & uoluntatis Celsitudinis uestræ, quæ nobis exhibita est, submissè cognouimus, agentes Deo gratias, quem oramus, ut Illustris. Celsitud. uestram benigne regere & protegere, & his regionibus, quæ multis egregijs Dei donis affectæ sunt, salutarem pacem, uerum cultum Dei, honestam disciplinam, & ius & iusticiam per V. C. gubernationem conseruare uelit.

Cumq; C. V. disertis uerbis de se ipsa piè significarit, quòd propter gloriam Dei & propter salutem regionum & subditorum, Christianæ religionis puram doctrinam cõseruare & prouehere uelit, neq; deficiendo, abusuum, qui uerbo Dei contrarij sunt, instaurationem permittere, Hanc ob causam etiam Illustris. Cels. uestræ gratias agimus, neq; dubitamus, C. V. ut laudatissimum & Christianum Principem Elect. tenere, in omni gubernatione hoc esse summum & præcipuum opus, ut uera Dei agnitio & inuocatio plantetur atq; conseruetur, sicut scriptum est, Psal. 11. Et nunc Reges intelligite &c.

Et ad illam declarationem C. V. hæc nostra est confessio, quòd Christiana subiectione Deo humiliter promittimus, & uestræ Celsi. repromittimus, nos similiter in Christiana & pura doctrina, cuius mentio facta est, sicut hæc in Ecclesijs harum regionum pro concionibus docetur, & à pijs absq; sophistica accipitur, constantes manere cogitare, & in hac concordia consensum tueri uelle. Neq; enim ulli creaturæ in coelo aut terra illud mirabile consilium in Euangelio expressum, quod Deus immensa misericordia patefecit, immutare licet. Ideò filius Dei dicit Iohan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansorem apud eum faciemus. Ac ne quid hac in parte erretur, intelligi uolumus uicam æternam ueram doctrinam Catholicæ & Christianæ Ecclesiæ, quæ in Symbolis expressa, cum qua & uniuersarum Ecclesiarum nostrarum Augustana Confessio consentit. Quo excludimus omnes Sectas Anabaptistarum, Sacramenta profanantium, abusus Pontificios, & quascunq; alias, quibuscunq; nominibus appellantur, quæ in Confessione nominatim sunt reiectæ.

Pollicemur etiam nos fidelem in necessarijs doctrinæ capitibus, quæ ad emendationem usum habent, sedulitatem præstituros, ut

amor Dei, fides, uera & Christiana inuocatio, disciplina, & morum honestas plantetur, Ad quam rem Deus sua gratia nobis adsit.

Ad Christianæ autem doctrinæ & disciplinæ conseruationem necessarium est Ecclesias & Scholas pueriles uastatas instaurari, & non bene constitutis melius consuli, & quorum bonus adhuc status est, eas conseruari. In primis autem iudicamus harum regionum per magni interesse, ut utraq; Vniuersitas Lipsensis & VVitebergensis conseruetur. Oportet enim præcipua aliqua loca esse, in quibus studia uigeant, & uera in omnib. disciplinis, & necessararum linguarum atq; artium doctrina conseruetur, Quemadmodum & Deus ipse ad hanc rem in regno Israelitico scholam condidit, & postea Canonicoꝝ rum uetustiora Collegia quasi Vniuersitates scholasticæ fuere, Antiochiæ, Alexandria, Constantinopoli &c.

Ac quod ad miseram & dissipatam Vniuersitatem Vuitenbergensem attinet, manifesta res est, si nulla studia, & nulla Superintendentia seu inspectio Ecclesiastica ibi est, in misera uicinia ditionis Electoralis tristem Ecclesiarum uastationem & barbariam exituram.

Præterea consueuerunt iam uicinæ Ecclesiæ ordinationem Pastorum suorum Vuitebergæ petere, & in forma examinationis semper ibi uera diligentia usurpata fuit, quæ sine dubio ad concordiis in doctrina consensus conseruationem in Ecclesijs per Saxoniam, Marchiam, & Silesiam profuit.

Quod si dicat aliquis, hoc deinceps Episcopus ordinarios in singulis locis facere debere, Bonum quidem esset ipsos suum officium facere, sed ante oculos est, & manifestum hos illas necessarias res non curare.

Et hætenus ad hanc scholam commearunt, & ordinationem ab hac petiuerunt non tantum uicinæ, sed exteræ etiam gentes aliæ quæ, Hungari, Bohemi, & alij.

Velit etiam propter Deum V. C. considerare, multas ibi utiles operas, & inter alias disertam, elegantem, & ueram interpretationem Bibliorum, cum fide & diligentia confectas esse. Item multorum ibi ueterum laudatissimorum Principum Electorum monumenta & sepulchra esse, ut miserabilis res esset futura, si barbaries aliqua illa loca occuparet.

In utraq; etiam Academia, Dei beneficio, studia ita benè eorū ordine constituta fuere, ut nusquam alibi, ullis in regionibus, quod docti norunt. Faxit Deus, ut restituantur in pristinum statum illum deinceps, id quod profectò omnibus intelligentibus consolationi esset futurum.

Ad hanc

Ad hanc rem proderit aliquot ex prioribus Professoribus in ea loca reduci, & in Lipsensem Academiam Ioachimum Camerarium, de cuius consilio studia iuuentutis in linguis & Philosophia instaurantur.

Constituta etiam stipendia ab aliquot iam annis sunt ex redditibus Collegij Ecclesiastici Aldeburgensis, & monasteriorum aliquot, pro pauperibus Scholasticis, qui ex his regionibus oriundi sunt, de quibus exploratio fieri potest. Hæc eleemosynæ facile possent instaurari, & esset res Deo grata, & pauperibus magno subsidio.

In utraq; etiam Academia seuera animaduersione est opus, ne infamantia aut alia huius generis leuia & futilia, sed pro gratia, quam Deus largitus fuerit, utilia ad institutionem & disciplinam scripta typis exprimantur. Ideoq; Typographis mandatum, ne sine permissione Rectoris quicquam ad exprimendum recipiant.

Tertium est de consistorijs, & uisitatione Ecclesiarum & superintendencia. Consistoria esse Mersburgi & Misnæ necessaria res est, neq; hæc tolli aut aboleri debent, & causæ matrimoniales, & aliæ Sacerdotum, qui delinquant, ex terra Misnica, Voilandica & Thuringica eo delegandæ.

Ab his locis cum absit aliquanto longius Electoralis ditio, omnino erit necessarium, ut VVittebergæ etiam Consistorium, neq; ad hoc constituendum alijs opus esset, quorum opera conducerentur. Sed ex Professoribus Theologiæ & Iuris, qui absq; hoc ibi docent, aliquibus hoc munus peculiariter & nominatim imponi posset, quibus & merces aliqua pro ea opera constituenda esset. Etiam Notarium his adiungi oporteret, qui publico stipendio conduceretur.

His Ecclesiasticum iudicium in tota Electorali ditione committi posset. Quod si graues causæ ad doctrinam pertinentes incidissent, deberet totius Academiæ consilium à Superintendente & Sistoralibus assumi.

Mandanda etiam consistorijs uisitationis cura, hoc modo, ut idoneo tempore Notarij, suæ singuli iurisdictionis loca peragrarent, & apud Superintendentes & alios mores & uitam Sacerdotum & populi explorarent, ne uel non coniugales consuetudines uel alia manifesta facinorâ ferrentur.

Superintendentes etiam ad doctrinam & ceremonias Ecclesiarum suarum respicere, & apud Pastores in Pagis curare debent, ut Catechesin Christianæ doctrinæ rudi ætati diligenter inculcent,

& ut perficiant id quod à multis fit, ut die Dominica Pomeridiano tempore una hora ad interrogationes & recitationes huius constituantur. Hoc utile esset in omnibus Pagis omnium Superintendentiarum seruari. Ad parentes quoque hortationes usurpandæ, ut, quæ par est, seueritate liberos suos ad illam in templis institutionem cogant. Etsi autem hæc puerilis ætatis exercitia tenuè quiddam & exile esse uidentur, unum tamen de præcipuis muneribus hoc est, & ad conseruationem doctrinæ & disciplinæ ueræ necessarium.

De ceremoniarum & rituum similitudine præstanda nostra sententiã est, in præcipuis rebus diligenter hanc conseruandam esse. Si quæ uerò paruæ dissimilitudines sunt de ijs, non est contendendũ. Superintendentes etiam hac in parte prudentiam & moderationem usurpare sciant, ut scandala auertantur & conseruetur concordia.

Submissè etiam petimus, ut C. V. benignè mandare uelit, & ut præstetur curare, ut in oppidis & pagis pauperibus Sacerdotibus merces debita persoluatur. Ne quid etiam redditibus Pastoralibus subtrahatur. Item ut ædificia pastoralia facta tecta præstentur, de quo expresse mandari oportet, ut in oppidis Consules & consilium publicum, & ruri ij, quibus ædium Ecclesiasticarum cura commissa est, assumpta opera eorum, qui præsumt in præfecturis Principalibus, ædificia inspiciant, & collapsa instaurent.

Cum etiam miseri quidam ex Sacerdotum ordine, & alij, belli tempore uocibus quibusdam deliquerint, Oramus suppliciter & propter Deum, ut V. C. omnibus illis ignoscere, & benignitatem atque clementiam erga hos usurpare uelit, quomodo etiam David & alij laudatissimi Principes post bellum talia uulnera benignitate & clementia sanarunt. Et dicit filius Dei: Beati misericordes. Tum nos etiam in omnibus concionibus & sermonibus nostris fideliter hortabimur ad reuerentiã & obedientiam omni superiori potestati obnoxie præstandam, & nos quoque ipsos, sicut fideles subditos par est facere, obediẽtes & quietos atque pacificos præstabimus, & tam doctrina quam uita nostra gloriæ Dei & paci diligenter inseruiemus. Hæc misera & calamitosa uita multis infirmitatibus obnoxia est, quod omnes, qui in gubernatione sunt ipsi in magna labore & cum magna molestia sua experiuntur. Ideo petimus submissè, ut V. C. etiam nos benigne ferre, & cogitationem suscipere uelit, quomodo senio confectis & corporum & ualitudinis imbecillitate atque uitio laborantibus, qui propter inualitudinem munus suum curare amplius non possunt, his igitur, quomodo unde alantur constitui possent, ut loco horum alij, quorum usus esse queat, recipi & alij possint.

Pauperes

Pauperes etiam Pastores cum moriuntur, & uidiuas cum liberis patre orbatis statim decedere oportet, his etiam quomodo subsidio aliquo consuli possit. Cum etiam in executione eorum, quae mandantur posita sint omnia, perimus submisit, ut V. C. seuerè, & Nobilitati & Praefectis & Oppidanis Magistratibus mandare uelit, quaecumq; C. V. sanxerit, ea ut obnoxie seruentur, ut curare studeant.

Hac igitur Illustriss. Principis Electoris & Theologorum nostratium coniunctio atq; consensio, ad Religionis ueritatem tuendam, quin uoluptatem aliquam allatura sit non iniquis lectoribus, non dubitamus, qui & ex his quae narrauimus utriusq; partis in conseruanda doctrinae puritate, studium, curam, diligentiam, iudicare poterunt.

In primis autem hoc loco peculiariter monendi lectores, ut obseruent & memoriae mandent, quod haectenus narrata docent, nimirum, hoc ipso tempore, cum de Augustano libro, qui Interim cognominatur, nihil adhuc quicquam sciretur, multò minus receptio illius postulata esset. Hoc igitur ipso tempore, & anno tertio & quarto praecedente, id est, tribus ferme continenter succedentibus annis à Principe Mauricio & hoc actum esse, & regionis res eum, quod docuimus, facere coegisse, ut de ritibus & consensione in unam & certam formam horum laboraret, fuit itq; in his terris de hac eadem re XLIII. & XLV. & hoc etiam XLVII. anno Lipsiae consultatum, ut ex his quae haectenus narrauimus, planum fuit, Quod ijs, qui de libri Augustani publicatione has actiones primum natas, & impio Pontificijs assentandi studio extitisse calumniati fuere, opponatur.



*Etsi igitur quid de similitudine rituum constituenda responsum sit à Theologis iam est perscriptum, tamen illud scriptum Lipsense anni XLV. tum recognitum & ab vniuersis Theologis denuò approbatum fuit. Quod verò Comitia Augustana instarent, differendam vsq. ad finem horum illius promulgationem esse iudicatum fuit, Quamquam illo tempore si id scriptum editum fuisset, quantum suspicionum & calumniarum atq. eorum malorum, quæ ex his sequuntur auersum fuisset, nemo non videt.*

*Ad hoc uerò Theologorum scriptum responsonis loco exhibitum Princeps Mauricius per scriptum alterum, repetita primùm voluntatis & sententiæ suæ de religione vera conseruanda declaratione, postea de animo suo, quo illam redditam suæ declarationem, permissiones, petitiones, & consilia Theologorum accepisset, testatus fuit, & de reliquis singulis perbenignè respondit & promisit. De instauratione quidem Academiarum in hanc fermè sententiã, vt de germanico conuertimus:*

**MAVRICII PRINCIPIS ELECTORIS**  
*Saxonie ad petitiones Theologorum  
declaratio.*

**V**olumus utramq. Academiam uero consilio instaurare, & ad gloriam Dei conseruare, benigne nobis persuadentes, Professores de diligentia sua nihil omissuros, sed una cum doctri-  
næ professione curaturos & adiuturos omnia, quæ ad pacem, tranquillitatem & concordiam faciant.

*Ad conseruationem etiam in hac urbe Academiæ nostræ accessi*

accerſi curauimus M. Ioachimū Camerarium, & expectamus ab ipſo quod quamprimum id fieri poſſit, huc ille ad locum ſuum ſe reuerſurus, & aſſumpto conſilio uestro, Magiſter Philippe, ſtudia & Academia in hac urbe ut inſtaurentur, operam ſit daturus, ſicut de ueſtra, Magiſter Philippe, diligentia, nihil dubitamus.

Atq; de Vuittebergens ſ Academia inſtauratione aliquanto etiam antè benignè Princeps Mauricius promiſerat Eleſtoralis ditionis ordinibus, equeſtri & oppidano- rum, qui cum ditionem illam occupanti in arce Vuitteber- genſi, fidem iurarēt, more ſolemni, idem hoc ſuppliciter pe- tuerant, vt Academia inſtauraretur, reuocatis in urbem prioribus leſtoribus & in primis Philippo Melanhone, vt illa Theologorum de hac tam ſollicita petitio officioſa magis quàm neceſſaria fuiſſe videri poſſit, quod & de ſe- quentibus magis cognoscetur.

Promiſit etiam de ijs qui ex politico & Theologo- rum ordine contra ipſum grauius locuti fuerant, quod pro- pter interceſſionem à Theologis factam, aduerſus illos eum ſe præbere vellet, vt planum fieret vniuerſis, ſe benignè potius quàm iure rigido agere ſtudere, atq; conſignatas quasdam voces Concionatorum quorundam Theologis tum exhibuit, de quibus quid fieri debere cenſerent, inter- rogauit, & de ijs qui belli tempore preces pro ipſo facere omiſiſſent, nonnihil queſtus fuit. Sed & res tum compoſi- ta, & culpa remiſſa, & venia ijs qui deliquerant, benignè conceſſa fuit.

Præterea ab Illuſtriſſ. Principe Mauricio dua-

rum tum rerum mentio facta est, quæ quod solæ ex omnibus illius conuentus actionibus in maleuolorum reprehensionem incurrerunt, minimè fuere dissimulandæ, ne callidè & non optima cum fide narrare videamur. Sunt autem hæc: Vt in Concionibus sacris à contumelijs non necessarijs abstineretur, & de publica precum formula conueniretur, qua Concionatores ad populum vterentur, de quorum altero monuit, alterum vt fieret postulauit.

Hæc ab inquietis tum manifestis calumnijs deprauata & corrupta, atq; insimulationibus falsis & odiosis infamata fuere. Spargebantur enim ab aliquibus, & odia hoc modo aduersus Principem vehementissimè incitabantur, postulatum fuisse, ne contra Rom. Pontificem in concionibus sacris diceretur, neue abusus & superstitiones ab hoc genere introductæ arguerentur. Quod ut falsissimum esse planum fuit, verba capitis huius de scripto illo Principis ex germanico, vt alia, conuersa, subieciimus, quorum hæc est sententia:

**E**T expectamus à uestra beneuolentiâ & uobis amanter & prorsus, inuituros uos eam rationem, ut pro concionibus uerbum Dei doceatur, & uera confessio huius edatur, & populus fideliter institutur, quibus in rebus, ipsius consolatio & salus consistat, & contumeliosa dicta, & non necessariæ atq; ignominiosæ notationes, quæ ad Christianam uitam parum conferant, uidentur. Quo non intelligi uolumus, impios Pontificis abusus, falsam doctrinam, & cultus falsos, quoties necessitas postulet, ijs uerbis, quibus decet, & quæ ad homines meliores reddendos usum afferant, notandos non esse, sed ut in hac re id uideatur, quod non est necessarium, & parum fructus affert. Inprimis autem nostræ regiones ad nos retulerunt, ut auertere uellemus, ne quid de bello præterito disputetur, neue pro concionibus pro aut contra hanc uel illam partem dicatur, sed à Deo salutaris pax & tranquillitas petatur.

Hæc

Hæc igitur verba sunt non postulationis (quanquam et postulatio si usurpata fuisset, nõ posset iure reprehendi) sed admonitionis, & quidem moderatissimæ illius, quæ an & per se & illorum temporum consideratione, iure culpa-ri possit, legentium iudicio permittimus, cum intelligentib. quidem quo directa hæc sint, minimè obscurum esse possit, Nam Cæsaris nomen ita tum odiosum erat, ut planè & expressis verbis de hoc edici non videretur consultum.

De precibus autem caput, solum fuit, ad quod à Theologis tum responsum postularetur, quodq; per se postulationem complecteretur, cætera admonitiones & significati-ones habuerunt. De his igitur similiter spargebatur, assentatorum hoc esse, & Flacius formulam etiam ipsam inuadere ausus fuit. Sed huius etiam capituli verba de Principis scripto germanico conuersa subiiciamus. Petimus & postulamus à vestra benevolentia & vobis, vt in aliquam precum formulam consentiatis, qua Concionatores non tantum in hortationibus ad preces faciendas vtantur, sed quæ de Charta etiam præeatur, vt populus non tantum hortationes audiat, sed etiam quod ore sequatur, & ita preces faciat. An verò vel superuacanea vel impia hæc petitio & postulatio Principis illo tempore fuerit, & Theologos obsequi par fuerit, intelligentes & pijs facilè constituent, ad reliquos disputari non attinet. Formula igitur tum à Theologis composita & approbata fuit, qua Ecclesiæ piè vti possent, quæ de Principe id precatur, quod scripta responsio à Theologis exhibita orat, quam supra

N

expo-

exposuimus. Sed extiterunt postea quidam *ζηλοῦντες ῥήλου  
 ὁυ τῆς, εὐσεβείας,* sed Iudaicum quendam, qui extrema potius omnia sibi accersere vellent, quam formulam illam vsurpari aut sequi, vt infra in Cellensibus exponitur. De illa igitur vt iudicari possit, rectè ne an secus & reprehensa & detrectata tantopere fuerit subiiciendam etiam ipsam hoc loco ad rei memoriam putauimus, cum hæc omnia pro se ipsa causam dicant. Quæ de Germanico cõuersa talis est.

### FORMVLA PRECATIONIS.

**O**mnipotens æterne uerissime Deus, pater Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ una cum filio tuo Iesu Christo & Spiritu Sancto, agimus tibi gratias toto pectore, quod immensa misericordia te nobis patefecisti misso filio Iesu Christo, & prolato arcano & admirando decreto de redemptione generis humani, & colligis tibi æternam Ecclesiam per ministerium Euāgelij & Spiritum sanctū, & præbes hospitia Ecclesiæ, & res uitæ sustentationi necessarias. Hæc & alia beneficia confitemur uerissime tua dona esse, & abs te nobis propter Filium tribui & conseruari.

Confitemur etiam multis nos peccatis multipliciter pollutos esse, & ueris atq; ardentibus doloribus cordis deploramus, quod contra normam iusticiæ tuæ peccauerimus, ac precamur, ut cõuertas nos ad te, & condones nob. omnia peccata nostra propter dilectū filium tuū Iesum Christum, & Spiritu sancto tuo accēdas in nobis ueram fidem & ueram obedientiam, & regas nos, ut sicut serio propositum nobis est, auxilio tuo emendemus uitam, & tibi obediamus.

Oramus etiam propter Iesum Christum filium tuum dilectum, ut inter nos & in his regionibus perpetuo tibi colligas Ecclesiam, & in ea puritatē ueræ doctrinæ conserues, ut te uera inuocatione colamus, & tibi odediamus, & in omni æternitate te celebremus & diligamus. Ad hanc rem largiaris Ecclesiæ fideles Doctores & Pastores, qui recta docendo, & exemplo piæ uitæ gloriam tuam illustrent & profint Ecclesiæ.

Oramus etiam propter Iesum Christum filium, ut his terris largiaris piam, salutarem & tranquillam gubernationem, & Cæsaream Maiestatem ac nostros Principes tuearis, ac Spiritu sancto tuo regas,

ut tota ipsorum gubernatio seruiat gloriæ tuæ, & ipsis ac subditis sit tranquilla ac salutaris. Confirmes etiam Principes nostros in pio proposito tuam gloriâ, ueram doctrinam & honestatem disciplinæ conferuandâ. Et Magistratus huius urbis clementer gubernes ac tuearis.

Precamur etiam, ut res terra nascentes ( quas largiris, ut in hac uita genus humanum sustentetur, & te agnoscat & inuocet ) foueas & protegas, & panem quotidianum benignè nobis præbeas. Et quia tibi nota est ingens imbecillitas nostra, & promisisti te magnitudinē iræ aduersus peccatum temperaturum misericordia propter intercessionē dilecti Filij tui, oramus, ut pœnas, quas meritò sustinemus, clementer mitiges, & afflictos omnes, qui te inuocant, cōsoleris Spiritu sancto tuo, ut in uera fide & uera inuocatione maneant constantes, & in omni æternitate misericordiam tuam celebrent, Amen.

*Atq; hæc sunt, quæ hoc conuentu Theologis proposita, & ab his acta fuere, quàm breuiter id de Actis excerpti potuit.*

Dimisso conuentu cùm huc reuersi essent nostri, quod iam de uoluntate & consilio Principis de instauranda hac Academia certò & publicè constaret, Ideò Rector Academiae etiam de peculiari insuper Princ. Electoris mandato absentes Professores diuersis ex locis, in quæ quisque concesserat, ad suas queng; pristinas operas missis literis reuocat, significata Principis uoluntate. Laborarat de his reuocandis iam antè etiam Electoralis ditio, ut narrauimus, & à D. Philippo iam dudum Senatus Urbis Vuittebergensis ad illam primam de instauranda Academia promissionem factam, sollicitè & amanter atq; officiosè per literas petierat, ut redire uellet, & Collegas ueteres ut reducere conaretur. Sed cùm D. D. Pomeranus, D. Cruciger, D. Fendius, & M. Paulus Lipsiam ad con-

N 2 uentum

uentum venissent, & D. Philippus tum *Wimariae* esse diceretur, Missi sunt à Principe Elect. Mauricio, qui eum quaerent, cum mandatis his fermè: Principem de *Academia Witebergensis* instauratione constituisse, de qua cum absq; Philippi opera atq; praesentia, praecleara spes nulla concipi posset, cupere Principem Electorem, ne hanc & *Academiae* & *Ecclesijs* in his terris, quarum salus et tùm simul cõmedabatur, subtrahere vellet, Et cum de hoc & alijs iam in cõuentu, qui *Lipsiae* haberetur consultationes futurae essent, ne ad huc venire grauarietur. Sed discesserat iam *Wimaria* D. Philippus, expeditis rebus suis et reuersionem inde in hanc urbem priuatis de causis instituerat, etiam propter deposita, apud se, & in aedibus suis, multiplicia, neq; parui precij, & iam *Meresburgum* vsq; ad Principem *Georg. Anhaltinum* &c. prouectus fuerat, vbi Legatus ab Electore ad eum venit, quem ad conuentum *Lipsiam* fuit secutus, in quo deinceps post declarationem Principis supra expositam, operam suam *Academiae Witebergensi* denuò ille condixit, & huc statim se contulit, quodq; à discipulis fermè solitudo adhuc esset, priuatum inter multiplices occupationes libellum *Dialecticum* elaborauit, vt is fieret, qui iam est.

Reliqui igitur Professores postea ad hanc Rectoris significationem & ipsi huc sunt reuersi, vt Mense *Octobri*, qui erat à conuentu hoc *Lipsensi* tertius, reductis Professoribus, & confluentibus discipulis publicae operae inchoarentur, cum cætus Scholasticus dimissus esset, publica

lica significatione, ex sententia Principis tùm nostri Io-  
hannis Friderici Electoris &c. proposita, die 6. Nouem-  
bris Anni superioris, qui fuit XLVI. vt dissipatio illa,  
quæ de calamitoso bello extiterat, durarit ad menses 11.  
quo eodem mense Ioach. Camer. ad Academiam Lipsensem  
redyt. Etsi autem ab alijs terris, & ad aliarum regionum  
Academias & Scholas opera nostra literis & per legatos  
expetita, & honestissimæ conditiones ab externis Regi-  
bus, Principibus & Ciuitatibus Imperialibus, plerisq; no-  
strum latæ fuere, Quòd tamen spem de instauratione Aca-  
demie huius abycere non possemus, Ideò antequàm de hac  
quid futurum esset, cognosceretur, alijs operam condicere  
pepercimus, & postea ad talem declarationem voluntatis  
sue Principis Elect. & benignissimam reuocationem hu-  
ius, suo se quisq; loco restituit, cùm pietatis, humanitatis et  
officij rationes hoc à nobis flagitare viderentur.

Neque enim vlllo modo deserenda nobis ea loca, aut  
quantum in nobis esset, vt vastitas aut solitudo in ijs fie-  
ret, committendum putauimus, in quibus & veritatis do-  
ctrinæ cælestis instauratione, & optimarum artium ex-  
plicatione, à Reuerendo viro Doctore Martino Luthero  
& alijs, non tantùm his terris, sed multis etiam alijs, &  
orbi propemodum terrarum. vtiliter fuit inseruitum, &  
quibus locis veræ religionis cognitionem, & ea quæ in no-  
bis non contemnenda alijs viderentur, deberemus vniuer-  
sa, Et in quæ loca diuinitus suo quisq; loco esset collocatus,  
vt diuina & humana obligatione multipliciter ijs essemus



deuincti. Atq; vt semel dicamus, neq; monumēta præclaris  
Academiæ Illustrissimorum Principum Electorum Saxo-  
niæ trium, quorum benignitate & protectione tanta ad  
nos & alios beneficia peruenerunt, neq; Academiā ma-  
trem, & talem matrem, neq; locum & stationem nostram,  
in quam Deus nos collocarat, & sedes omninò iam quasi  
patrias quasdam deserendas, neq; sine causa, & non neces-  
sarijs migrationibus familias nostras affligendas iudicau-  
mus. Quod factum nostrum Deus, vt pie interpretari pos-  
sumus, mirabilibus euentis approbavit. Cum enim & an-  
nonæ caritatem, & Pestilentie malum, ex ijs quæ in his  
locis acciderant, et inter milites qui in præsidio relictī erāt,  
& Scholasticos nostros turbas multiplices metui necesse  
esset, Propitius Deus hæc omnia mala clementer & mi-  
rabiliter auertit. Neq; enim annona multis annis vilior in  
vrbe, & contagiorum nihil, turbarum autem perparum  
fuit, et celeriter tanta Scholasticorum multitudo cōfluxit,  
quantam nunquàm ante à primo fundationis tempore hīc  
collectam senes nostri meminerunt. Quod propter gloriam  
Dei hoc loco commemorandum censuimus, cuius miseri-  
cordiæ & benignitati hæc quoq; beneficia ascribimus, &  
gratiam pro his, vt Christianos homines facere par est,  
omnipotentie ipsius confitemur.

Etsi autem hoc factum nostrum eiusmodi est, vt non  
cur factum sit disputari oporteat, sed si aliter factum fu-  
isset ad excusandum difficultatem esset maximam habitu-  
rum, tamen hæc, & ad Deum pia, & ad homines sanos  
honestissimè

honestissima consilia nostra, & quæ cælum & terra appro-  
basse videri possunt, ab inquietis tantum non desertionis  
& prodicionis nominibus sunt notata, Qui vbi causas ac-  
cusationum suarum exposuerint, respõderi eis poterit: quod  
ad maledicta, quæ nullis argumentis probantur, fieri non  
potest, quorum hominum quātumuis est proiecta audacia,  
tanta tamen, vt nobis persuademus, non erit, vt aliquo  
statu rerum Germanicarum illas sint publicaturi, quanquã  
profectò hoc ipsum maliciam istorum omnium maximè &  
grauissimè refutat, quod ex ys quæ hæctenus narrauimus,  
quid illi obtrectatores nostri egerint atq; quæsuerint, ob-  
scurum esse non possit. Itaq; in præsentia mentionem hanc  
tantum inferere, contendere cum ipsis minime libuit.

De Philippo tamen Melantbone comperimus, quos-  
dam ex susurrationibus & insimulationibus improborum,  
suspicionem concepisse, quod condictam alijs operam suam  
deseruerit, de quo in præsentia hoc tantum ijs, apud quos  
de calumnijs & obtrectationibus malevolentissimis suspi-  
ciones extiterunt significare libet, rem minimè ita se habe-  
re, & crimen hoc esse confictum improbissimè. Autores  
autem illos & monemus & oramus, ne plura dicendi ne-  
cessitatem nobis deinceps afferant. Nam quod de D. Phi-  
lippi Melantbonis et nostrum omnium reuersione ho-  
nestissimè & verissimè ad quoscunq; quocunq;  
tempore dicere possimus, non est  
nobis defuturum.

CON-

CONVENTVS  
THEOLOGORVM, ET  
DELECTORVM EX ORDINI-  
bus Politicis Misnæ habitus Anno XLVIII.  
Mense Iulio.

**I**N hoc Conuentu prima de libro Augustano in his ter-  
ris suscepta fuit publica consultatio. Cum autem ex eo  
Libro nostræ Ecclesiæ primùm suspecta facta sint, &  
hoc fundamento Flacianæ calumniæ & Complicum huius  
nitantur vniuersæ, quòd & Princeps ad hunc recipien-  
dum se obligasse, & à Theologis idem postulasse dicatur.  
Antè igitur quàm de ijs, de quibus in hoc Conuentu actum  
deliberatumq; fuit, narremus, repetendæ à primis in ijs  
occasionibus atq; causæ deliberationum illarum, vt res flagi-  
tat, aliquantò copiosius. Ac primum quidem omnium do-  
ceri oportet, quid ab Illustrissimo Principe Mauricio E-  
lect. de illo Libro cum Imperatore actum sit, & qualem se  
in hoc toto negotio Illustriss. Princeps noster gesserit, ita  
simul & quid à Theologis nostris factum sit, demonstrari  
poterit. Atq; hæc ita narrare conabimur, ut de nostri Prin-  
cipis actionibus commemorantes, ab aliorum, quantum id  
fieri potest, mentionibus abstineamus, etsi quid quisq; ege-  
rit, minimè est obscurum. Cum igitur paucis diebus post  
conuentum Lipsicum, de quo narrauimus, ad Comitia Au-  
gustana venisset, quorum initium fuit Calend. Septem. in  
eas deliberationes incidit, quib. Germania ita est turbata,  
vt ne

vt ne nunc quidem tranquillata constiterit, & ab ijs rebus  
hæc etiam descriptionis huius nostræ vniuersæ necessitas no-  
bis afferatur. Cùm enim Carolus Imper: semper de com-  
ponendis rebus laborasset, in illis etiam Comitijs Augusta-  
nis de hoc deliberatum fuit, quomodo interim, dum de reli-  
gione controuersia explicarentur, aliqua pax inter ordines  
Germanicos constitui posset, vel bella saltem & tumultus  
& motus populares reprimerentur.

Et quidem, vt consilium de celebranda Synodo nunq̃  
deposuit, dum Imperij administrationem retinuit: Sic tunc  
deliberationes de religione à Synodi mentione inchoauit,  
& de controuersijs ad Synodum reijciendis quædam ad  
Imperij ordines retulit, vt qua iusta ac legitima cognitio-  
ne dijudicationeq; controuersiarum dissidia tollerentur ex  
Ecclesia, maturo consilio constituerent. Ad hanc Synodi  
mentionem consultus ab Electore Mauricio Philippus  
Melanthon, cùm de forma cognitionis & iudicij in Synodo  
seruanda, tum de quibusdam ad Tridentini Conciliabuli de-  
creta pertinentibus, suo loco respondit paucis. Mature au-  
tem missis literis ex Augusta de Concilio Princeps sciscita-  
tus fuit, quibus & Theologos monuit, vt ad iter parati es-  
sent. Futurum enim existimauit, vt vel de Concilio sint  
consulendi amplius, si deliberationes procederent, idq; ex  
propinquo commodius fieri posse, vel de religionis contro-  
uersijs collatio institueretur, qualis suscepta sæpè fuerat.  
Responderunt autem Theologi Principi hac Epistola, &  
de Synodo responsio aliquanto post missa fuit, quæ sequitur:  
O

Gratia

**G**Ratia & pax à Deo Patre per unigenitum eius filium Iesum Christum Dominum & Saluatorem nostrum. Illustrissime Princeps Elector, Domine clementissime. Propositionem Imperatoris de Concilio & Celsitudinis uestræ literas ea qua par est submissione animi & humilitate accepimus, de quibus non possumus non, quam concepimus sollicitudinem Celsitudini uestræ indicare. Videmur animaduerrere, quod cudatur Interim, quod multi ordines de doctrina nobiscum consentientes non sunt recepturi, unde noua & tristiora bella exorientur. Quapropter & auxilio Dei ad eam rem & maturo consilio opus erit, & totum hunc conatum nos uehementer extimescimus.

Esset uerò per sese res grauis futura, si nostræ Ecclesiæ notis mutationibus turbarentur, & uere pium, Christianum ac utile esset, hunc statum in quo nunc sunt, nostris Ecclesijs relinquere. Sed quia nondum scimus ad quas res euocati sumus, & qui communibus de liberationibus præterea sint adfuturi, C. V. euocationi submissè obtemperabimus. Nihil mallems aliud, quàm conseruari pacem & tranquillitatem in Ecclesijs & regionibus, nec delectamur non necessarijs disputationibus, sed sunt res aliquæ necessariae ad Dei gloriam, de quibus reuerenter nostram exponere sententiam parati sumus. Omnipotens Deus Cel. V. clementer tueatur & regat, & tribuat his terris salutarem gubernationem & pacem. VVitebergæ 24. Ianuarij, Anno 1548.

Caspar Cruciger D.  
Georgius Maior D.  
Philippus Melanthon.

## RESPONSIO PHILIPPI ME

*lanthonis de Synodo.*

**D**E Synodo simplicem & ueram sententiam meam breuibus indicabo. Omnes Magistratus Christiani, Imperator, Reges, & Principes hoc debent Deo, ut quotiescunq; mouentur certamina de religione, præsertim in pluribus regionibus, cogant iusto & legitimo modo Synodos generales uel nationales, ne gloria Dei corruptelis doctrinæ deformetur, & turbetur recta piorum inuocatio, quia scriptum est: Dic Ecclesiæ. Hæc fuit consuetudo in Ecclesia inde usq; ab initio. Nec tantùm concilia uniuersalia à Constantino, Theodosio, Arcadio, Martiano in urbibus, Nicæa, Constantinopoli, Epheso, Chalcedone; sed & Nationalia in Hispania & Germania celebrata esse legimus. Suntq; concilia, iudicia Ecclesiæ propria & ordinaria

ordinaria, in quibus homines idonei, ad audiendas, cognoscendas & decernendas controverfias deligi atq; adhiberi debent: quod ut fiat, fummi magiftratus, ut præcipua Ecclefiastici corporis membra præcipua cura præftare debent.

Cum ergo concilia fint ordinaria iudicia, quæ habet Ecclefiæ, ad ea utraq; pars conuocari, & audiri utraq; debet. Nec à quoquam exigi debet obligatio ad approbationem eorum, quæ fuerint pronuntiata ante cognitionem, fed, ficut fieri folet in iudicijs rectè conftitatis, permittenda eft libera cuiq; expectatio fententiæ, quæ fereatur: cui qui parere recufarit, is quod euenerit poftea, fuftineat.

Omnia defugi & detrectari iudicia & Synodi omnes nullo modo poffunt. Oportet enim in Ecclefiâ iudicia effe, nec poterunt nõ offendi peregrinæ nationes, fi audiuerint, nullius profus nos Synodi iudicia fubire uelle. Sed iniuftum eft Imperatorem, Principes, Electores & reliquos ftatus Imperij cogere uelle, ut prius fe obligent ad probanda & feruanda decreta Synodi, priusquam illa cognitifs & dijudicatis caufis ftatuantur. Nam concilia non funt compromiffa, fed ordinaria & legitima iudicia, in quibus, qui deliquiffent conuincetur, pœnam expectet. Sed inftitui illa iudicia & exerceri legitimo modo conuenit.

Quod uerò dicitur, Quorfum attinet celebrari Synodos, fi obedientia decretis præftanda detrectetur: Item Conciliorum decreta oportere rata effe & fine recufatione feruari? Ad ifta ueriffima refponfo eft: Talis obedientia ante Synodi celebrationem & caufæ cognitionem ac dijudicationem poftulari nec potefit nec debet, & concilia conftat fuiffe diffimiliffima. Item fi ante Synodum fpondeatur obedientia, confirmabitur in Pontificijs & Monachis, qui fiducia huius promiffi molientur clam, ut omnia ipfi gubernent, audacia concludendi, quæ libebit, quia ex fponfione obedientiæ fciant ius poteftatemq; contradicendi omnibus ademptam effe.

Nec unquam in ueteribus Synodis, ut Constantini tempore petiitum fuit, ut ante cognitionem promitteretur obedientia de illis, quæ concluderentur. Sed poftquam in urbe Nicea decretum factum fuit, Constantinus id fua fubfcriptione comprobauit, & ut idem reliqui facerent, poftulauit. Et non eft obfcurum intelligentibus omnibus, quæ in iudicijs talibus fit ordinaria & legitima forma processus, præfertim in rebus pertinentibus ad Dei gloriam & falutem confcientiarum.

Quod uerò aliqui Imperij ordines confulunt, uel etiam Imperator ipfe flagitat confenfum de continuatione Synodi in urbe

Tridentina inchoatæ, de hoc quantum ad me, respondeo, me talem consensum non aliter intelligere, quàm de approbatione decretorum, quæ iam facta sunt. Cùm autem inter illa decreta aliqua certò & manifestè sine falsa & contraria ueritati, nullo modo illorum decretorum approbationem suadere possim, neq; his unquam conscientiam meam onerabo. Nam ut non dicam de primis articulis, in quibus nihil admodum tractatur dogmaticum, duorum uolo meminisse, in quibus de peccato originis & de fide ac iustificatione statuitur. Scio dicere solere aliquos, non nimis scrupulosas censuras agi debere in simpliciter dicta. Neq; ego quæ uera sunt aut deprauabo, aut rejiciam. Sed dico contineri in his duobus articulis aliqua quæ uera sunt; sed contra principalia, quæ insunt certò, falsa & ueritati diuinæ contraria sunt, ut in decreto de iustificatione clarè exprimitur, Errorem esse, sic docere, quòd fide statuendum sit hominem habere remissionem peccatorum & Deo placere. Item cùm dicitur, quòd iusticia Christi nobis donetur, non debere intelligi, quod accepti simus, & placeamus propter iusticiam Christi, sed propter nostram mundiciem & dignitatem, quæ in nobis informatur & efficitur ideo, quòd filius Dei pro nobis passus est. Item, cùm dicitur: Dilectionem, esse, per quam sumus principaliter iusti, & non fidem, quæ consistat etiam cum peccatis mortalibus, & contra conscientiam. Nihil interpreterabor aut detorquebo ueteratoriè, sed certo & reuera genuinus sensus illius decreti prorsus aduersatur ueræ doctrinæ de reconciliatione & iustificatione ne fidei, quæ traditur in nostris Ecclesijs.

Item laudantur in illis decretis indulgentiæ, & aqua lustralis. Item dicitur, prauas inclinationes in homine, reliquam imbecillitatem & dubitationes de Deo, non esse peccata.

Quantum ergò futuros non dubito, qui impias has & falsas partes decretorum pingent & excusabunt, & dicent, tranquillitatis causa generalibus uerbis expositas esse: tamen ego neq; his pietatis sophismatum meam conscientiam grauabo, Neq; ipsas impias partes unquam approbabo. Neq; obscurum est ex his ipsis, qualia sint futura decreta de Missa & inuocatione Sanctorum. Neq; ad concordiam hæc decreta profutura esse cuius consideratu facile est. Oppugnabuntur enim à plurimis, & iam decretorum, quæ extant, resolutiones editæ sunt. Deniq; hoc ipsum decretum de fide & iustificatione contrarium est illi, quo Ratisponæ Anno 1541. inter nos & aduersarios consensus constituta est.

Si ergò legitima iudicij forma Imperator uti uult in Synodo generali, necessarium erit, ut quemadmodum consultatio Electoris censuit

cessit, nos autoritate publica accersamur, & audiantur responsiones  
& declarationes nostræ, & ab Imperatore idonei & intelligentes iudic-  
ces deligantur, qui de causâ cognoscant. Postea quid secuturum sit,  
quilibet expectet. Nec de ordinario processu cognitionis, quid con-  
sulam aliud, uideo.

Si uerò apud Imperatorem obtineri posset, ut non hac, sed  
alia ratione & uia, de qua etiam deliberatum fuit in conuentu Spirensi,  
si, experiatur compositionem controuersiarum, scilicet, ut deliberata  
partis utriusq; de controuersijs apud ipsum deponantur, hoc tentari  
si libuerit, primo poterit.

Ego in hac sum sententia, perpetua fore in hac uita ueritati  
cœlestis doctrinæ certamina cum erroribus & deprauationibus, quas  
alij alias inuehent, & rectè sentientes, ac uerè Christiani sub cruce  
erunt, & afflictiones sustinebunt multiplices & uarias, propter ueri-  
tatis confessionem.

Philippus Melanthon.

*Erant autem qui in illis tum deliberationibus simul  
monerent, nisi aliqua in religionis negotio facta conciliatio  
esset, pacem in ciuilibus rebus firmam constitui nullam posse.  
Et hac de causa à quibusdam, ut notum est, forma con-  
ciliationis talis composita fuit, & de hac ad Cæsarem rela-  
tum, esse eam eiusmodi, qua seruata, interiecto tempore  
usq; ad Concilij dijudicationem, pax inter Principum ciui-  
les administrationes esse posset, Vnde & cognomentum ei  
datum, ut **INTERIM** appellaretur.*

*Erat ille Liber non dissimilis ei, quem in Comitijs  
Ratisponensibus, & colloquio ibi de religioae habito, Im-  
perator proponi curauit, Anno M. D. XLI. Per se uerò  
totus & captiosus, & non solum obscuris & inexplicatis,  
sed etiam prorsus falsis, uera inuoluens, & ut planius di-  
camus, uera falsis, perspicua obscuris, certa dubijs, minus  
intricata perplexis commiscens, ut contineret simul, uera,  
falsa,*



falsa, dubia, deprauata. Et quod Epiphanius de Sampsaeis scribit, à Nazarenis hos excitatos, neq; Christianos esse neq; Iudeos neq; Græcos, sed dum simpliciter medij quidam esse velint, nihil esse. Id de illo etiam libro dici possit. Neq; enim Pontificia omnia, neq; nostrarum Ecclesiarum doctrinam veram, per omnia approbans, medium aliquid introducebat, quod veri parum, falsitatis plurimum continens, neutrum videri poterat, vel nihil etiam prorsus. Itaq; hic etsi manifestè quædam falsa atq; impia complectebatur, tamen admiscebantur pugnantia quædam, quo præstigiæ fiebant eiusmodi, vt cum suspectus haberetur à plerisq;, non tamen vniuscuiusq; esset, omnia in quibus fraus subesset ostendere atq; explicare, sed doctissimis etiam & exercitatissimis res operosa fieret, vnde & multis ille imposuit.

Quod tamen Cæs. Maiest. persuaderetur recipi illum librum per omnia à nostris Ecclesijs posse, ideo postea & publicatus, & vt reciperetur atq; seruaretur, postulatum fuit, qua in parte, vt Germania post calamitosissimum bellum magis etiam ab illo ærumnifero libro affligeretur, in causa fuit dissentio eorum, qui si cum melioribus sententijs se coniunxissent, & à patria communi, & Principe Mauricio, & his terris, ea mala cum quibus aliquot iam annos conflictantur, & quibus nunc etiam affliçantur, vel auertissent prorsus, vel mitigaturi saltem non mediocriter fuissent. Ipse certè Mauricius in eas difficultates, de quibus infra cognoscetur, minime fuisset coniectus. Quæ omnia cum

notæ res sint & nimis quidem illæ, plura de his dici in præsentia nihil attinet.

Duobus igitur Mensibus antequàm Liber Augustanus publicaretur, tentari animi cæpere & explorari præcipuorum in Imperio ordinum, quid de Libro essent facturi, alij quidem per alios, & Principis Mauricij imprimis & ante omnes cæteros. Ac primùm duobus quibusdam præcipuis ex Principum ordine à Cæsare & Rege, ut ipsi narrabant, secretò est Liber traditus, qui legerent, & ipsædem mandatum, ut cum Duce etiam Mauricio illum communicarent, & perlecto libro sententias inter se conferrent, & de re statuerent, & secretò omnia ut agerentur. Itaq; illi duo cum biduo aut triduo antè librum accepissent, Ducem Mauricium ad communem lectionem libri accersunt die 17. Martij, & de mandatis Cæsaris ei significant. Ibi tum ad relationem illam Dux Mauricius respondit in hanc fermè sententiam:

Esse hoc negocium eiusmodi, quod animæ salutem, conscientiam & existimationem ac famam; & subditos simul ipsius attingeret, de quo ipse una cum his, quos secum haberet, nihil posset statueret, neq; sibi integrum esse hac in parte quicquam recipere, non consulis prius sacræ Scripturæ Doctoribus suis, & sine ditionum suarum consensu, atq; simul promissionis sibi à Cæsare per Regem fratrem &c. in comitijs Ratisponensibus factæ, mentionem fecit, & quid C. M. ad Regionum ipsius ordines scripisset, nimirum, quod ab eo religionis statu, in quo iam essent, per vim ipsos depellere nollet. Ad quam promissionem regionum suarum ordinibus recepisset, se in ea religione ut permanere ipsis liceret facturum, neq; ab hac ut depellerentur permissurum esse &c. Quapropter consultorum, quæ proponerentur recitationem non grauatim se cognoscere, etiam de rationibus ad hæc suis significare uelle, sine tamen ulla obligatione, neq; alijs conditionibus, quàm ut de re amplius cogitare, & regionum suarum ordines de his deliberare ut liceat, &c.

Post

Post hæc recitatio libri inter hos inchoata, & inter legendum multiplices collocaiones habitæ de certis capitibus fuere, de quibus amplius deliberandum uideretur, atq; ita triduum recitatione tali consumtum. Quia finita, cum in ea sententia, de qua ante recitatio- nem significauerat, Dux Mauricius Elector perseueraret, nihil à se in urbe Augustana, neq; nisi re cum ordinibus regionum suarum prius deliberata quicquam constitui posse, ita ille tum urgeri coepit, ut tantum non cogi ad assensionem uideretur, nisi enim hoc faceret, turbas- rum eam causam in S. R. Imperio futuram esse, neq; enim aliter futu- rum, quam ut liber ille communiter ab uniuersis Imperij ordinibus, tam nostræ, quam Pontificiæ religionis, communi consensu res- ciperetur, & si huic ipse se opponeret, aut in urbe Augustana dum- esset eum non approbaret, abalienaturum eum à se Imperatoris ani- mum, & sibi & suis pericula attracturum. Itaq; ij, qui cum Principe Mauricio tum agebant, & ut agerent, mandata acceperant, graue sibi esse testabantur de responsione Mauricij tali ad Imperatorem referre, & expetebant, ut quæ quibus in capitibus desideraret, ea scripto consignari curaret, & de ijs postea colloctio, ut haberetur, & inter ipsos ut conueniret operam datum iri, modo in urbe Augustana, ut omnia fierent.

Ad hæc respondit Mauricius Elector, neq; se neq; eos, quos secum haberet, istas res satis intelligere. Ideo se facere non posse, ut de ijs rebus quicquam uel scriptio uel colloquiorum susciperet. Se tamen de Missa animaduertisse, quòd hanc retineri uelit liber ille, neq; de Canone quicquam remitti, & hoc se facere non posse. Com- plecti enim Canonem, quòd Missa sit Sacrificium, & huius sacra qui recitet, per eum corpus & sanguinem Christi offerri & sumi ad remissionem peccatorum, tam in uiuis, quam in mortuis, quo modo iam Sacerdotis illa actio remissionem peccatorum promereretur. Item in Canone contineri precatioes pro mortuis, Inuocationem & intercessionem Sanctorum hominum, qui ex hac uita decesserunt, atq; ita prorsus doctrinæ de iustificatione, quæ in priore libri parte traderetur, contrarium esse.

Item Missas pro animabus mortuorum, & exequias pro his librum instaurari uelle.

Item ut Missæ fiant etiam, si non sint qui communicent.

Item processioes Pompas introducti, præcipue eas, quæ fieri solent in festo corporis Christi.

Item consecrationes creaturarum, & similia.

Hæc singula & uniuersa non posse se approbare, Doctrinæ enim

enim de Iustificacione, quæ priore libri parte exponeretur, contraria ea esse.

Sacramentis etiam confirmationis & unctionis nimis multum tribui, & ueteres quidem Sacramenti his nomen tribuisse, quod sacrarum rerum signa essent, sed pro necessarijs ad salutem Sacramentis aut rebus non habuisse.

Quicquid tamen ipse & regionum suarum ordines **PIE ET CVM BONA CONSCIËNTIA** in concessione de externis ceremonijs facere possent, in eo non passurum se, ut aliquid in ipso requireretur: Si tamen communiter ab omnibus Imperij ordinibus illa res consentientibus sententijs approbaretur & reciperetur.

Possè enim se gloriari de ijs, quibus animarum cura incumberet, pastoribus & concionatoribus in Ecclesijs ditionis suæ, quòd multas illi pulchras ceremonias usurparent, & sacra speciose administrarent solennitatibus, cantionibus, ritibus solennibus, ornatu Ecclesiasticò. Et quòd in omnibus, quæ scripturæ non sint contraria, concordia causa non grauati essent concessuri.

Itaq; si Colloquium fortè institueretur, quod ipse consultissimum esse censeret, oportere Theologos suos, unà cum alijs ad hoc adhiberi, quibus de itinere ita ut res postularet, cauere, & fides publica præstaretur, seq; adhibiturum ex doctis suis, uiros pios, amantes pacis, & ad controuersias explicandas idoneos. Et petijt tòm ab ijs duobus, qui cum ipso egerant, ut ambo illi, quo ad tale colloquium res deduceretur, opera sua perficere studerent, & se apud Cæsarem & Regiam Maiestatem ut excusarent.

Curauit etiam Dux Mauricius Elector per quosdam Consiliarios suos, Regem Ferdinandum &c. de re doceri, & coram ab hoc petijt, ut operam nauare uellet, & ipse suas etiam regiones consideraret, ex quibus quædam & ipsæ hanc religionem & doctrinam profiterentur, quasq; turbas commouere, & quorum periculorum metus hæc res afferre posset, si de religione sua homines per uim depellerentur, neq; deliberatio de re cum doctis & intelligentibus hominibus permitteretur.

Atq; de hac re cum apud Regem agerent duo Principis Electoris consiliarij, quos Rex horum negociorum causa ad se accersiuerat, in hos etiam sermones uentum est, ut Rex illos duos admoneret, de Philippo Melanphone ut cauere, Nam hunc contra Cæsaream Maiestatem scripsisse, ideoq; in mala eum gratia esse, neq; adhuc Cæsaris reconciliationem nactum. Itaq; periculum esse, ne Imperator Principi ipsorum de hoc mandaret, & diceret, Trade mihi hostem

meum. Quare consultissimum fore, ut Elector eum tempori submis-  
ueret. Hæc postea, quàm benè fieri potuit, excusata sunt, & Regi per  
Electorem Mauricium significatum, Philippum Melanthonem cum  
esse, cuius opera & nunc Ecclesiastica res atq; disciplina per ditionem  
ipsius conseruaretur, & spes esset, optimè constitui posse quocunq;  
tempore deinceps, quodq; ex significationibus certorum hominum  
accepisset, Cæsarem ipsum post bellum eius uiri operam expetiuisse,  
& stipendium ei decernere constituisse, ut qui de controuersis doctri-  
næ Christianæ capitibus audire eum cogitasset. Ideoq; se nunq; sus-  
spicatum, eò rem deuenturam esse, & securitatis atq; tutæ mansionis  
& protectionis suæ fidem ei dedisse, cum Cæsar ipse hunc sibi expe-  
tiuisset: Quare à Rege se petere, ut Philippum Melanthonem apud  
Cæsarem excusare, ne grauaretur, & ipse etiam, ne quid de hoc mali  
suspitari uellet.

*Post hæc quieuit negocium de libro approbando per  
dies quatuor, & interea illi duo Principes, quibus negoci-  
um datum fuit, ut cum Mauricio agerent, ad Cæsarem de  
hoc retulerunt.*

*Die Martij 24. (quæ fuit ab illa recitationis in-  
choatione, octaua, & post responsionem Princ. Mauricij,  
quinta) Cæsar ipse cum Mauricio agere cœpit, qua die  
Cæsar Mauricium ad se accersi, & in præsentia Regis &  
duorum Principum, quibus ut cum Mauricio Electore  
agerent de libro iniunctum fuerat, per Iurisperitum Sel-  
dium uerba ad hunc fieri iussit, hoc quodam modo:*

**S**E de relatione eorum Principum, quibus mandasset, ut cum ipso  
agerent, intellexisse, quod in consultatione proposita quid Inter-  
rim dum concilio de religione decerneretur, fieri deberet, non  
uellet suam sententiam cum cæterorum sententijs coniungere, hoc sibi  
alienum uisum, neq; se tale aliquid à Mauricio expectasse. Meminisse  
se quidem promissionis, qua recepisset se Principem Electorem ip-  
sum, unâ cum suis, à religione quam profiterentur per uim non des-  
pullurum, sed res ut legitimo modo ad piam & Christianam concor-  
diam deduceretur, laboraturum esse, Huic autem id quod iam age-  
retur

retur de libro proposito, non esse contrarium. Existimare enim se hunc esse unum legitimum & Christianum modum rei componendæ, si omnes Imperij ordines inter se in talem formulam consentiant, & promissionem illam suam quadam ex parte ad senatus Imperij consulta directam, & secundum hæc factam esse, in quibus explicatur, quid illi Christiani & pij modi rei componendæ haberi deberent, nimirum ut uel libero, legitimo & pio Concilio, uel Synodo nationali, uel in conuentu ordinum Imperij decidatur. Hunc igitur ordinum Imperij conuentum esse, in quo illi de hac interiecti temporis formula communiter constituerent, cum de concilio ut res produceretur, fieri posset. Cum igitur in hac re nihil à benigniss. promissione sua alienum Cæs. M. facere, & à Principe Electore & Mauricio merito suo obnoxiam obedientiam & morigerationem expectare deberet, siquidem benignum & beneficum se erga Mauric. exhibuisset ( cuius tamen rei, non nisi beneuolenti animo, mentio à se fieret, & se tam à Principe Mauricio quam subditis huius, pro hoc, subiectissimam gratiam & obedientiam sibi repensam, re ipsa expertum esse ) Ideo C. M. benignissimè cupere, ut secum & cum cæteris Imperij ordinibus consensum tueretur, neue hunc turbans secessionem aut dissidia suo exemplo commouere uellet. Hoc ipsi Principi Electori laudi & gloriæ & multiplici commodo futurum, atq; insuper per se esse rem gloriosam, Deo placentem, & pietate Christiana dignam.

*Ad hæc respondit Dux Maur. Elector &c.*

**M**eminisse se, quid secum ab ijs, quibus Imperator de hac re mandata dedisset, actum fuerit, ad quæ ipse de se significarit, quibus de causis in illam recitatam de interiecto tempore consultationem, nisi re prius cum doctis suis deliberata, & sine regionum suarum ordinum approbatione consentire non posset. Promississe enim se regionum suarum ordinibus, quod religionem suam illi ut deponerent, uim ipsis non esset allaturus, sed protectionem suam his se præstiturum, ut in hac conseruarentur usq; eo, dum de religione Oecumenico, libero & pio atq; Christiano Concilio decideretur, in quod quibus conditionibus ipse compromississet, Imperator rem non ignorare. Quodq; hoc modo suis promississet, id Imperatorem benignissimè literis suis ad regionum suarum ordines scriptis confirmasse, & ratum fecisse, ad quas promissiones & ipse & sui obedientiam ei obnoxie præstitissent & intra & extra regionum suarum fines aduersus Cæsareæ & Regiæ Maiestatis hostes ei affuissent, exponentes periculis uitam & fortunas suas uniuersas, quod ut face-

rent, ipse suos nullò modo adducere potuisset nisi ita Imperator sententiam & uoluntatem suam declarasset, quod aduersus religionem nostram nullam uim usurpare uellet. Cum igitur subditis suis ex ea promissione ita esset obligatus, petere se à Cæsare quàm subiectissimè, ut domum ei reuerti permitteret, quo de his rebus cum subditis suis deliberaretur. Tum ipsum suo loco in omnibus, quæ **PIE ET BONA CONSCIENTIA** fieri possent, consensionem adiutorum, & ad subditos suos ut idem faciant, operam daturum, quos expertus esset sic esse animatos, ut obedientiam Cæsari in omnibus, quæ sine læsione conscientiae fieri possent, obnoxie præstare cupiant.

*His iterum responderi Cæsar. Maiestas curauit in hunc modum.*

**S**e obedientiam et propensam uoluntatem ipsius Principis Electoris, & subditorum huius, re ipsa & factis expertum, quibus gratiam benignissimè confiteretur, neq; se obliuionem eius rei admissurum esse. Meminisse etiam se promissionum suarum, & quid literis de se recepisset, & pro his se egisse hætenus omnia. Cum autem hæc conciliationis formula ab omnibus Imperij ordinibus, Electoribus & Principibus approbaretur, ideò Christianam eam esse, de quali componendæ rei modo ipsius promissio, inter cæteros, recessisset, idq; se de Senatus Imperij consultis iudicandum relinquere. Quare hoc se potius cupere, ut cum bona gratia illam similiter approbaret, neq; consensum turbaret. Nam quod omnes ordines Imperij facerent, id non posse Principem Electorem recusare.

Cum igitur erga Principem Mauricium benignissimè & beneuolentissimè esset affectus, iterum se rogare, ut bona cum gratia in formulam propositam consentiret, & quod cæteri ordines facerent, ipse etiam ut facere uellet, nam declinando hoc ipsum tamen effugere non posse. Quod autem ad deliberandum prius cum doctis suis & regionum suarum ordinibus cogitandi spacium sibi sumeret, hunc in Imperio morem inueterasse, ut, quod regionis alicuius Princeps unà cum cæteris ordinibus Imperij conuentibus communi consensu approbaret, id deinceps subditos obnoxie seruare oporteret. Et cum dignitatis ipsius non nullo detrimento hoc esse coniunctum ad talem modum cum subditis deliberandi, concessionis copiam sibi sumere, & cum Cæsari tum cæteris Imperij ordinibus intolerandum esse talem morem introduci. Theologos uerò ipsius, quos de hac re consulere uellet, esse illos, qui in Imperatoriam Maiestatem atrocissimè fuissent inuerti, & ex his potissimum Philippum Melanthonem, qu

qui eos Principes, qui se Cæsareæ Maieſtati oppoſuiſſent, hætenus ſeduciſſet, & ad defectionem confirmaret: poſſe fieri, ut ille nunc ipſum etiam Mauricium ſeducere conaretur, itaq; ſe mandare ut Princ. Elector Mauricius Melanthonem illum in ſuas manus tradi ſibi curaret. Atq; ſe iterum rogare, & quidem benigne, ut Princeps Elector communem ordinum conſenſum tueatur, & de libro approbando decernat, neq; ſe cuiusquam ſuaſionibus ab ea re abduci patiatur. Nam quod ad ipſum Principem attineret, habere ſe eum excuſatum, neq; quicquam ipſi imputare, & ſe facile poſſe cogitare à Conſiliarijs Principem eò deduci, hocq; ſibi moleſtum eſſe, quod niſi illi facere deſiſterent, cauſam ſibi allatum iri, ut, de quo opus eſſet, quantum ad Conſiliarios attineret, reſpectu & animaduerſione cogitaretur.

*Adhæc Princeps Elector primum benigniſſimè actas gratias, pro obedientia à ſe præſtita, ſubmiſſe accepit, promittens de ſe etiam in poſterum.*

*Et poſtea addidit, poſſe ſe facile cogitare, ſi quid ab vniuerſis ordinibus in Imperio communi conſenſu conſtitueretur, id ipſe ut mutaret aut euerteret, fieri non poſſe. Cum autem approbante Cæsare promiſſa illa ſubditis ſuis feciſſet, eſſe iam ſuam conditionem aliam, quàm cæterorum ſit & Electorum & Principum, qui ſubditis ſuis nihil tale promiſiſſent. Ideo ſe à Conſiliarijs & Theologis ſuis nequaquam ſeduci, ſed ipſum ſua ſponte fame, dignitatis, & exiſtimationis ſuæ rationem habere, & quæ promiſiſſet, ad ea ſe præſtanda teneri. Et quanquam ipſe ſuo loco, & Conſiliarij, quos ſecum in urbe haberet, in conſultatione perſcripta, quæ ab omnibus ordinibus communi conſenſu recepta eſſet, non multa notaſſent, de quibus in mentem ipſis veniſſet magnopere dubitare, exceptis quibusdam uerbis, de quibus conueniri poſſet, & præterea quatuor capitibus*



bus, de quibus graues causæ essent, cur amplius deliberandum sibi censeret, & omnino Theologorum suorum consilio uti necesse haberet, eaq; quatuor capita se duobus illis Principibus, quibus mandatum fuisset, ut secum agerent, indicasse. Hæc igitur quanquam ita se haberent, propter promissionem tamen suis à se in hac parte factam, sibi non licere, per dignitatem & famam suam, ut inconsultis regionum suarum ordinibus quicquam in hoc genere suffragatione sua comprobaret & reciperet. Et petijt submissè, vt quam temporis dilationem petijisset, ea benignè sibi concederetur, & dignitati atq; famæ suæ hac in parte benignè vt parceretur, neq; eo adigeretur, ut necessitas ei afferretur faciendi aliquid contrarium ijs, quæ regionum suarum ordinibus promisisset, & Cæsar hunc se fructum præstitæ fidei atq; obedientiæ adhibitæ, percipere vt sineret. Neq; enim se salua fide, dignitate, & promissione sua regionum suarum ordines obligare posse, sed ad hos se de his referre oportere. Quod Theologi ipsius in Cæsaream Maiestatem inuecti, & imprimis Philippus Melanthon, quod Principes, qui ipsius se Maiestati opposuissent, seduxisset, & Cæsaream Maiestatem læsisset diceretur, &c. comperituram ipsam Concionatoribus ditionis suæ non fuisse permissum, Cæsaream Maiestatem vt laderent. Famam autem sparsam fuisse, quod Cæsar Augustanam Confessionem profitentes ordines à religione sua ui & armis depellere vellet, quæ non tantum Theologis, sed communiter vniuersis

uersis regionum suarum ordinibus maximum dolorem at-  
tulerit. Postquam vero de animo & voluntate sua Impe-  
rator ordinibus illis declarasset, tam Theologos quam cete-  
ros ordines acquieuisse, & pro Caesarea Maiestate pro-  
concionibus fideliter preces factas esse. Maximum au-  
tem sibi dolorem afferre, Philippum Melanthonem ad ta-  
lem modum apud Caesaream Maiestatem delatum esse, &  
petere se à Caesarea Maiestate subiectissimè, ne delationi ei  
locum dare velit, & rem vt certò exploret, Inprimis de li-  
bro, cuius autor esse Philippus diceretur, tum compertu-  
rum ipsum, qui hæc detulerint deferendo longius, quam  
oportuerit, progressos esse. Existimare etiam se, si alij  
Philippi Melaut. consilia secuti fuissent, eo loci vt res deue-  
nirent, quo deuenissent futurum non fuisse, & posse se opti-  
mè fide sua narrare, Philippum esse pium, pacis amantem,  
& doctum hominem, qui VVitebergæ & in vicinis regio-  
nibus Ecclesiasticam disciplinam conseruasset, & opera  
sua multarum Sectarum & dissensionum tumultus & pe-  
ricula auertisset, & se hac ipsa de causa eum alere, ut  
opera huius non necessariæ disputationes atq; altercationes  
auerterentur, & in religione pia consensus expediretur, neq;  
paruam sibi vt ita faceret causam allatam, quod à fide dig-  
nis hominibus accepisset, Caesarem ipsum hoc consilij habu-  
isse, vt Philippo vteretur, cuius opera de controuersis do-  
ctrinæ Christianæ capitibus cognosceret. Ita se nequaquam  
existimasse contrarium hoc Caesari futurum, atq; ita se  
Philippum

Philippum sibi conciliaſſe, & benignè ſecuritatem & protectionis fidem publicam dediſſe, neq; ſe contra datam fidem agere poſſe. Præterea cum ante hoc tempus Rex Ferdinandus ſe, vt Philippo caueretur, admoneri curafſet, quòd Cæſar animo commoto non benignè erga eum affectus eſſet, id ſe Philippo nunciari, & hoc etiam ſignificari curafſe, graue ſibi futurum aduerſus Cæſarem protectionem ei ſuam vt præſtare poſſet, Ideoq; ſe in præſentia ſcire non poſſe, an Philippus adhuc in ſuarum regionum dititione degeret, atq; in his omnibus vt excuſatum ſe haberet, ſubmiſſè petijt.

Ante tamen quàm pergamus narrando, obiter explicandum de Libro, cuius in reſponſione Principis mentio fit, fuiſſe illo tempore editam à Francisco Dryandro Hiſpano ſuppreſſo nomine autoris, cui adiunctum fuerat Philippi ſcriptum, de rationibus & cauſis, cur noſtri Concilio Tridentinæ ſubijcere ſe non poſſent, vt de hoc ſuſpicandi cauſa exiſteret, Philippum eſſe autorem vtriuſq; cum orationis etiam genus illas ſuſpiciones refutare poſſet. Et ſi Imperatorẽ à quibuſdam, quos minimè hoc decebat, & alijs delationibus aduerſus Philippum & illo ipſo tempore, & paulò poſt magis irritatum fuiſſe conſtat, de quibus in præſentia et à nobis nõ eſt dicendũ. Itaq; inchoata perteaximus.

Cum poſt hanc reſponſionem ſuam ex conclauis Cæſaris conceſſiſſet Princ. Elector Mauricius, aliquantò poſt Rex Ferdinand. ad Electorem Mauricium inde egreſſus, De Philippo ei ſignificat, quòd ipſe etiam Cæſari de Phil  
lippo

lippo narrasset ea, quæ nuper ex Consiliarijs quoq; Mauri-  
cy cognouisset, & simul monuit, ne Philippi posthac men-  
tionem faceret, sed hunc virum apud se in regionibus suis  
vt retineret, rectè illum sine dubio se gesturum. In ea verò  
causa, de qua præcipuè ageretur, non posse hoc declinari,  
quæ communi ordinum consensu approbarentur, ea etiam  
ipse ut reciperet. Post hæc multa illi inter se collocuti sunt,  
& Rex tum peculiariter admonitus fuit promissionis cu-  
iusdam Ratisponæ factæ, quam & sibi in memoriam tum  
reuocare potuit, qua recepisset, etiamsi de vno aut altero  
vel tribus etiam aut quatuor capitibus in concilio non deci-  
deretur, nihil tamen ob hoc periculi ei metuendum, quoad  
de illis etiam constitueretur.

Tandem eò res est deducta, vt cum inconsultis regio-  
num suarum ordinibus Pr: Elector decernere nihil posset,  
siquidem iam ordines Imperij communiter, præscriptam de  
interiecto tempore formulã recepturi essent, ipse in Sena-  
tu Imperij cōsensum ne turbaret, aut discessionis ne auctor  
fieret, sed suo loco sententiam diceret ad talem quendam  
modum: Sibi non esse integrum suditorum suorum loco  
promittere, aut suis verbis hos obligare, cogitare tamen  
se posse, quòd cæteri vniuersi Electores Principes, & or-  
dines Imperij decernerent, à se vt mutaretur aut auertere-  
tur fieri non posse, Etsi quomodo in mentione communis  
ordinum consensus Princ. Mauricius deceptus fuerit, infra  
ipsius ad Cæsarem Epistola narrat, ex qua de his quæ hoc  
loco scribuntur, æstimetur. De hoc postea Rex ad Cæsa-

Q

rem

rem retulit, qui tum his acquieuit. Et quanquam Princeps Elector post hæc denuo, vt discedere sibi benignè permitteretur, laborabat, impetrare tamen hoc non potuit. Hæc omnia ita gesta sunt die Martij 24. vt diximus, & ante publicationem libri Interim diebus 21. quo toto tempore, subsistentibus cum nostro Principe tractationibus, cum reliquis Electoribus & Principibus amplius de libro sigillatim actum fuit. Et tum peculiariter Electores, Archiepiscopi, postea reliqui ex Ecclesiastico ordine, & his coniuncti Principes & ordines cæteri, responsiones suas de libro exposuerunt eas, de quibus notum est.

Statim vero post primam compellationem de libro, & priuatam recitationem illam de qua diximus, Princeps Elector Mauricius (ante etiam quam à Cesare ipso de libro apud eum ageretur) Tum igitur statim post libri recitationem Princeps Elector, quod speraret futurum, vt Theologorum de hac re collocutio & deliberatio Augustæ institueretur: circiter xi. Calend. Aprilis, ex Collegio Theologico Academiae nostræ D. Casparum Crucigerum & Georgium Maiorem, cumq; his D. Philippum Melanth. Ex Lipsica autem, D. Pfeffingerum, per literas ad urbem Cygnæam, quæ est in finibus regionum harum, quæ sunt Augustam uersus, euocauit. Nam ad itinera obeunda ut se pararet iam ante à Principe admonitos esse diximus, vt si accersendi Augustam essent, abessent propius, & simul ex viciniore loco de omnibus quæ inciderent, vt expeditius deliberari posset, etiam si de colloquio res minus procederet.

Paulò

Paulò autem post quàm literis suis Theologos in  
Vrbem Cygnæam euocasset, significatum Principi à Rege  
de periculo fuit, in quo Philippus Melanthon propter  
abalienatum à se Caesaris animum versaretur, vt modo  
narrauimus. Itaq; cum iam in itinere Cygnæo Aldepur-  
gum vsq; processissent, ibi Philippo nuncium de abaliena-  
to Cesare allatum, & ubi tutò lateret, curatum fuit. Itaq;  
à Collegis Philippo secedente, cæteri Cygnæam profecti  
sunt, vbi ad 12. vsq; Aprilis substiterunt, cui moræ  
etiam hoc causam attulit, quòd ex vicinis Principibus  
vnus in illa vicinia suorum quoq; Theologorum conuen-  
tum animo agitaret, ad quem nostri Cygnæa excurrerent,  
vt communiter de re deliberarent, etsi res non pro-  
cessit, commorationis tamen longioris, vt diximus, cau-  
sam ipsis attulit. Sed cum Augustæ postea Princeps  
Mauricius ab Imperatore ad eum modum de libro recipi-  
endo vrgeretur, quo diximus, & de communi omnium  
consensu ei inculcaretur, neq; in paruis ille difficultatibus  
versaretur, quòd contumaciam & ferociam vsurpare vi-  
deri posset, & gratiæ etiam erga bene meritos immemor,  
quiq; exempli mali introductor esset, tum igitur perfecit,  
id quòd res ipsius omnino tum flagitabant, vt exemplum  
libri nancisceretur, quo in regiones suas misso, Theologo-  
rum de hoc iudicia & sententias cognosci postulauit. Ita,  
primùm ad Philippum Melanthonem liber delatus, &  
priuatim apud hunc de re quæsitum fuit, cui cum non satis  
ad cogitandum neq; spacy neq; ocij suppeteret, de ijs quæ

primum legenti ex crassissimis erroribus se offerebant, subito et breuiter quaedam monuit, quæ in mentem tum veniebant, & de callidioribus corruptelis plus temporis sibi sumpsit. Primum igitur respondit tali scripto, quod ex eo secessu, quæ propter significationem alienati Cæsaris de qua diximus usurpauerat, fuerat compulsus, misit collegis in vrbe Cygneâ inspiciendum, cum hac Epistola, vt mox inde perferretur Augustam.

CLARISSIMO VIRO CASPARI  
Crucigero Doctore Theologiæ, fratri suo  
carissimo. S. D.

NON opinor vos aut longius iter facturos esse, aut diu abfuturos domo, quod cur existimem, coram exponâ. Nunc τὸ ἐπι συμβουλῶν τὰ κορυφαία audi. Idem liber, de quo Ratisponæ differuimus, nunc Augustæ rursus in theatrū adfertur. Antea explosum putant propter actores, ut de sua quadam fabula, Terentius inquit. Nunc habet æquis ores auditores, præter solum Ducē Electorem Saxoniae, qui nōdum ἐπεκρότησε. Nec leuiter ei irascitur ὁ χορηγός, ὃν καὶ κριτοῦ ὄσι μέγιστον. Etsi autem in libro ἀτοπώτερα quaedam dempta sunt, tamen pleraq; sunt eadem. Nusquam agnosco tuum ueterem συμφαιτήτην Iulium, ac malleim ipsum τὰ πρὸς δικαιοσύνης scripsisse. Nec formula retēta est, quam Ratisponæ composuimus. Ἐρ κεφαλαίω, πρὸς εὐχαριστικῆς θυσίας, agnosco ἔμορ παρὰ σάτης. Et hæc sunt concinniora, quam prius fuerunt. Sed adduntur palam absurda τὸ ἐπι ἐπι κλήσεως τῶν θανόντων, καὶ πρὸς θυσίῶν ἢ πρὸς θανόντων. Etsi de obscuris quæstionibus non metui tunc certamina, tamen palam absurda cōprobare, imprudētia est. Miror Principes autores consilij de libro, qui si uolent has leges imponere suis, δοξάζω καὶ σάσω plenæ erunt ciuitates, Deum oremus, ut sua miranda sapientia impediat pernicioσα cōsilia. Errat ὁ ἀυτοκράτωρ, si me unum putat refragaturum esse, lapides clā mabūt, ut filius Dei inquit. Et metuo ἐπι τασιν certaminū πρὸς ἐκκλησίας restare, cuius erit ἔφορμή hæc noua νομοθεσία. Nescio quid ad dam

dam in tanta mole argumenti amplissimi, in quo & deplorare communes miseras, & deliberare de nobis ipsis debebam. Sed ut spero coram plura. Salutem opto tuis Collegis, quibus hanc Epistolam solis ostendere poteris. *Ἐπιπέσο. Die paucatos.*

Philippus Melanth,

**P**erlegi librum, & reperio non ualde dissimilem esse Ratisponensi, nisi quod quaedam sunt exaggerata uehementius, quaedam uerbis limata & lenita mitioribus. Et manifestum est, multas in eo contineri generalitates, quae & periculosa sunt & inuidiosa, ut cum dicit eos, qui separant se ab illis, quos nominat Catholicos, condemnatos esse. Non enim explicat, quae sit necessaria separatio, quae non sit necessaria. Nam & Iohannes Baptista se iungebat se à Sacerdotibus. Et oportet regulam manere perpetuam, Deo plus obediendum esse, quam hominibus. Est autem planum & perspicuum, aliquos haecenus in Ecclesia usurpatos Canones & ritus impios esse.

Præterea dicit liber, Episcopos habere potestatem condendi Canones. Hoc quidem in genere uerum est, sed conditionibus plurimis id restringi & explicari necesse est.

Dicit liber, Ecclesiam et Synodos habere potestatem interpretandi, hoc ipsum longe plus tribuit Ecclesiae & Synodis, quam competit eis. Dissimilis est enim Ecclesia potestati politicae. Nam iudex politico ratione potestatis leges potest suas interpretari, astringere & laxare; Sed Ecclesia non decernit de uerbo Dei ratione potestatis, neque condit articulos fidei, sed de uero intellectu uerbi diuini testis est. Et totus Articulus de gratia & fide admodum languide expositus est, quanquam melius aliquanto, quam in decretis Synodi Tridentinae factum est. Tamen non consulo, ut propter ambages uerborum generaliores, haec pars de doctrina rejiciatur.

De Ecclesia & de primatu Pontificis nihil disputabo, neque ante haec tempora de eodem uel scribere uel dicere multa uolui. In ordine politico relinquo Episcopis suum locum, quem habent. Si pontifex ueram doctrinam profitetur & propagat, debetur ei obedientia: si non habet ueram doctrinam, omnis obedientia erga eum cessat.

Deinde in loco de Sacramentis duae partes supra modum sunt exaggeratae, nimirum confirmatio & unctio, & nominat liber confirmationem rem necessariam. Non est autem dubium, quin à ueteribus haec pro necessarijs habita non sint, tamen de confirmatione non rixabor, praecipue in hac indicatione, Consecrationes magicae olei ferri non possunt.



Articulus de Confessione horridius, quam res fert, explicatus est, & fundamentum ponit, cui ipse liber paulo post contradicit. Sacerdotem absolueri neminem posse, nisi cognitis cuiusq; arcanis & occultis peccatis. Quamquam igitur uelim conseruari in Ecclesijs confessionem & priuatam absolutionem, nullo modo tamen oportet pias conscientias illis turbari laqueis, quibus ante hæc tempora irretite eas fuit usitatum:

In capite de coniugio duæ partes constitutioni & sententijs iudiciorum in nostris consistorijs aduersantur, de diuortijs & de consensu parentum, in quarum una de diuortijs aliquanto plus positum est, quam altera.

De noua interpretatione Missæ, quod sit sacrificium eucharisticum & non ἱλαστικόν ad promerendam remissionem peccatorum, diligenter in libro scriptum est, & ueterum scriptorum testimonia, quorum tamen de Missa sententiæ sunt ualde dissimiles, ambigue & inconuenienter allegantur. Si itaq; nostræ Ecclesiæ restitutione priuatæ Missæ non grauentur, possent disputationes de eo, quomodo εὐχαριστία sit sacrificium εὐχαριστικόν in isto cõuentu inter ipsos Principes imperij præcidi. Djudicatio enim illius rei, quæ est maximi momenti, pertinet ad ueram & Christianam Synodum.

Inuocationem Sanctorum & Missam pro defunctis quibus cunq; pingantur fucis & coloribus, Deo iuuant, nunquam approbabo, nec ulla in re magnos & horribiles abusus in Missa priuata, in Missis pro defunctis, in cultu Sanctorum, in magicis consecrationibus, confirmabo unquam. Hæc de me profiteor. Sed ut propter meam confessionem, Principes sese coniiciant in pericula, non requiro.

Orare pro defunctis aliud est opus, quam pro iisdem applicare sacrificium, & ueteres interpretes de oratione loquuntur, non de applicatione sacrificij, de qua postea Monachi scripserunt. Nunc aliud alio astute pingitur sine argumentis & rationibus, sicut notum est. Deniq; propter hoc etiam minime conscientiam meam approbatione libri onerabo. Nam si Magistratus adegerint Pastores ad ea seruanda, quæ liber præscribit sine ulla interpretatione secundum præscripti formam, magnis præbebitur occasio persecutionibus, multum excitabitur perturbationum & scandalorum, quibus ita offendentur plurimorum animi, ut tandem omnes sint religiones contempturi pariter.

Et quanquam quod dolendum est, Ecclesiae in multis locis  
misere & deformiter sunt turbatae ac laceratae, & postulat necessitas  
ipsa, ut de mediocri aliqua ac Christiana disciplinae Ecclesiasticae sor-  
ma cogitetur, in ea tamen constituenda circumspectionem & cau-  
tionem adhiberi necesse est, ut discrimen seruetur inter res necessarias,  
& non necessarias, & omnino in talibus mutationibus communibus  
aliquid communi imbecillitati hominum & publicae tranquillitati,  
quo ad res non necessarias, condonandum est. Vtinam in necessariis  
& diuinitus praecipis cultibus Dei in fide, oratione & inuocatione,  
timore Dei, patientia, castitate, conseruatione uerae doctrinae, & in  
sua quisque uocatione bene merendo de Republica & benefaciendo  
pauperibus diligentiores essemus omnes & magis seduli. Anno  
1548.

In hoc scripto offendere legentes poterit haec clausu-  
la, qua scribitur neglectis illis omnibus generalibus locuti-  
onibus se tamen consulere nolle, ut hoc caput doctrinae  
reijciatur. Nobis tamen, qui verum dicere volumus, nihil  
dissimulandum fuit quod in actis extaret. Hoc autem no-  
tum est, librum *INTERIM* in hoc capite iustifica-  
tionis initio minus corruptelarum habuisse, & post vel  
Maluendam vel Dominicum quendam à Soto, vel vtrunq;  
plures inseruisse, de quo & infra Princ. Mauricij scriptum  
ad Caesarem queritur, & nominare ex aduersarijs posse-  
mus, qui Philippo Melanthoni de Sotensis insertionibus  
confessi sunt. Quicumq; tamen aut qualiscunq; ille li-  
ber tum etiam fuit, corruptelas veritatis habuit, sed  
eiusmodi quae fieri potest, ut *MELANTHO-*  
*NIS* etiam animaduersionem in prima lectione  
praesertim in ocy ad cogitandum penuria, ut diximus,  
effugerint,

effugerint, Etsi ille in opinione tum fuit, futurum, vt colloquium de re institueretur, in quo de argutioribus præstigijs, quibus dogmata inuoluta erant, oporteret doctos inter se differere, quod hæc non intelligantur à quouis facile, etiamsi indicentur & demonstrantur. In primis tamen Ratisponensi similem iudicauit inter initia, cum percurrisset primo, in quo conuentu, quod de capite Iustificationis cum aduersarijs conuenerat, formulam Ratisponensem retentam fuisse putauit ante fraudem deprehensam. Et ex autoribus libri primis, vnus nostris narrauit, consilium Imperatoris fuisse, vt caput de Iustificatione iisdem verbis in librum INTERIM insereretur, quibus in tractationibus Ratisponensibus de hoc, ab vtraque parte, conuenisset, vt corruptelas crassiores à Magistris secundis, extitisse neceffe sit.

Sed quicquid sit, mox post accuratiorem cogitationem misit scriptum alterum, quod subiecimus, in quo quæ primam inspectionem fugisse videri possunt, luculentè indicantur, et quod in priore offendere potest, id proximo, quod paucissimis diebus interpositis ei submitit, vniuersum tollitur, neq. calumnia iam magis vlla in hoc adhærere poterit, qua cōsideratione illud primum scriptum prorsus omittere potuissimus, cum retractetur nouo submitto. Si Flacius zelo vt iactitat, & non malicia ad causam suam impulsus est, qui fit, quod, quæ in hac prima & rudiore indicatione ac priuata, & quidem vni & soli Principi præscripta, cui ostendi initio oportuit maximè insignia errata,

rata, quod ergo quæ in hac reperit suo accommodata instituta, decerpit tantum & exagitanit inuidiosissimè: Reliqua verò, quæ mox sequuta in sequentibus censuris aliquot priuatis & publicis oppugnant præcipuè corruptelas libri in doctrina de iustificatione prorsus dissimulat? Cur non eadem fide simul et hanc in prima notatione prætermissionè, & mox submissas claras, & luculentas refutationes præstigiatarum in illo articulo expressit, quas pluries nostri repetuerunt, & quidem in proxime sequente statim cum ea admonitione, quòd arte inuolutas imposturas primo conuictu non statim animaduernerint: Cur mutilis citationibus & odium atq; inuidiam nostris, & sibi applausum potius conciliare, quàm integra expositione omnium, quæ consulta esset, rectè erudire Ecclesias & quieti ac saluti earum consulere voluit? Sed maliciam inde & odij erga nos virulentiam, & præstigiaticem naturam impostoris Flacij boni vt æstiment, monemus. Nunc ad reliqua pergamus. Illa igitur cum scripsisset D. Philippus Melanthon, mox cum plus temporis libro impendisset, & de tota re, & in primis de capite Iustificationis, & de impio atq; execrabili fuce priuata Missæ recens noua arte illito, explicatè & planè monuit, & ad illud prius scriptum suum statim quasi subsidio submisit alterum Collegis, qui adhuc Cygnæ hærebant. Hi Augustam Principi transmiserunt.

R

Cassari

CASPARI CRVCIGERO SACRÆ  
Theologiae Doctōri S. D.

**M**Eum Cursorem antea Cygneam misi, quàm tuas literas de Guncenhusano itinere accepi. Paginam mearum deliberationum spero uobis redditam esse. Nam quo diutius infidias in loco *πρὸ πίσεως* considero, eò magis ab illo fucoso libro abhorreo. Dicitis igitur planè, falso iactari, quòd doctrina de fide comprobetur eo scripto. Faciunt fidem præparationem *πρὸς δίκαιοσάντων*, postea dicunt hominem dilectione iustum esse, & ibi astutè addiderunt, fructum esse huius iusticiæ uitam æternam. Quid uolunt, nisi dari uitam æternam propter hanc qualitatem? Ita summouent *τὴν διδασκαλίαν καὶ παρακλήσιν πρὸ πίσεως*. Bene uale. 13. Aprilis. Philippus Melanthon.

AD ILLUSTRISSIMUM PRIN.  
cipem Mauricium Electorem  
Saxoniae &c.

**I**llustrissime Princeps Elector domine clementiss. Cel. V. defecerimus debita officia & obsequia nostra, cumq̃ his ardentes ad Deum preces. Accepimus autem C. V. mandata literis exposita, quæ per eosdem cursores Clariss. uiro Doct. Cumerstadio significauimus, scilicet, nos Cygneæ commoraturus, donec alia mandata acceperimus, & obedientiam in his debitam C. V. præstituros. Cumq̃ heri Reuerendus uir Philippus Melanthon miserit ad nos notationes plurimum pertinentium ad articulum Iustificationis & alia quædam in Libro, ut quamprimum Augustam perferri illas curaresmus, statim dispositis cursoribus has tradidimus. Quemadmodum autem C. V. nos hortatur ad studium Christianæ pacis, sic adfirmamus C. V. non defuturos nos communi paci, quatenus id salua gloria Dei & integra ueritate doctrinæ nostrarum Ecclesiarum fieri poterit. Idq̃ à Deo, qui est pater pacis ac concordie assiduus uotis petimus, & oramus Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut C. V. & harum regionum Ecclesias & omnes alios ipsum in uera agnitione & fiducia filij rectè confitentes & inuocantes, hoc difficili & periculoso tempore.

tempore clementer conferuet & roboret. Et commendamus nos C,  
V. Cygneæ 14. die Aprilis Anno 1548.

Caspar Cruciger D.  
Georgius Maior D.  
Iohannes Pfeffinger D.

DE INSIDIOSA ET FRAVDVLENTA  
*depravatione Articuli Iustificationis in Libro Augustano commonefactio Philippi Melanth. prima Augustam Missa ante Libri publicationem.*

**S**I conciliationes, quæ instituantur, Ecclesijs harum regionum persecutiones adferrent & deuastationes, non concordia constituta, Sed maiores distractiones, perturbationes & scandala essent excitata, quibus rebus præbere causam, peccatum est graue & magnum coram Deo, & turbas ea res commoueret magnas. Propterea adhuc peto, ut tota res cum pluribus intelligentibus uiris deliberetur. Ipse etiam post proximam meam indicationem, qua crassos & manifestos abusus notauit, ut de Missa priuata, de applicatione Missæ pro mortuis, de Canone, de inuocatione mortuorum &c. res diligentius perpendi, in qua consideratione fallaces præstigias intextas articulo de fide & dilectione deprehendi, quarum in fundamento hæc est sententia: Fidem tantum esse præparationem ad iusticiam, postea accedere dilectionem, qua homo sit iustus, Hoc tantum est, ac si dicatur homo iustus esse propter opera & uirtutes proprias, Et aboletur hæc lux, quod homo iustus est & Deo acceptus propter Dominum Iesum Christum fide.

Etsi autem scio multos sapientes hanc doctrinam habere pro certamine non necessario, tamen qui Christianam religionem non habet pro inani & ridicula fabula, facile intelligere potest necessariam esse, ut huius articuli doctrina pura & incorrupta retineatur. Miror etiam iactari, quod hæc conciliatio sit concessio articuli de Iustificatione, sicut in nostris Ecclesijs à pijs & doctis intelligitur, cum in fundamento doctrinæ nostrarum Ecclesiarum repugnet. Et quamquam præstigie subtiles sunt, tamen deprehenduntur. Multæ partes in illo primo articulo ueræ sunt. Est & hoc uerum, quod dicitur,

fidem, dilectionem & spem oportere simul esse, quanquam generaliter dictum est, quod oportet dextrè intelligi.

Sed hæc sophistica, quæ fidem tantum facit præparationem, falsa est. Etsi quæritur uera concordia, poterit ille articulus aliter explicari, quod Imperatori non displicebit. Astutus ille Suffraganeus callida sophistica usus est. Interpretatur uerba Pauli, per fidem iustificamur, hoc est, per fidem consequimur aliquid aliud, nempe dilectionem, qua sumus iusti. Ita abducitur homo à Christo ad fiduciam suimet ipsius, & amittit consolationem, quam habet in filio Dei.

Et quanquam dicent aliqui, me hæc calumniosè interpretari, tamen reuera res ita se habet, & propter hanc deprauationem multi ex pastoribus hunc articulum non recipient, quam recusationem consequentur expulsiones Sacerdotum & deuastationes Ecclesiarum, ad quas ego non seruiam.

Hanc commonefactionem iudicavi esse necessariam, & possum ferre, ut Electori Brandenburgensi, Islebio, Iacobo Sturmio & domino Bucero, quem ad has deliberationes adhiberi audio, & alijs pluribus intelligentibus uiris ostendatur, & peto, ut hæc pars diligenter pensitetur, quia complectitur Dei gloriam & omnium Ecclesiarum consensum.

De crasioribus abusibus in proxima indicatione mea sunt commonefactiones. Si hoc agitur, ut Christiana & tollerabilis forma constitutur, qua interiecto tempore usq; ad Synodi diiudicationem Ecclesiæ utantur, discerni necesse est absq; omni dubio, quæ partes rectæ, ueræ & necessariae sint, & e contra, quæ non necessariae, falsæ & impossibiles sint. Cur uastarentur harum terrarum Ecclesiæ propter non necessarias & falsas Missas pro defunctis, propter inuocationem sanctorum & similia? In Canone expressa extant hæc uerba: Sacrificium hoc offerri pro redemptione animarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ. Hæc uerba nullum habent alium sensum, nisi hoc sacrificium mere ri æternam salutem. Deinde plura alia infunt absurda Canonis de meritis Sanctorum, de deprecatione Sacerdotis, ut Deus accipiat filium, quem offert sicut accepit Sacrificium Abel & panes Melchisedech.

Nec futurum credo, ut ciuitates Imperij & aliæ hos abusos restituant. Si ergo alqui ex ordinibus receperint librum, sequentur maiores distractiones & persecutiones immanes, quibus priusquam præbeam causam ulla in re, mori malo. Mea scripta de doctrina factis testantur, me quantum Dei beneficio concessum mihi fuit, studuisse illustrare ueram & necessariam doctrinam, De rebus non necessarijs

rijs non muleum sum rixatus, Aliquas etiam controuersias composui, & rem omnem Deo commendo. Oro tamen propter Denm clementissimum Principem nostrum, ut in re summa & maximi momenti ea præcipuè consideret, quæ ad Dei gloriam pertinent, & pericula Deo commendet.

## DEMONSTRATIO ET REFUTATIO

*fuci, quo pingitur priuata Missa in libro Augustano Missa Augustam ante libri publicationem à Philippo Melanthono.*

**Q**uanquam liber Augustanus concedit, Missam non esse Sacrificium pro peccato, nec promereri remissionem peccatorum, iste enim error nimis est crassus: retinet tamen alios errores quatuor, quorum aliqui non minus crassi & impij sunt. Denicq; agit hoc præcipuè, ut commenticio fuco pingat & stabiliat Missam priuatam.

Et primùm quidem basis & fundamentum, quo nititur tota de Missa priuata sententia libri, comprehenditur his quatuor. Oportere in Ecclesia esse Sacrificium quoddam externum distinctum à communicatione Coenæ dominicæ, quæ sit populo. Hoc autem Sacrificium tunc fieri, cum Sacerdos Patri filium offert & sistit his expressis uerbis: Sacrifico tibi Filium tuum.

Secundò, Tale Sacrificium externum institutum esse à Christo, & hoc ipso externo opere adplicari populo beneficia meriti Christi. Tam necessarium autem esse hoc Sacrificium, ut si non celebretur & fiat, non adplicentur populo beneficia Christi, & fidei nullus sit usus, & fiant reliqua omnia irrita.

Tertiò, Sanctos, qui ex hac uita excesserunt, inuocandos esse, & petendum, ut propter merita Sanctorum præstetur nobis misericordia & auxilium.

Quartò, Sacrificium hoc prodesse mortuis. Præ cæteris autem priores duo Articuli, tanq; inprimis necessarij & irrefragabiles proponuntur. Hæc sententia nihil est aliud, nisi repetitio ueteris doctrinæ Menasticæ. Necessarium esse Ecclesiæ opus externum, quod profit ex opere operato, & adplicationem meriti Christi fieri per opus illud Sacerdotis.



Hic error deducit homines ad opus alterius tanquam cum Christi merito necessario coniunctum, & quidem ad solam externam & ceremoniam sacrificij administrationem. In ueteri testamento Sacrificia non fuerunt adplicationes, Multo minus ipsa per se ceremonia nunc est adplicatio, sed sola & uera adplicatio sit fide in usu Sacramenti, Est autem disputatio de hac uera applicatione res magni momenti, & inter certamina mota facile præcipua. Quare cautio est adhibenda & circumspectio.

Liber Augustanus adplicationem cui insistit fundamentum priuatæ Missæ mirificis fucis stabilire conatur. Et hoc fundamento adplicationis stante, quod liber constituit, sequitur priuatas Missas omnibus modis celebrandas esse, utpote quæ non tantum sunt bonum opus & sacrificium *εὐχαριστικόν*, sed tale etiam quod Ecclesiæ prodest distributione & adplicatione meriti Christi. Hæc sunt horribilia mendacia, propterea minime hic articulus probari potest. Sed non errare nos contra sentientes certum est inde, quod manifestum est in doctrina Euangelij nullo uerbo expressum esse, Sacerdotem debere offerre. Item, Filius Dei semetipsum offert, sicut ad Hebræos scriptum est, Ipse se sistit patri in arcano consilio.

Nostra oblatio uel Sacrificium nostrum est, quod petimus Deum, ut propter filium nos acceptet in gratiam, & fide nos adiungimus filio Dei tanquam membra, quæ omnia tunc fiunt, cum in usu Sacramenti fiunt distributio & sumptio, ubi & sumentes agnoscunt fieri se membra filij Dei, quod corpus Christi ipsis communicatur.

Paulus etiam nusquam Sacramentum nominat Sacrificium, sed distributionem & communicationem corporis. Vnde manifestum est Sacramentum hoc institutum esse ad distributionem, sicut & Dominus inquit: Accipite comedite, & c.

Non licet autem nobis huic instituto & mandato operi diuinitus aliud opus nostra autoritate adiungere, & testamentum Domini nostri Iesu Christi mutare, Cumq; institutio totius Sacramenti pertineat pariter ad Sacerdotes & Laicos, non est dubium Sacerdotem non posse hoc Sacramentum in opus aliquod peculiare & suum conuerrere.

Nusquam etiam in ueteri Canone reperiuntur hæc uerba, quod Sacerdos offerat Filium Dei. Estq; magna dissimilitudo ueteris & recentioris Canonis, de qua in legitima Synodo & necessariis um esset & utile fieri collationes,

Præter

Præter hæc omnia manifestissimum est cremoniam nullo modo posse esse adplicationem ex opere operato.

Quod uero tanta contentione pugnatur, oportere in Ecclesia Sacrificium esse, Id uerum est. Constanter nos & certo tenemus in Missa publica cum sit distributio cœnæ, coniungi debere hæc quatuor: Primo Recordationem Filij Dei, passionis ipsius & meriti ac promissionis. Secundo gratiarum actionem pro tanta misericordia. Tertio petitionem, ut Deus misereatur nostri & propicius sit nobis propter Iesum Christum filium. Quarto Adplicationem in usu & sumptione, ut credamus Deum uelle nos acceptare propter filium, & agamus gratias pro his beneficijs, & ostendamus ueram gratitudinem seria mutatione uitæ in melius. Hæc quatuor constituunt sacrificium, de quo & in Malachia dicitur. Et pertinent ad hoc dictum: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate.

Cum igitur Augustæ Vrgeri Princeps multipliciter non desineret & publicationem libri instare audiret, tandem ipse per literas à Theologis postulauit, ut censuram pleniorum de singulis libri capitibus conscriberent, & deliberatio de hac re communis instituta est, quæ haberetur Celle monasticæ ad 20. Aprilis, quo Cygnæ dimissi sunt, circiter 13. Aprilis, D. Cruciger, Maior, & Pffeffingerus, & accersitus eodem Philip. Melanthon. Cumq; hic per unius ex Consiliarijs literas Principis nomine, eo euocaretur, rescripsit ei Epistola, ut sequitur:

S. D. Clarissime uir & Patrone colende, cum in nulla regione toto orbe terrarum, hoc tempore, status Ecclesiarum, studiosorum, & politicæ gubernationis pulchrior esset, quam in his regionibus, libenter uobis operam meam collocaui, & hoc decus mea meo dioceri assiduitate adiuuare studui, Nunc si cum Sacrificulorum ordine pacem ita facient Principes, ut proprias Ecclesias turbent, & pelantur ex nostris Ecclesijs Pastores (quod futurum esse metuo) ingentem accipio dolorem, & facilius quæuis exilia & mortem feram. Descreui tamen ad uos & ad Collegas uenire ut iussistis. Bene & feliciter uale, 15. Aprilis.

Cum

Cum ergò conuenissent in Cella Mysorum Theologi, liber, qui qua fieri poterat celeritate raptim descriptus fuerat, & huc transmissus, propositus est tunc vniuersis, qui aderant cognoscendus & iudicandus, cum periculorum, quæ impenderent his terris, & difficultatum, in quas Augusta Princeps Mauricius immaturo consilio autorum libri deuolutus esset, commemoratione & exaggeratione, cumq; obtestatione summa, vt depositis affectibus omnibus candidè & sine Sophistica monerent Principem, quæ censerent non probanda esse Principi, quæ tolerari possent. Nec uel calumniose interpretando, quæ si dextrè intelligantur, nihil habeant incommodi, vel de nõ necessarijs capitula certamina mouendo implicent nouis bellis & Principem & Ecclesias harum regionum. Ita enim tentari ac turbari animum Principis, sicut & narratio docuit, tum atrocitate comminationum, si libri præcisa recusatione auctoritatem Imperatoris labefactando, causam nouis turbis & seditionibus suo exemplo præberet, tum commendationibus libri mirificis ac mirificè coloratis, quasi complectatur analogam fidei & doctrinæ nostrarum Ecclesiarum congruam, vt hæreat prorsus, & quomodo sese extricet, non videat. Et eò rem deuenisse, vt necesse sit Principem aut amplecti librum citra recusationem, aut disertè ostendere, quæ desideret, & propter quas causas, quæ reijciat, probare nec velit nec possit.

Theologi ergò, quod ad Principem res pertineret adhuc priuatim conflētantem cum autoribus libri, et illis, qui

qui de libro mandata Imperatoris renunciarant, in ea com-  
monefactione delegerunt præcipua, quæ talia essent, ut in-  
telligere Princeps ipse posset, excusationem quod nullam  
ferrent, & multò minus concessionem, & quæ si recepta  
introducerentur, vastatura Ecclesias eiectione piorum Sa-  
cerdotum, & persequutiones excitatura essent. De cæteris  
argutioribus monuerunt, explicationem horum & de his  
confessionem præcipuè Theologis incumbere, de quibus nisi  
illa mutarentur, responsuri essent suo loco. Non velle se au-  
tem his perplexioribus & difficilioribus disputationibus,  
& argutiorum Sophismatum excussione vel turbare vel  
onerare conscientiam Principis aut quorumcunq̃, qui in  
his non essent versati & exercitati, Deniq̃ ita responsio-  
nem sunt moderati ex fundamentis veteribus & multò an-  
te vsurpatis, ut se obsecuturos ostenderent Imperatori in  
receptione & vsu rituum, qui disciplinæ seruirent & ex-  
ercitijs pijs essent accommodati, Sed de doctrinæ emenda-  
tæ vsu non velle nec posse se quidquam concedere. Scriptum  
tale est:

EPISTOLA MISSA AD ELECTO-  
rem Mauricium 24. die Aprilis, Anno 1548.  
cum censura Cellæ scripta.

**G**ratia & pax per Iesum Christum Salvatorem nostrum & ves-  
trum opitulatorem. Illustrissime Princeps Elector, Domine des-  
mentissime. Mittimus ad Celsitudinem V. nostram de libro  
Augustano simplicem deliberationem, ac petimus reuerenter, ne C.  
V. sic de nobis existimet, quasi uel contumacia, uel contendi studio  
aut ullo alio priuato adfectu adducti pacem & concordiam fieri nolimus,  
S  
mus,

mus, aut etiam curiositate aliqua certamina non necessaria moueamus. Malumus etiam in alijs locis degere, si tales esse iudicamur, qui pacem harum regionum petulanter impediamus. Ex ipso scripto nostro Celsitudo ueltra intelligit, nos res non paucas, quæ controuerti possent, silentio præterire, tantum in necessarijs quibusdam articulis nullam mutationem admittere. Qui enim Christianam religionem non profus fabulosam esse iudicant, ut fuerunt Ethnicæ, hi intelligunt, uoluntatem Dei esse, ne doctrina mutetur aut corrumpatur. Nec dubium est, ueritatem doctrinæ non posse sine multis laboribus & periculis retineri. Habet enim multos hostes ueritas diuina, suntq; uaria ad eam oppugnandam incitamenta. Neq; uerò onerare nos grauissimo blasphemix peccato debemus, quæ est agnitæ ueritatis abnegatio. Deinde norunt omnes, nos nihil aliud quærere, quam ne qua dissensio aut scandalum aliquod ex his mutationibus oriatur. Nam si semel mentes hominum turbentur, postea omnem religionem oderunt. Postremo certum & hoc est, Multas magnas urbes hunc librum non receptoras. Sequunturæ igitur sunt nouæ distractiones & persecutiones, quibus nos præbere occasionem nequam uelimus. Itaq; ualde miramur aliquos principes ad ea descendisse consilia, ut impossibilia instituire sint conati. Atq; hæc quidem ideo scribimus, ne C. V. existimet, nos improbare & contumaciter aliqua de re pugnare, Ac reuerenter petimus, ut C. V. has nostras sententias de grauissimis rebus secum & ipsa perpendat, & alijs prudentibus iudicandas proponat, Ac simul hoc cogitet, multarum honestissimarum ciuitatum atq; hominum multorum oculos in C. V. hoc tempore esse coniectos, ut dubium non sit C. V. magno præsidio omnibus his regionibus esse posse. Deus æternus pater Domini nostri Iesu Christi, qui genus humanum & Ecclesiam condidit C. V. clementer gubernet ac protegat, VVitebergæ 24. Aprilis, Anno 1548.

V. C.

Reuerenter colentes

Caspär Cruciger D.  
Iohannes Pseffinger D.  
Georgius Maior D.  
Philippus Melanthon

Philippi

PHILIPPI ET ALIORVM THEO-

logorum responsio missa Augustam ad Principem

Electorem Mauricium Anno 1548. Ex

Cella Mysorum.

**A**liquoties perlegimus librum Augustanum, in quo doctrinam Ecclesiae comprehensam esse adfirmant, eumque diligenter perpendimus. Et quia rem eò deductam uidemus, ut tandem quid obtineri in nostris Ecclesijs quidue concedi possit & debeat, constitui necesse sit, reuerenter petimus, ut Dominus noster clementissimus etiam alios pios & eruditos uiros in consilium adhibeat, nec hanc grauissimam causam pertinentem ad totam Ecclesiam ad nos solos deuoluat. Cumque omnes nationes animum & oculos in Dominum nostrum clementissimum praecipue conuerterint, plurimum momenti ad causam adferet ipsius responsio. Quia uero iussi sumus omnibus priuatis adfectibus sepositis respondere, adfirmamus bona conscientia, nos nequaquam quaerere certamina, neque de rebus non necessarijs aut paruis pugnare uelle. Ac primum quidem quod dicunt nonnulli, Principalem doctrinam nostrarum Ecclesiarum de fide retineri, animaduertimus in praescripta forma id fieri ualde insidiosè. Et quanquam multa rectè dicuntur, tamen est admixta haec corruptela, Quod fides sit praeparatio quaedam ad Iustificationem, & quod homo postea iustus sit dilectione & proprijs uirtutibus ac meritis. Atque haec uerba intelliguntur hoc modo: Fide iustificamur, id est, fide praeparamur, ut aliud accipiamus, quo postea iusti & Deo accepti simus. Expresse enim in suo articulo dicunt, Postea uerè iustificamur dilectione. De his uerbis non mouemus *λογωμαχίας*, sed dicimus & clamamus iuxta uocem Euangelij, Oportere esse in homine contritionem seu conuersionem ad Deum, ut liber ipse rectè loquitur, Oportere & adesse fidem, bonum propositum, dilectionem, spem & alias uirtutes ad bonam conscientiam necessarias. Ac si quis doctrinam nostrarum Ecclesiarum sic intellexit, ut existimet hominem iustum esse sola noticia doctrinae, quae etiam in Diabolis est, is errat horribiliter, ne quid dicatur apud nos, intelligit. Dictum Iohannis manet in omnem aeternitatem uerum: Qui non diligit, manet in morte. Item, Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Item, illud Iacobi, Fides sine operibus est mortua. Haec dicta esse immortam Euangelij ueritatem nihil dubium est. Sed de hac re quaestio est, Etiam cum

adsunt dilectio & bonum propositum, an homo dubitare debeat, aut certo statuere se placere & esse acceptum Deo propter has suas uirtutes, an uerò hæc fides requiratur, qua credit se propter meritorem Iesum Christum esse iustum, placere Deo & esse acceptum. Hic Psalmus inquit: Coram te non iustificabitur omnis uiuens. Scilicet, Ex propria dignitate & absq; hoc Mediatore, qui se inter seueram Dei iusticiam & nos miseros homines interponit, nosque suo merito & intercessione regit. Hæc fides quæ est uera & uiua fiducia in filium Dei, non tantum est preparatio, sed omnibus reliquis uirtutibus præluet, estq; perpetuo hæc iusticia de qua Paulus inquit: Fides imputatur eis ad iusticiam. Item, Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam, Ac Paulus ipse hunc uirum Abrahamum allegauit, cuius uita plena erat multarum uirtutum, habebat dilectionem, propositum bonum & omnes alias eximias uirtutes, & tamen in conspectu Dei non est iustus aut Deo acceptus, absq; hoc mediatore & absq; hac fiducia. Hæc sententia est ipsa uox Euangelij, quam nulli creaturæ neq; in celo neq; in terris mutare licet. Estq; ualde imprudenter & inconsiderate dictum in hoc libro, Quod homo cum habet fidem, postea uere iustificetur alia re, Ita enim propriæ uirtutes & dilectio longè præferuntur huic fiduciæ in filium Dei, & abiicitur hæc uera consolatio, ac sequuntur prioris ætatis tenebræ & errores.

In principio eius arseculi, ubi insulam suam iusticiam (ita enim loquuntur) magnopere prædicant, tantum dicunt de dilectione, cum tamen omnes uirtutes & præcipue hæc fiducia in filium Dei includantur in insula iusticia. Estq; hæc fiducia non mortua aliqua fides, sed dilectio sic accenditur, cum adest fides, nec manet nisi hæc fiducia perpetuo præluceat, Quam primum enim cor trepidat & hæc fiducia extinguitur, nequaquam manet dilectio aut inuocatio sicut experientia in cordibus singulorum in seria inuocatione testatur. Neq; solum ad aperta scripturæ testimonia, sed ad omnes uerè pios prouocamus, qui hæc ex quotidianis exercitijs intelligunt. Atq; hoc est testimonium Ecclesiæ, quod nos quoq; magnificamus. Ac intelligunt omnes sapientes commonefacti hac narratione nequaquam esse *λογωμαχίαν*, quod dicimus, sed de fundamento doctrinæ Christianæ disputari, & de præcipua consolatione, quam omnes p̄ij cū in omni inuocatione tum in afflictionibus & cruce ac reliqua uita tenere necesse est. Interea manet hoc firmum & immotum, esse oportere in homine Dei timorem, dilectionem, bonam conscientiam, opera seu uirtutes ad bonam conscientiam necessarias, ut sæpe dictum est. Sed liber de fide sic loquitur, quasi nihil aliud sit, quam donum

donum præueniens, hoc est, præparatio quædam, quam aliæ res præstantiores sequantur, quibus homo sit iustus & Deo acceptus. Ita tollitur fiducia in mediatorem filium Dei, & honos Christo debitus nostris uirtutibus adscribitur, unde postea in ueris doloribus & agone conscientiæ sequitur dubitatio, nec potest cor uerè inuocare, estq; hoc malum, de quo Paulus inquit: Quicquid non est ex fide, peccatum est. Neq; uerò dubitamus Cæsaream Maiestatem, si de hoc errore admonetur, probaturam hoc, ut hic articulus emendetur. Cùm igitur quod diximus, deesse articulo intelligamus, nequaquam recipere hanc formam possumus, nec dubitamus pios & prudentes concionatores in multis locis Germaniæ & aliarum nationum hanc formam, nisi mutetur, impugnatos & errorem indicatos esse. Ideò nec Principi nostro clementissimo consulimus, ut hanc formam recipiat.

## II.

Sequitur articulus de Ecclesia, in qua uolunt esse Episcopus & Pontificem, eosq; habere potestatem interpretandi scripturas & conuendi Canonès, nec licere cuiquam ab eorum autoritate discedere. Vbi tamen hoc annexum, Hanc potestatem ædificationi Ecclesiæ seruire debere, non destructioni. Quanquam autem in hoc articulo, ut passim in toto libro multa sunt generaliter dicta, quæ diuerso modo intelligi possunt, tamen non pugnamus de hoc articulo. Nullius dignitates & dominationem ullam quærimus. Itaq; siue sit pontifex, siue Episcopi, si sanam doctrinam & ueros Dei cultus non persequantur, optamus ipsis suam constare autoritatem, eaq; ipsos ad conseruationem doctrinæ Christianæ & honestæ disciplinæ uti. Qua in re libenter ipsis obtemperare uellemus. Atq; in hoc quidem articulo multa conceduntur, in quibus tamen quædam sunt, de quibus docti in suis confessionibus singuli pro se dicturi sunt. Hæc sunt dicta de hoc articulo in genere. Quod autem peculiariter ad Episcopos harum regionum attinet, si ueteres abusus cum doctrina pugnantes in Ecclesijs & consistorijs restituere conabuntur, sequentur sunt distractio- nes, dissidia & scandala in uulgo. Hæc quoq; cogiranda sunt atq; cauenda, id quod fieri petimus. Quod si pias cantiones de tempore & alias pias ceremonias seruent, nec in consistorijs aliquid contra ius diuinum statuunt aut pronunciant, nihil repugnamus.

## III. De septem Sacramentis.

De confirmatione & unctione litigare non uolumus, sed errores rejicimus, quod dicit liber Gratiam per has res dari. Quod uerò attinet ad inuocationem Sanctorum in unctione, de ea re dicturi sumus



mus paulo post. De confessione præcipitur, ut fiat enumeratio omnium occultorum delictorum, quæcunq; in mentem ueniunt. Quamquam autem serio semper contendimus, ut priuata absolutio retineatur, idq; necessarium & utile iudicamus, hanc potissimum ob causam, ut populus ibi conueniens erudiri possit, tamen non uolumus conscientijs hoc periculosum onus enumerationis occultorum delictorum imponere. Ac nititur liber falso fundamento, cum ait. Absolutionem non ualere nisi præcedat hæc cognitio, quanq; liber ipse postea se reprehendat. De satisfactione pauca eaq; oblcure dicta sunt, cum tamen constet multos errores ex doctrina satisfactionum ante multa secula ortos esse, qui in nostris libris expressè taxati sunt. Transeat igitur hic nudus articulus, sicut multæ aliæ generales locutiones in hoc libro. Sed hæc tamen manifesta mendacia nos reprehendere necesse est, quæ aliquomodo etiam in ipso libro taxantur, nam ipse liber fatetur, Nostra opera nequaquæ mereri remissionem culpæ aut pœnarum æternarum. Item, Conscientias non esse onerandas tanquam necessarijs operibus, nec imponenda esse cuiquam opera superstitiosa ut peregrinationes, abstinentiam à coniugali consuetudine, ieiunia impossibilia, & sicut antiqui Canones uarios laqueos conscientijs his rebus iniecerunt. De coniugio duo reprehendunt, quæ usitata sunt in consistorijs harum regionum, primum de consensu parentum, sed alter articulus est maioris momenti, innocentij personæ post diuortium concedatur coniugium. Et tamen hic ipse articulus est obscurè insertus.

#### III. DE MISSA.

Quantquam de oblatione & Missa longus est sermo, in quo multa ex antiquis & recentioribus scriptoribus sunt adducta, quibus nos firmiora & magis perspicua facillè opponere possemus, tamen non uolumus Principem nostrum hac disputatione onerare. Rectè autem distinguit liber inter Propiciatorium & Eucharistica sacrificia, ac uerum dicit, cum expressè affirmat, Missam non esse meritum pro peccatis, neq; esse sacrificium ἱλαστικόν. Quomodo autem sit sacrificiū ἑυχαριστικόν, id rejicimus ad priuata cuiusq; prudentis uiri confessionem, nec oneramus hac re Principem nostrum. Nec tamen sequitur propterea, priuatam Missam sine communicantibus esse restituendam, quæ tamen etiam propter alias causas est omittenda, neq; in eius restitutionem ullo modo est consentiendum.

#### V.

Articulum de inuocatione Sanctorum nequaquam recipere suademus, Neq; enim nihil habet momenti, ut quidam existimant, Nam

Nam uera & ardens inuocatio est peculiare & arduum opus, in quo cor ad Deum clamat, Et hic honos soli naturæ diuinæ debetur, ut scriptum est in primo Præcepto: Dominum Deum tuum adorabis, & fieri debet inuocatio eo modo, quo Deus eam præcepit & non aliter, ut scilicet Maiestatem diuinam compellemus fiducia unius Mediatoris filij Dei, ac Deum ipsum & Mediatorem alloquamur, qui est in arcano consilio diuinitatis, & uidet atq; exaudit omnium hominum corda & gemitus, & ex immensa misericordia, constitutus est Mediator & interpellator. Quamobrem nulla alia inuocatio ab ullo homine in Ecclesiam est introducenda. Et quanquàm primo introductio uidetur leuior aut subtilior, tamen mox sequitur ex ea horribilis idolatria, id quod apud Ethnicos & Turcas factum uidemus. Estq; in conspectu ingens abusus, dum opitulatores & mediatores constituuntur homines miseri, & doctrina de uero Mediatore obscuratur, atq; honos soli Deo debitus in homines transfertur. Accersitum est, unam ex præcipuis Idolatrijs & abusus in hac postrema mundi senectâ esse hanc inuocationem Sanctorum & concursum ad peculiare status. Quod autem gloriantur longa consuetudine id esse receptum, Quanquàm nullum exemplum de prima Ecclesia extet, tamen uerum est (proh dolor) hanc Ethnicam consuetudinem etiam in Ecclesiam irrepisse, estq; hoc argumentum humanæ infirmitatis, quæ facili à uera inuocatione abduci potest. Quicumq; igitur uerbo Dei edoctus est, quomodo inuocatio fieri, & cor in uero dolore ad Deum confugere, ubi & quomodo eum apprehendere debeat, is eò maiore cura & constantia retinere ueram inuocationem debet. Inuocatio nititur mandato & promissionibus diuinis. Nullum autem extat mandatum aut promissio aut exemplum ullum de inuocatione Sanctorum, Neq; pium est cor humanum ita uagari & oberrare ab uno Sancto ad alium. Hæc peccata occultiora intelligenda sunt & magno studio uitanda. Hæc dicta sint de inuocatione Sanctorum. Qui uerò historias Sanctorum discunt, ac Deo gratias agunt, quod semper sibi colligit Ecclesiam, Secq; per Sanctos in Ecclesia patefecit, ac Prophetas misit & Apostolos, per quos doctrina coelestis est promulgata, quisq; homines commonefaciunt, ut doctrinam & exempla Sanctorum considerent, quibus erudiantur & in omnibus uirtutum exercitijs confirmentur, atq; hanc regulam discant: Deum uarijs miraculis liberare Sanctos, ut nos commonefaciat se reliquis similiter opitulaturum, qui serio & ardentem ipsum inuocant, sicut Dauid sæpè in Psalmis loquitur, Se Deo gratias agere, à quo sit adiutus, ut alij in fide confirmentur, & Deum inuocent,  
& auxi

& auxilium ab ipso expectent, eos rectè facere adfirmamus. Atq; hoc modo apud nos de Sanctis docetur, & Festa aliquorum celebrantur, ut Iohannis Baptistæ, Apostolorum, Conuersionis Pauli, & aliorum. Promittimus etiam nos operam duros, ut uera aliqua Sanctorum historia conscribatur, ex qua uulgus non perniciosas fabellas, sed doctrinam & exempla utilia haurire possit. Scimus enim adhuc alicubi extare ueteres historias fide dignas, quas aliqua ex parte legimus, quasq; extare utile esset.

#### VI. De oblatione pro defunctis.

Cultus Sanctorum & oblationes pro defunctis, duo sunt præcipui abusus, qui fuerunt maximè quæstiuosi. Certum est autem Sacramentum pro uiuis ad commemorationem institutum esse, nec debet applicari pro mortuis. Ideo neq; hunc articulum suademus recipi, Atq; etiam ut ponamus excusari posse hæc duo, Cultus Sanctorum, & oblationem pro defunctis, sicut coloribus uarijs in libro pinguntur, tamen manifestum est, res esse non necessarias, quibus receptis plurimos abusus sequi necesse est. Ideo si clementer & placide agere uellent, non debebant durius has res non necessarias & periculosas urgere.

#### VII. De Festis & Ceremonijs.

Ordinatio Festorum & Ceremoniarum in templis & ieiunia possunt recipi, ita tamen si sint absq; inuocatione Sanctorum & alijs manifestis abusus, ut absq; peculiari reuerentiâ, quæ exhibetur Statuis & scandalosis consecrationibus, Item sine abusu Festi Corporis Christi. Nam in nostris Ecclesijs Sacramentum non diuiditur, Ac manifestum est, id institutum esse ad sumptionem, nec licet ullæ creaturæ Sacramenta diuina in alios usus aut ritus mutare, nec est Sacramentum aliquid extra usum institutum. Ideo non leuis hic abusus est iudicandus.

#### DE CANONE.

Cum multa sint in Canone absurda & falsa, pij Pastores non recipiant in se hoc onus, ut eum legant. Dicit enim Canon. Hoc Sacrificium celebrari ad consequendam salutem æternam. Item, Ora deum, ut filium suum acceptum habeat & gratum, sicut munera Abel accepta habere dignatus est. Addit item de inuocatione Sanctorum. Quod autem hæc ita sunt consarcinata, id factum est inde, quod non uno & eodem tempore hic Canon est conscriptus. Ac antiquus Canon Græcarum Ecclesiarum in multis partibus dissentit ab hoc Canone. Cum igitur aliqua falsa sint in hoc libro, sicut indicauimus, ac nemo debeat agnitam ueritatem persequi, non possumus probare

probare aut recipere articulos falsos, neque cuiquam, ut recipiat, & agnitam veritatem persequatur, authores esse. Et quamquam pax & concordia utilis est & expetenda, tamen præferendum est Dei mandatum, Qui me confessus fuerit (inquit Christus) eum confitebor & ego. Est & hoc considerandum, an ex hac reformationis forma pax, an uero distractio maior sit expectanda. Turbantur nostræ Ecclesiæ, neque tamen emendantur Pontificij, sed magis in suis abusibus confirmantur. Neque enim dubium est, multos Pastores non recepturos omnes articulos, ut in libro præcipiuntur. Quod si Principes aut Magistratus suos Pastores eam ob causam sedibus eicere aut interficere uoluerint, miserabilis ea pax est futura. Nec dubium est Deum ipsum fore uinam dicem. Multa enim hominum millia in nostris Ecclesijs, quæ nunc Deum rectè inuocant, hoc scandalo turbabuntur. Ideo rectius erant ea, quæ corrigi aut emendari non possunt, prorsus omittere. Nec dubium est, si quæ in hoc libro sunt, non mitigentur, sed ut sonant, Ecclesijs obrudantur, sequituram esse magnam persecutionem & nouam distractionem. Oramus autem Deum, ut consilia nobis pia largiatur, nosque clementer regat & tueatur. Quamquam autem ex his quæ dicta sunt satis apparet, quid in hoc libro recipiamus, aut quid improbemus, tamen iterum breuiter ea repetiuimus, ut uideant omnes, nos studiosos esse pacis & concordiæ. Euangelium de fide neque possumus mutare neque debemus, nec falsam inuocationem in Ecclesiam introducere aut confirmare uolumus. Ideo petimus primum, ut principalis articulus de fide corrigatur, deinde ne inuocatio Sanctorum, Missa priuata, aut quæ sit pro defunctis nobis imponatur. Promittimus autem nos Episcoporum auctoritatem ueneraturos, usque ut Episcopis nos obseruatueros, si nos non persequantur. Recipiamus & hoc, nos obseruatueros ceremonias, ut ordinatæ sunt, pro tempore lectiones nempe & cantiones pias, stolas, & alios antiquos honestos ritus. Festa item, ut supra dictum est, & alias ordinationes, quæ seruiunt disciplinæ & exercitijs utilibus. Est autem usitatum in multis oppidis harum regionum, ut Scholastici quotidie in templo conueniant, & ante concionem aliquot Psalmos decantent, & caput in ueteri aut nouo Testamento legant, ac post concionem publicas preces adiuuent. Diebus etiam Dominicis & alijs Festis celebrantur Missæ publicæ, ubi multi semper ad Sacram Synaxin accedunt, celebrantur & uespertinæ preces. Hæc quoque in reliquis oppidis, in quibus hactenus usitata non fuerunt, institui possunt, ac prout postulat frequentia, & multitudo hominum in oppidis, plures Missæ publicæ, in quibus communitio celebretur, institui in septimana possunt. Ac si

T

quid

quid præterea iudicatum fuerit pertinere ad honestum & pium ordinem in Ecclesia, id quoque libenter recipimus. Nam Deus qui introspicit omnium hominum corda, nouit nos nihil magis optare, quam ut res gemina tam Ecclesiastica quam Politica ita sint constituta, ut Deo placeant, & sint salutaria & tranquilla, Idcirco ardentibus uotis à Deo precamur,

Caspar Cruciger D.  
Georgius Maior D.  
Iohannes Pfeffinger D.  
Philippus Melanthon.

*Hoc est Cellense scriptum. Admoniti autem fuerant, qui istic conuenerant, ut si Augustanæ conciliationis formula recipi non posset, ipsi aliam nouam componerent. Quare cum scriptum iam absoluisset, Philippus Melanthon peculiariter, de quibus amplius tum in mentem ei uenerat, & in exemplum manu scriptum libri Augustani quedam inseruit, & in capite de Iustificatione quæ fraus, & quomodo usurpata esset, adhuc etiam planius exposuit, & de nouæ formulæ constitutione respondit. Quæ omnia de scripto illo, quod peculiariter tum reliquis ad vnius ex consiliarijs priuatam instructionem, ille addidit, cognoscantur. Id tale est:*

**Q**uæ fraus in capite de Iustificatione adhibita sit, aliquot in locis deprehendi clare potest, si quis hoc agat, ut eam consideret & cognoscat. Ut cum fidem cuius meminerunt sic declarant, quod possit esse sine dilectione. Item cum dicunt initio, iustitiam esse dilectionem, fidei uero nullo uerbulo meminerunt. Et paulo post, cum dicunt, Si fides adsit, sequi postea ueram iustitiam per dilectionem, quasi dilectio sit maior & potior iustitia, quam gratuita acceptatio, quod Deus propter Mediatorem ex misericordia nos acceptat per fidem & fiduciam filij, Et ut summam dicamus, Si Liber, ut nunc scriptus est, publicatus, & in Germania ac peregrinis nationibus lectus fuerit, & eo fuerit editus titulo, quod ueram doctrinam de Iustificatione explicet: uiri intelligentes, &

utriusque

utriusq; doctrinae Monasticae ac uerae periti praestigias animaduertant & refutabunt. Et gratum erit nobis, si nostra commonefactione Electori Brandeburgensi, Islebio, Iacobo Sturmio & Bucero fuerit ostensa.

Et ualde optamus, ut aliorum etiam Doctorum, & in his conuenerit exercitatorum iudicia de hac nostra censura explorentur, ut Principis Georgij Anhaltini & aliorum, qui commonefactionem hanc nostram non censebunt esse negligendam. Annotauimus & ad librum quaedam, ut facilius ubi lateat fraus cognosci possit.

Sed nouam integram formam describere sine peculiari mandato non uolumus, & frustra hanc operam esse suscepturi. Quam cumq; enim formam mitteremus Augustam, non approbaretur. Quae ab ipsis proposita est forma, est quiddam male confarcatum, quod bona malaq; uarie commiscet, & sophismatibus ludit, tanquam res agatur cum pueris, qui nihil horum intelligant, & displicet nobis hic ipsorum conatus. Res graues sunt, in quibus uerborum praestigijs minimè est ludendum.

Nec ueremur nostras censuras exponere de omnibus articulis, si quis audierit nos. Quod si nobis fides non habetur in hac re, praestaret nos non consuli. Multae sunt partes in hoc libro, quae ab alijs gentibus oppugnabuntur, etiam si à nostris Ecclesijs reciperentur.

Meminimus & Ratisbonae, cum talis liber proponeretur, alios postea fuisse formatos articulos, qui facerent ad conciliationem. Hi si editi in lucem fuissent, toti Germaniae peperissent ignominiam perpetuam, quod bene norunt, Landgrauius Habsiae, Bucerus & multi alij, propterea & iste liber examinetur & pensitetur diligenter, ne nostrae excitentur dissensiones stolido conatu.

*Haec igitur vniuersa, una cum exemplo libri Augustani, in aulam tum simul missa sunt, & addidit his D. Philippus Epistolam alteram ad eum Consiliarium, à quo euocati de Principis mandatis cognouerant, quam & ipsam hoc loco subiiciendam putauimus.*

S. D. CL. V. & patrone colende. Interfui ante similibus conuentuum disputationibus, ubi articuli de doctrina compositi fuerunt, & uidi non recipi formas ab una parte compositas, ideo & nunc non uolui nouas formas componere, uiderint isti qui adhibentur, ut rectè componant, nos non calumniose, sed dextre & uere iudicauimus,

cauimus, quid necesse sit reprehendi. Iam in margine etiam quædam  
ascripsi in libro Germanico, & mittimus pagellam de nostro iudicio,  
Si in singulis locis causæ reprehensionum ascribendæ essent, longum  
opus futurum esset, & tamen nequaquam recuso causas ostendere, si  
res poscet. Benè & fœliciter uale. Die 24. Aprilis.

*Hæc dum Cella scribuntur, interea Augustæ Pon-  
tificij formulam libri INTERIM detrectant. Cùm  
enim initio res ita esset instituta, vt præscriberetur aliquid  
quod communiter vtraq; pars præstaret, aduersarij re deli-  
berata hoc tempore à se omnem spem mutationis, quæ in ipso-  
rum Ecclesias introducatur, præcidunt, ijs tantum, qui  
Euangelici appellantur, vt liber proponeretur, permittunt,  
atq; præter alia quædam durissima postulata insuper iuris-  
dictionem & res ereptas repetunt, Quæ res & causam de-  
inceps Carolo Imperatori attulit, ut ad Pontificios de libro  
acquiesceret. Componi tamen postea ad hos etiam aliquid  
curabat, quo in meliorem formam Ecclesiæ ipsorum redi-  
gerentur, quam propterea reformationem appellabant, ad  
quam se & sua conformarent. Atq; hoc modo ille usq; ad  
concilij dijudicationem rem præclarè constitutam esse apud  
vtranc; partem minimè dubitabat, cum quidem reforma-  
tio hæc non minus intoleranda videretur Pontificijs quàm  
nostris esset libri Augustani formula, de quo in præsentia  
plura dici nihil attinet. Vix igitur Cella nostri domum re-  
uerterant, cùm de illa Pontificiorum actione ad Philip-  
pum Melanthonem refertur, qui statim postridie quæ erat  
29. Aprilis, respondit hoc scripto, quod conuersum sub-  
iecimus :*

**C**um Episcopi & cum his coniuncti in suis Ecclesijs mutationem nullam uelint fieri, & tamen facultates cum Iurisdictione repetant pertinaciter, nec uelint Sacerdotes, qui ab ipsis discunt ad nos, à nobis recipi, sed ijs tantum, qui ex nostris se nobis cum communium rituum usu & professione doctrinæ coniungere uolunt, ut hoc possint facere, permittant, non possum mihi perluasdere formulam, quæ proposita est, concordiam esse parituram, nec sperari inde aliud potest, nisi ut nostræ miseræ Ecclesiæ uehementer turbentur, Reliquis uero non consulatur, nec à persecutionibus Episcopi sibi temperaturi sunt Iurisdictione recuperata, quæ in regionibus totis & urbibus magnas dissensiones & turbationes commouebunt, Idcirco adhuc meam sententiam rectam esse censeo & utilem, ut hoc agatur omni conatu, ne Ecclesiæ nostræ turbentur. Ad hoc urgendum meo iudicio satis causæ est, quod cum Episcopi nec media ulla tolerare, nec emendationem ferre uelint, & propterea dissidia non tollantur, res suspendantur potius, cum nequeant melius institui, uel formula ita emendetur, ne persecutiones excitet inter nos & turbationes.

Res manifestè docet, frustra tentari conciliationes cum persecutoribus nostris. Etiam cum sarcitur concordia qualiscumq;, tamen pax constituitur, qualis est inter lupos & agnos. Ego hæc Deo commendando.

Quam minax sit scriptum Episcoporum, in quo sese Catholicos iactitant, & nos ignominiose nominant separatos, nunc non discipulo. Quantum ad me, adfirmo ueras nos & necessarias habere causas ipsorum falsa dogmata & abusus uitandi. Est enim æternum & immutabile Dei mandatum, Fugite idola. Item, Si quis aliud Euangelium annunciauerit uobis, inquit Paulus, quàm ego prædicauit, anathema sit.

Semper autem inde usq; ab initio mundi talia fuerunt in Ecclesijs certamina, quod aliqui impios & idolatricos cultus improbarunt, & quanquam secutæ sunt graues persecutiones, norunt tamen pii & intelligentes omnes, quomodo illas ferre & sustinere debeant.

Episcopi in responsione quam dederunt, auctoritatem suam ualde amplificant, quasi illa non sit iuris positui, sed pro iure diuino sint habenda decreta conciliorum. Omitto nunc disputationem de ista generalitate, concilia sunt dissimilia, & multa præsertim in externis constitutionibus decreta sunt, quæ manifestè iniusta sunt & impia. Exempli causa, quod mandato Christi Pontifex ius habeat constituendi Imperatorem & amouendi, Sic & hoc manifestè falsum est, quod



Sacerdotibus interdixerunt coniugia, quam prohibitionem Paulus nominat doctrinam Dæmoniorum.

Cum itaq; Episcopi tam difficiles sese præbeant in manifestis rebus, ut in communione & coniugio sacerdotum, facile cogitari potest, quod & alia falsa dogmata, abusus & impias inuocationes non sint mutaturi, Et tamen certissimum est, pontificios sacrificulos & monachos horrendis idolatrijs, abusibus & libidinibus pollutos esse, quæ nos peccata minime confirmare debemus.

Quod uero obijciunt Episcopi, in sua responsione non præstita esse à nobis, quæ in Augustana confessione profiteremur, non intelligunt quos aut quæ notent. Nam de his nostris regionibus certum est, quod ab Ecclesijs Saxonis inde usq; ad regnum Danicum receptum aliud nihil sit, nisi quod in confessione Augustana comprehensum est, & Dei beneficio pia, constans & Christiana consensus in Ecclesijs conseruata est hucusq; quod nunquam fuisset futurum, si doctrina mutata aut obscurata fuisset, Dominica Cantate 29. Aprilis 1548.

*Aliquanto post, cum artifices atq; autores libri, offensi censura nostrorum, contendissent non discrepare articulum de Iustificatione in libro expositum à doctrina nostrarum Ecclesiarum, sed dici idem prorsus lenioribus verbis, & quæ reprehenderentur, petulanter ac calumniose reprehendi sine causa, ac λογομαχίας esse meras, non de rebus certamina, in quibus nihil esset controuersum, sed uerba tantum illa non usurpata esse, quibus nostri uti consueuissent, Sola Fide hominem iustificari, Et diserte addidissent, ideò se non uoluisse uti hac formula, quòd et in compositione Ratisponensi expressa non esset, & scirent multos nostrorum sic docere contra Paulum & reliquos rectius sentientes, Excludi non tantum conditionem meriti ac dignitatis, sed etiam præsentiam nouæ obedientiæ, quæ excludi nec possit nec debeat. Hæc igitur cum obijcerentur, demò*

denuò quaesitum fuit, de obiectionibus illis quid esset senti-  
endum, Theologi qui in praecedentium conuentuum collo-  
quijs similia obiecta meminerant, responderunt in hanc  
sententiam, ut dilucida explicatione simul & illustrarent  
propositionem Pauli, Fide iustificamur gratis, transfor-  
matam in correlatiuam, scilicet, iustificamur ex sola &  
mera misericordia propter meritum, non nostrum, sed Fi-  
lij Iesu Christi, quae beneficia gratuita, accipiuntur fide:  
& simul refutarent cum Sophisticas libri praestigias, tum  
obiectiones recentes, quibus falso praegravabantur Eccle-  
siae nostrae, quod non solum meriti nostri & dignitatis  
conditionem excludendo, sed prorsus auellendo à fide &  
ex credente extirpando reliquas virtutes, quas per fidem,  
in persona reconciliata Spiritus sanctus excitat. Scriptum  
tale est:

**Q**uae uera sunt, praesertim si non sint periculosis & ambigujs  
explicata uerbis, ea uera esse confitebimur, nec mouebimus  
certamina non necessaria.

Exordium libri usque ad articulum, quid sit iusticia, rectum  
est, neque disputatione indiget. Sed post titulum, Quid sit iusticia, cer-  
to inest libro fraus & error. Reuera enim hoc uult liber, hominem ius-  
tum esse & acceptum Deo propter dilectionem, quo tantundem di-  
citur, ac si diceretur, propter opera & uirtutes nostras iustos nos  
fieri. Et necessarius articulus dissimulatur, imo aboletur, scilicet, quod  
postquam inchoata est in homine dilectio, tamen oporteat fidem &  
fiduciam in corde in hac uita niti Christo saluarore, & quod non  
propter mundiciem aut merita propria, sed propter mediatorem  
Christum iusti ac Deo accepti simus.

Praeterea inquit liber paulo post, postquam dilectione sus-  
mus iustificati, consecuti sumus aeternam salutem propter hanc  
dilectionem. Hic rursus de fide & de mediatore, quo fidem niti  
oportet, altum silentium est, Haec omnia reuera & in fundamento  
nihil

nihil discrepant à Monachorum doctrina, quòd homo iustus & Deo acceptus sit propter opera & uirtutes proprias, & idcirco hæc beat æternam salutem.

Postquam hoc positum est in libro fundamentum, ne aut uideatur aut dicatur omiſſa esse fides, miscetur etiã mentio uocabuli fidei, sed non uero intellectu. Intexuntur enim ista uerba: Fide iustificamur, id est, fides est præparatio ad iusticiam, & homines deinceps uere sunt dilectione, quasi non iustificetur homo coram Deo, cum fide & uera firmâq; fiducia filij mediatoris acceptatur à Deo, sed sit dilectio uera iusticia & infusa iusticia, fides autem non sit uera & infusa iusticia.

Hanc esse ueram & Germanam sententiam libri, perspicuum est inde, quod ipse sese declarat, cum inquit, fidem etiã posse esse sine dilectione. Item, Hominem postea uere iustum esse dilectione. Item in mentione iusticiæ infusæ nominat dilectionem, & aliud nihil. Deniq; hæc libri propria est sententiã, quod homo sit iustus & Deo acceptus propter nouam illam dilectionem, hoc est, propter suas uirtutes & opera, & quod propterea consequatur æternam salutem.

### Refutatio.

**S**I ergo hæc debet esse præcipua & principalis doctrina in Ecclesia, eripitur conscientijs & amouetur ex oculis doctrina de fide, de mediatore filio Dei, de certa firmâq; consolatione in iudicio Dei, nimirum hæc doctrina & hæc consolatio, quòd quanquam oporteat dilectionem & alias uirtutes in nobis esse, sicut & docuimus semper & adhuc docemus, tamen præluere his uirtutibus in corde necesse est hanc fidem & hanc fiduciam, quòd cum nostræ uirtutes sint prorsus imbecilles, Deus ex mera misericordia propter mediatorẽ nobis uelit esse propitius & nos acceptare, & ita propter filium pronũciare iustos, si fide apprehenderit ipsum, & uera fiducia illi adhæserimus.

Non est λογισμαχία nobis de particula SOLA, sed dicimus & confitemur, oportere in nobis & alias uirtutes & bonum propositum inchoari & manere, tamen fiduciam non his, sed filio Dei oportet nisi, sicut dictum est, & reliquas uirtutes uelut obumbrare. Sunt enim reliquæ uirtutes omnes languidæ & imbecilles, & multum sordium atq; impuritatis remanet in cordibus hominum atq; in hac

hac uita. Propterea necesse est, ut ad mediatorem confugiamus, & ex eo pendeamus, & gratuitam misericordiam imploremus per & propter hunc mediatorem, & per misericordiam, quæ propter hunc mediatorem nobis est promissa. Sic enim inquit Psalmus: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Daniel inquit: Exaudias nos non propter nostram iusticiam, sed propter tuam misericordiam & propter Dominum.

Hoc modo ad Deum accedere debemus afferentes fiduciam nitentem filio Dei, & statuentes, quod quanquam dilectio & aliæ uirtutes sint in nobis & esse eas oporteat, tamen sint imbecilles & languidæ, & quod oporteat fiduciam in solo filio Dei fixam esse, neque dilectio & consolatio in corde inchoari & consistere potest, nisi hæc fides & hæc fiducia præcedat. Hæc pijs & timentes Deum omnes in quotidiana inuocatione experiuntur.

Et miramur ualde qua de causa aduersarij hanc manifestam & perspicuam ueritatem, quam in omnium piorum animis fulgere necesse est, ferre non possint, nimirum, quod hominem præter inchoatam languidam dilectionem & alias uirtutes hanc fiduciam nitentem filio Dei habere necesse sit. Estque in libro hoc admodum incognitè tantè dictum, primo hominem uerè iustificari dilectione, quasi homo non sit præcipuè iustus & acceptus coram Deo fide propter mediatorem, sed sit præcipuè iustus & acceptus Deo propter uirtutes proprias. Oportet cor perpetuo & omni tempore in hac uita hanc retinere fiduciam, quod filius Dei sit & maneat mediator, & intersellet pro nobis, sicut Paulus inquit: Per fidem in Christum pacem habemus cum Deo, Item, Per fidem habemus accessum ad Deum.

Non oportet nos dilectionem nostram pluris facere, quam filium Dei, qui ut mediator patrem nobis placauit & reconciliauit, & sua iusticia regit nostras imbecillitates. Cumque de infusa iusticia dicitur, sicut ipsi nominant, minimè hæc fides & hæc uia fiducia excludi debet. Nam & hæc maximarum uirtutum una est, imo hæc fiducia excitat in corde consolationem, dilectionem, inuocationem & uirtutem, sicut scriptum est ad Galatas 2. Quod uiuo, per fidem uiuo. Item, Rom. 1. Iustus fide sua uiuit. Item ad Coloss. 2. Sepulti estis unà cum Christo per baptismum, & uiuificati estis per fidem, ut Deus sit in uobis efficax.

Et hæc ipsa doctrina plana & explicata est, & cognitu necessaria pijs omnibus in quotidiana inuocatione, sicut inquit Paulus, Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum, hoc est, oportet

oportet in homine esse bonam conscientiam, dilectionem & alias necessarias uirtutes, tamen agnoscere & statuere nos oportet, quod illae ipsae uirtutes sint imbecilles, & multum adhuc sit reliquum in nobis imbecillitatum, & quod oporteat accedere fiduciam nitentem filio Dei, qua demum sumus iusti.

Haec doctrina est immutabilis ueritas Euangelij, & facilis ac plana, & in omni inuocatione quotidie considerari hanc oportet. Nam cum orandum est, non satis est, ut te intuearis & requiras in te dilectionem & alias uirtutes, etsi illas in nobis esse oportet, sed praeter has languidas uirtutes oportet in nobis esse hanc ueram consolationem, nimirum fiduciam defixam in mediatorem, quod Deus certo propter ipsum uelit nos acceptare, & gemitus ac clamores nostros exaudire, neque repellere nos a sese atque abijcere. Et hanc fiduciam oportet esse defixam & firmatam in filium Dei, & minime in nostram propriam mundiciem, etsi has uirtutes inchoari necesse est in nobis, sicut & statim excitantur cum tali fide & inuocatione.

Suntque & manent istae sententiae immutabiliter & in aeternum uerae, Qui non diligit, manet in morte. Item, Fides sine operibus est mortua. Sicut enim saepe iam dictum est, Oportet in corde esse bonum propositum, dilectionem, spem, & alias uirtutes, sed non solas, uerum omnibus his fidem seu fiduciam, de qua dictum est, praeuocare oportet.

Sed liber ita dilectionem nominat, ut de hac fide & fiducia sileat prorsus, & semetipsum interpretatur, quod loquatur de fide, quae tantum sit noticia doctrinae, a qua dilectio possit abesse. Haec reprehensio tanti momenti est, ut dissimulari nullo modo possit. Continet enim fundamentum doctrinae Euangelicae & consolationem praecipuam ac maxime necessariam.

Inquit liber, Fidem nihilo minus esse ueram fidem, etiam si quis perseverat in manifestis peccatis, modo retineat noticiam uerae doctrinae.

Cum itaque liber suam fidem & eorum, qui perseverant in peccatis contra conscientiam, & manifestis, & Diabolorum fidem statuat esse fidem eandem, satis euidenter apparet, quod fidem tantum statuat esse noticiam historiae & praeparationem. Si iudicant idem donum esse fidem in adultero & fidem in Paulo, manifestum est de iustificatione aliter loqui & sentire librum, quam nostrae Ecclesiae sentiant & loquuntur. Et haec libri sententia est, sicut expositum est. Sed paulo ante inquit liber, Fidem confidere promissioni & misericordiae Dei. Talis fides minime existit in adulteris & in Diabolis. Ita secum pugnat

pugnat liber, & oportebit pios & doctos viros errores & sophisticen libri proferre & confutare: quæ res & ipsi Imperatori & Principibus Germaniæ, qui librum receperint, non esset futura gloriosa. Fides in adultero longè alia res est, quàm fides & fiducia in Paulo. Et ut crasso exemplo res declaretur, Fides in adultero est mutilum aliquid, quia articulum de remissione peccatorum adulter, quantum ad se, non credit: propterea additio in libro, quòd uera fides sit in illis etiam, qui se polluunt manifestis peccatis, merum sophisma est, quòd nihil ad rem facit.

Iohannes Bugenhagen D.

Caspar Cruciger D.

Georgius Maior D.

Philippus Melanthon.

*Ad illa igitur superiora tam multa scripta, quibus sententiã suam de libro Augustano & consilijs illis Theologi, & liberrimè & planissimè ediderunt, & veritatis corruptelas disertè demonstrarunt, hoc quod iam exposuimus ante publicationem libri vltimum accessit, quo ad obiectiones atq; notationes quasdam, vt diximus, responderunt. Ac cætera quidem qualia sint, considerabunt qui legent. Ex hoc verò vltimo Flacius aduersus Ecclesias nostras atrocissimas accusationes detexuit, neq; quibus doctrinam veritatis corruptam à nostris esse demonstraret, argumenta alia habuit, sed ex hoc solo scripto aduersus doctrinam Ecclesiarum nostrarum ante hoc tempus sicutiæ suas deduxit vniuersas (cum reliqua, quibus hoc genus vtitur eiusmodi sint, vt ipsa se euertant, neque de ijs moneri attineat) Nam & de particula SOLA non esse pugnandum, & fidem præcipuè iustificare non solum, à nostris doceri ex hoc scripto credi postulauit, calumniam manifesta, Quodq; nesciat, quando aut vbi compositum*

positum sit, alicubi in conuentu Misuensi, alicubi in Pegensi corruptam doctrinam Iustificationis assenerat. Sed libro tamen proximè à se contra nostros edito cum 5. Subscriptoribus, hoc scriptum Pegensibus tractationibus ascribit. Hac igitur de causa & hoc scriptum inferendum & indicatione peculiari excitandam attentionem legentium putauimus, vt maiore cum diligentia consideretur, an teterrimarum accusationum suarum, non dico iustas, sed omnino aliquas causas Flacius habuerit, qui ne diuerticulum quidem hoc sibi reliquit, vt dicere posset, se totum scriptum non vidisse. Narrat enim ipse in libello cum 5. Subscriptoribus, hoc scriptum se, in manus sibi traditum à Philippo Melanthane, quem Principem Adiaphoristam vocat, accepisse, qui petierit, vt describi curaret. Et ibi quidem falso Pegaiense consilium appellat, cum eo tempore ne suspicio quidem vllius cum Episcopis congressus, esse potuerit, qui vlllo tempore fieret, Sed ad calumniam confirmandam magis idoneum fuit in Pegaienses tractationes hoc scriptum transferri & his affingi, vt omnes intelligunt. Quod si non totum vidisset Flacius, & re incomperta tantum crimen Philippo Melanthoni & Ecclesijs harum terrarum inferre ausus fuisset, malicia ea esset temeritatis sceleratæ. Nunc cum totum vidit & habet Flacius, & excerptas callidè sententias per calumnias exagitant, dissimulat atq; occultat reliqua, Sycophanta est & falsarius. Sed de Flacio statuatur vnusquisq; quod res docet, & probat causa. Itaq; ad narrationem reuertamur.

Cùm

Cum ita per duos iam menses exerceretur illis actionibus multipliciter Princeps Elector Mauricius & varijs multorum conatibus tentaretur atq; torqueretur, Tandem publicatio libri secuta est, quæ res & priores labores ei renouauit, & nouis eum & aliquantò grauioribus difficultatibus obiecit, de quibus nunc deinceps ordine exponemus.

Idibus Maij, quæ est Mensis 15. dies, conuocatis tempore Pomeridiano ordinibus ciuitatibus Imperialibus Casarea Maiestas, assidente fratre Rege, &c. per Archiducem Austriae Maximilianum &c. significari eis curauit, se de Interiecti temporis libro rationes suas, & quantopere consultum rebus communibus cupiat scripto quodam comprehendendi curasse, id vt ordines recitari audirent, & huic obediens se præstarent. Postea recitata Cesaris de libro relatio fuit, quam propositionem vocant, sed liber ipse tum minimè est recitatus, qua recitatione absoluta, confidentibus in solijs suis Casare & Rege, Principes Electores consurgentes, prope Cesaris solium ad fenestram vicinam concesserunt, neq; ex Consiliarijs quenquam adhibuerunt. Cæteri Principes qui tum præsentés erant, & absentium Legati similiter vnum in locum ibi concesserunt, neq; ex his etiam vllus Consiliarium aliquem sibi accersuit. Idem fecerunt & ciuitatum Legati, atq; ita per vnius fermè horæ spacium deliberatum, & sententiæ ex illis tribus consilijs communicatione facta collatæ, & tandem per Electorem Moguntinum in hanc fermè sententiã Cesari responsum fuit:



fuit: Electores, Principes, & cæteros ordines, de quibus Cæsar. Maiestas referri curasset, recitari audiuisse, & inde eos benigniss. animum & paternam curam atq; affectionem, qua esset erga nationem Germanicam, intellexisse, pro quibus ei subiectiss. gratias agerent, Cumq; quid de interiecti temporis libro fieri vellet, ostendisset, Electores, Principes, & ordines cæteros hac in parte obedientes se præstituros, & vt scire possent, qualia illius libri consulta essent, orare eos, vt describendi huius potestas ipsis benigne concederetur, & c. Ad hæc Cæsar per Archiducẽ significari curauit, se Electorum, Principum & ordinum responsionem benignè accipere, & vt ordines librum describi curarent, se non repugnare. Ita sequentibus diebus liber ille in Senatu Imperij recitatus tantum & descriptus fuit, neq; de hoc quicquam deliberatum, aut vllæ sententiæ rogatæ fuere.

Narravit autem postea suis Illustriss. Princeps Elector Mauricius, se post recitationem factam relationis Cæsareæ, antè quàm Moguntinus responderet, Collegis suis in communi deliberatione illa significasse, se de libro recipiendo assentiri non posse, sed ad regionum suarum ordines, certis de causis, quæ Cæsari notæ essent, de hoc referre oportere. Postquàm autem vinceretur cæterorum sententijs, se ad Collegas suos his verbis vsum. Ergò quæ meæ res flagitant, cras Cæsari ipse indicabo, atq; ita postea Moguntini responsionem secutam eam quam exposuimus. Quæ omnia & descripto Mauricij ad Cæsarem infra cognoscuntur

tur planius. Idem in Principum consilio factum fuisse alij  
questi sunt, vt illa Moguntini de improviso responsio ma-  
gis assentatio quedam, quam eorum quæ in consultationi-  
bus illis facta essent, plana relatio fuerit.

Publicato libro, magna diuersitas voluntatum &  
sententiarum distractio inter Augustanæ professionis  
de religione consortes extitit, alijs prorsus hunc detre-  
ctantibus, alijs amplius deliberandum censentibus, alijs,  
qui minus attentis & sagaces essent, sine dubitatione ap-  
probantibus omnia, alijs quedam tantum admittentibus.  
Meminerant multi quid de Ratisponensi libro à Luthero  
factum esset, et de quatuor conditionibus, quas tum ille tu-  
lerat duas in Augustano expositas videbant, coniugium  
Sacerdotum, & Sacramentum Cœnæ integrum. Corrupte-  
le autem libri neque omnes, neque statim, neque ab omnibus de-  
prebendi poterant, & erant qui disputarent, eandem de in-  
stificatione doctrinam in hoc esse, quam nostræ Ecclesiæ pro-  
fiterentur, nonnulli iudicij imbecillitate labebantur, præser-  
tim accedente metu à potentia Cæsaris, qui iudicium per-  
turbare solet, sepe etiam euertere. Si qui verò assentatio-  
nibus in re tanta indulgendum sibi putarunt, de ijs honestè  
dici nihil potest. Quare & consultationes tum atque delibera-  
tiones cum Theologis susceptæ atque initæ multiplices &  
varie fuere, & quesitum atque sciscitatum apud doctos, à mul-  
tis diuersorum ordinum, gentium, dignitatum hominibus,  
publico & priuato nomine, qualis ille liber esset, & apud  
Philippum Melanthonem in primis, qui scribendis hac de  
re

re responsis obruebatur, in quibus colligendis non paruum  
operæ precium facturos existimamus, si qui susciperent, &  
propter Variam & multiplicem instructionem multis le-  
ctorem illorum profuturam esse, in quo si à communicati-  
onibus aliorum adiuuabimur, quas & nunc simul expeti-  
mus, nostra opera utilitati publicæ nequaquã est defutura,  
Captus etiam Elector Princeps Ioan. Fridericus, etc. Phi-  
lippi Melanthonis, sententiam de libro illo sciscitatus fuit.  
Sed de alijs dicere nihil attinet in præsentia, Itaq; de Mau-  
ricij Principis actionibus narrationem persequamur.

Qua igitur die de libro referri Imperator curauerat,  
& cum ordinibus ille vt communicaretur, permiserat, quæ  
fuit Iduum, id est, 15. Maij, vt diximus, postridie huius  
omnino de ijs, quæ res ipsius flagitabant Princ. Elect. Mau-  
ad Cæsarem referre expetebat, sed & deliberandum ei illa  
die de modo fuit, & à rege, ut tum audiretur impetrare,  
non potuit, Tertia autem post, id est, 17. Maij, accidit vt  
Imperator cum Principibus aliquot ex Vrbe expatiaretur,  
& valde vesperi reuerteretur, Ita vsq; ad 18. rem differre  
coactus fuit, atq; hac die Imperator Principem Electorem  
Mauricium ipse audiuit. Habebat Imperator secum Episc-  
copum Attrebatensem & Seldium Iuriscons. Princeps  
Mauricius, ex equestri ordine Præfectum vnum, & Iuris-  
consultum Fachsium. Tum igitur Mauricius scriptum  
quoddam, quod subiecimus, Cæsari in Palatio obtulit, cum  
oratione huius fermè sententiæ:

Imperatorem

Imperatorem sine dubio reuocare sibi in memoriam posse, qua ratione, & quibus conditionibus, negocium de Concilio, & quomodo interiecto tempore dum Concilij decretis de re constituta, Sacri Rom. Imperij ordines pia inter se pace & quiete frui possent, hæc scilicet negocia, quibus conditionibus ipse Mauricius, ad promissiones benignissimas partim sibi partim subditis ante hæc tempora, Ratisponæ, & alias, de religione aliquoties factas, Imperatori subiectissimè permiserit, Imperatorem absq; dubio recordari. Cumq; nuper liber, qui quid interiecto tempore, dum concilium congereretur fieri oporteret, complecteretur, ad legendum ei traditus, & simul à duobus Principibus, qui ab Imperatore mandata illa accepissent, significatum ipsi fuisset, isto modo inter ordines concordiam instaurari & consensionem fieri posse, & quod communiter illa formula uniuersis proponeretur, & æque ab uniuersis ordinibus seruari deberet. Tum igitur & quid illis Principibus duobus responderi non ignorari, & quid postea cum Imperator ipse de eadem re secum ageret in præsentia Regis & duorum aliorum Principum, tum etiam quid illis præsentibus responderit, Imperatorem similiter reuocare sibi in memoriam posse. Audiuisse autem se, quid Imperator quarto die ante ad uniuersos Imperij ordines de illo libro referri curasset, & ad illam relationem, quid nomine & loco uniuersorum ordinum responsum fuisset, atq; tum quidem necessitatem sibi allatam, quæ flagitasset, ut statim illo tempore & loco de suis rationibus Imperatori significaret, Imperatoris tamen dignitatis ratione habita, & ne speciem res haberet, quòd in præsentia ordinum, exemplo malo, decreta conuellere, aut mouere aliquid uellet, & difficultates introducere, ideò se id facere omisisse, & quæ res ipsius flagitarent, scripto comprehensisse, quod scriptum subiectissimè tum Cæsari in manus traditum, & simul petitum fuit subiectissimè, ne Imperator aliter existimare uellet, quàm summa necessitate Principem Mauricium ad hanc rem adigi, & Imperator pro ijs, ut spem fecisset, & quæ promississet benignissimè Ratisponæ, quasq; promissiones ab eo tempore & sibi & subditis suis aliquoties repetuisset atq; renouasset, pro ijs igitur, ut quàm benignissimè se exhiberet. Quicquid enim **PIE ET CVM BONA CONSCIENTIA** & salua dignitate sua facere posset, in ijs omnibus uelle se Imperatori obnoxiam obedientiam præstare.

*Scripti autem, quod tum obtulit, sententia hæc est,  
quod quàm simplicissimè de Germanico interpretantes,*

X

*subiecimus.*

*subiecimus. Post exordium præfationis honoris & obedientiæ debitæ, atq; officiorum delationem vsitatam ita sequitur.*

**B**enignissime Domine, uestra Cæs. Mai. in memoriã sibi benigne reuocare potest, qua ratione ego huic, de concilio negotium, & quomodo interim dum concilij decretis aliquid constituatur, Imperij ordines, pie, tranquille & pacifice inter se uiuere possent, ad spem & pollicitationes partim mihi à maiestate uestra, partim subditis meis de religione perbenigne, & ante hæc tempora Ratisponæ, & alias, aliquoties factas, subiectissimè permiserim. Cumq; post hæc consulta de ijs, quæ interiecto tempore dum concilium cogeretur, seruanda essent, mihi ad legendum tradita fuere, & simul à duobus Principibus significatum fuit, hoc modo inter ordines concordiam instaurari & consensionem fieri posse, dum Concilio, cuius modo mentio facta est, de rebus decerneretur, quodq; ab utriusq; partibus illa formula recipi communi consensu deberet, similiter meminisse C. M. V. potest, quale responsum ego præsentè Romano Rege & duobus alijs Principibus tam meo quàm subditorum meorum nomine tum dederim, & potuissimè facile cogitare, si illa ab uniuersis ordinibus consentientibus sententijs recepta fuisset (neq; enim aliter quæ tum dicebantur, quam de communi utriusq; partis consensu accipiebam) etiam si meo loco refragari conatus fuissim, parum tamen loci hoc habiturum. Postquam uero intellexi ex ijs, de quibus ante diem ab hoc quartum acerbe relatum fuit, quod ea non communiter utriusq; partibus, sed alteri tantum ad seruandum imponerentur, neq; ego illud scriptum, quale nunc est, & sicut à fide dignis hominibus ad me delatum est, aliquot in locis immutatum, recitari adhuc audiuerim, idèò responsioni ei, qualis à domino & amico meo Archiepiscopo & Electore Moguntino data est, tam penitus & præcisè assentiri non potui. Sed beneuolentiæ ipsius, & cæteris collegis meis, tum statim de rationibus contra hanc meis significauim, cumq; hoc nihil proficeretur, tandem collegis meis edixim, causam mihi afferri, ut de animo meo, & quid res meæ hac in parte flagitarent, Cæsareæ Maiestati uestræ peculiariter indicarem, quod & tum statim facere cupiebam, uisi (in gratificandi M. V. studio, ne in præsentia & conspectu multorum aliquid moueretur) in hunc diem usq; id differri commodus existimassim. Itaq; facere non possum, quin C. M. V. coactus summa necessitate, significem, non tantum mihi hoc meo loco gratissimum

uissimum esse, sed & ad subditos meos ( quibus ego ante hoc tempus  
 fretus à C. M. V. spe facta & pollicitationibus ijs de religione, qua  
 rum supra mentionem fecimus, multiplicia promissa & dedi & dare  
 coactus fui, quod idem & à V. M. etiam ipsa aliquo modo factum  
 est ) excusari prorsus non posse, ut meam fidem ad seruandam fors  
 mulam, de qua relatum, cuiuscq; iam sæpe mentio facta fuit, sine dis  
 crimine & exceptione obligem, ante quàm eam & legerim & scire  
 possim, quo nunc sit directa, & qualis nunc sit, & quid in hac mutas  
 tum quid non sit. Præsertim tali conditione lata, ut altera tantum pars  
 illa oneretur, alteri prorsus ab hac parcatur. Vereor etiam si ita fiat, &  
 tali modo res agatur, ne ad id, cuius causa suscepta res est, nimirum ut  
 piè, tranquillè & placidè inter nos uiuatur, non omnino sit profutura.  
 Nihil tamen minus exemplo huius impetrato cum meis fidelibus  
 subditis illam perpendam, & quicquid ego & ipsi **PIE ET BONA**  
**CVM CONSCIENTIA** ullo modo facere possumus, in eo  
 & eum meo loco præstabo, & similiter apud subditos meam dis  
 ligentiam adhibebo, ut V. C. M. re ipsa experiatur, ne in omnibus  
 ijs, quæ ad piàm & Christianam concordiam, pacem & quietem, &  
 ad C. M. V. obnoxiam obedientiam præstandam, facere posse uide  
 buntur, in ijs inquam, haud libenter me, ut aliquid in me requiri  
 posset, passurum esse. Quemadmodum enim hætenus feci, ita deinceps  
 etiam C. M. V. omni tempore omnia debita officia, & obedi  
 entiam cum omni subiectione præstare conabor, Per scriptum Aus  
 gustæ 16. Maij, Anno 1548.

V. C. M.  
 subditus

Mauricius Dux Saxo  
 niæ Elector.

*Ita igitur Princeps Mauricius Elector contra re  
 sponsonem datam à Moguntino, & Augustanam librum,  
 oratione & scripto sententiam suam & voluntatem testa  
 tam fecit. Hoc verò scriptum cum eius sententiæ verbis,  
 quibus dictum est, Cesari fuisset à Principe oblatum, Im  
 peratore re cum Attrebatensi & Seldio deliberata respon  
 deri iussit in hunc modum :*

X 1

Cognoscere

**C**ognoscere se Principem Electorem superiores tractationes, & responsionem Imperatori ab ipso in praesentia Regis & duorum Electorum, datam, inducere, pro quibus agat, & scripti cuiusdam modo exhibitum mentionem facere, seque nonnihil relatione tali, quodque à cæteris ordinibus Princeps Elector secessionem moliretur, offendi. His tamen misis, quicquid fiat, & qualecunque hoc sit, cum de scripto quodam oblato Princeps Elector retulerit, de quo causa ipsius cognoscatur, in quo fortassis pluribus illa agatur, uelle Imperatorem id scriptum cognoscere & perpendere, & sic postea de sententia sua significare.

Ad hæc, pro responsione data Princeps Elector gratias egit, & petijt ab Imperatore, ut scriptum traditum diligenter consideraret, tum Imperatorem animaduerturum, offerri à se obedientiæ suæ omnine studium, quantum & ad se & ad subditos suos attineret, in ijs, quæ **PIE ET SALVA CVM DIGNITATE ET BONA CONSCIENTIA** facere, & fieri omnino possent, seque subiectissimo animo hanc spem concipere, Imperatorem pro aliquoties repetitis promissionibus suis omnia benignissimè facturum esse.

His responsum est. Imperatorem responsioni datæ suæ nihil addere. Hæc ita 15. Calend. Iun. ut diximus, in Palatio Cæsaris acta sunt in praesentia tantum eorum, quos supra nominamus.

*Septima die post, id est, 9. Calend. Iun. quæ est 24. Maij Imperator in praesentia Regis Ferdinandi & Episcopi Attrebatensis per Oratorem Seldium significari Principi Elect. Mauricio curauit hæc fermè: Principem Electorem Mauricium aliquoties & ipsum & per alios petijisse, ut ad suos redeundi benignè ei potestas fieret, Imperatorem verò facillè cogitare posse, graue hoc ei esse tam diu eum à regionibus & subditis suis abesse. Sed cum aliter fieri non potuerit, & Sacri Romani Imperij negocia hoc flagitarint, ut tam diu detineretur, non potuisse se eum dimittere. Nunc verò Imperatorem ferre posse, ut in suas regiones ille se recipiat, & consiliarios ut suo loco relinquat, à quibus opera conferatur ad negocia, quæ restent conficienda*

conficienda, in primis Burgundiacum, & ad Imperatoris hereditarias regiones pertinentia, & contributionis de qua Imperator egisset. Cum verò scriptum de interiecti temporis libro Princeps Elect. ipsi obtulerit, Imperatorem id legisse, & hoc se aliqua ex parte grauiter ferre, Principem Mauricium à reliquis Electoribus, Principibus, ordinibus, & ciuitatibus seiunctionem moliri. Et cupere Imperatorem, ne discedat ab alijs Principibus, & vt cum subditis suis agat, quo ille similiter ad præscriptum libri de interiecto tempore congruenter viuant. Quibus respondit Mauricius Elector, manere se in sententia priore, quam & Ferdinando Regi declararit, nec se quicquam re non prius cum regionum suarum ordinibus communicata, discernere posse. Præstiturum verò se Imperatori in omnibus, quæ fieri possint, obnoxiam obedientiam, eamq; diligentiam apud subditos suos adhibiturum esse, **NE IN VLLA RE QVÆ SALVA AD DEVM PIETATE** præstari possit, ab alijs se seiungant. His tum Cæsar acquieuit, & de bellicis quibusdam negocijs mandata dedit.

Post hæc Princeps Mauricius, Augusta discedens, ad suos reuertitur, Quodq; in consilio iam de conuocandis regionum suarum ordinibus, ad rem deliberandam versaretur (id quod omninò fieri oportebat) & quod librum Augustanum aliquot iam in locis mutatum audiisset, Ideo antequam conuentum indiceret post superiora omnia Theologorum responsa, librum ita vt publicatus fuerat, ad



Collegium Theologicum Academiae nostrae mittit, & iudicium & sententias huius de singulis capitibus denuo in suos usus & suae conscientiae causa, & quod de eo ad suae ditionis subditos ex promisso Imperatoris facto referre statuerat, exquirat. Ita denuo Theologi responsiones suas de singulis scripto comprehendunt, quod confectum fuit 16. Iunii (quam diem praecedente tertio Augustae illa reformationis, de qua diximus formula, Pontificij à Cesare proposita & publicè recitata fuit) Habuit hoc tantum breues & ad ipsum Principem, qui has requirebat, directas notationes atq; admonitiones de ijs, in quibus concedi nihil posset, ita ut moneretur Princeps rursus, de quibus evidentiæ veritatis cogat eum refragari Imperatoris auctoritati, quæq; cum ad ipsum Principem, tum ad omnes pertinerent: quæ verò propter obscuritatem aut perplexitatem in Principem conferre nollent, sed de quibus explicationem accuratam & dextram suo ipsi loco & periculo præstare vellent, Habetur & de hoc scripto Epistola D. Crucigeri, quo cur hoc modo scriptum compositum fuerit moderatius exponit, quam inseruimus.

ERVDITIONE ET VIRTUTE PRÆ  
stanti viro M. Andreae Kegel Filio suo  
carissimo.

**A**dfert ad vos M. Burcardus responsionem nostram ad litterarum propositum Augustae & publicatum, quæ etsi est mollior, quam scimus plerisque velle, tamen pro ratione & temporis & hominum, quibus hæc nunc scribuntur, puto satis graue responsum esse. Laudamus alios fortiores, sicut in ipsa Ecclesia Augustana

gustana audimus Musculum acriter contradicere, quod non dubi-  
um est, iam fieri ubiq; ab omnibus pijs concinatoribus. Sed in  
scripto tali alijs consilium datur, quos neq; necesse est de omnibus  
quoquo modo disputabilium materijs pugnare, & constat non om-  
nes esse pari animorum robore. Satis magna pericula ostenduntur,  
quæ ut Deus gubernet pro sua misericordia, & seruet inter nos & in  
his regionibus semen sanctum, ipsum oremus. Spero nostros con-  
stantes fore, quos tandem necesse est constituere, utrum pacem an ue-  
ritatem malint. Sumus euocati ad conuentum Misnensem, indictum  
ad 1. diem Iulij. Bene uale. Nam ut breuior sim, facit ὁ ἡγαματο-  
φῶτος, qui coram omnia narrare poterit, quæ hic scimus. Die. 19. Iun.  
Caspar Cruciger.

*Etsi autem scriptum hoc expressum postea typis &  
editum fuit, & quidem primo omnium, tamen quod narra-  
tionis series & continuatio omnino postulet, subijci hoc  
loco curauimus, quod tale est:*

NOTATIONES DE CORRUPTELIS  
libri Interim scriptæ à Theologis Vuittebergen-  
sibus, Anno 1548. Mense Iunio.

**P**Ræfatio recens præposita, libro nobis nondum est exhibita.  
Ideò iam pronunciare, qualis ea sit, non possumus. Veruntæ-  
men audimus esse scriptum, ualde prægrauans nos, in quo  
quidem si dicuntur eæ sententiæ, quibus & condemnantur Ecclesiæ  
nostræ, & postulatur comprobatio, seu receptio libri huius tanquam  
confessio, quòd Ecclesiæ nostræ docuerint hætenus falsa, quodque  
petulanter accenderint dissidia; necessitas afferitur omnibus rectè  
sentientibus in nostris Ecclesijs opponendi ueram responsionem.  
Nam si post agnitam Euangelij ueritatem nosmetipsos hoc præiu-  
dicio scientes condemnaremus, ac insuper ad eiusdem ueritatis ag-  
nitæ persecutionem nos obligaremus, esset hæc prorsus irremissibilis  
blasphemia, Qua ne polluamur aut implicemur, Deus clementer ac  
benignè prohibeat. Etsi autem proponuntur minæ bellorum ac  
uastationum, tamen anteferre & pluris facere debemus mandatum  
Dei, de non abiicienda ueritate Euangelij. Secundò. Doctrina  
de filio Dei & remissione peccatorum, est peculiare decretum diu-  
inæ Maiestatis, quòd Deus inenarrabili bonitate patefecit, & multos  
singulos

singulos homines eiusdem doctrinæ conseruationem adiuuare, ut  
 hac commonefacti & ipsum uerè inuocent, & salutem sempiternam  
 consequantur. At Diabolus inde usq; à lapsu & receptione Adæ assis-  
 duis conatibus multiplices insidias ac fraudes expertus est, exting-  
 uendæ aut obscurandæ huius doctrinæ causa. Quod horribiliter  
 ostendunt exempla. Quapropter summa uigilantiâ & acerrimo sus-  
 dicio cauere debemus, ne abducamur à uera doctrina, quemadmodum  
 Deus ipse sæpè nos præmonet ac hortatur. Tertio. Consideretur &  
 hoc: Si in harum regionum Ecclesijs restituerentur aut reciperentur  
 manifesti errores in doctrina & cultus idolatrici, quantum tristissimor-  
 rum scandalorum ea res in Ecclesijs nostris esset paritura? Nam  
 & plurimi p̄ij homines, ingenti mœrore conficerentur, & inuoca-  
 tio uera impeditur &c. Hæ grauissimæ maximiq; momenti causæ  
 exuscitent & exacuant curam atq; sollicitudinem diligenter conside-  
 randi & prouidendi, quid in tanta deliberatione statuendum sit.  
 Nos quidem nec petulantia, nec curiositate, nec superbia seu contu-  
 macia ulla repugnamus, ut à quibusdam falsò in nos confertur. Deus  
 καὶ ἐπιγινώσκων & introspicens omnium hominum corda nouit nos  
 ex animo pacis esse cupidos, eamq; nobismetipsis & nostra quoq;  
 causa, serio ac uehementer expetere. Sed adigit nos ad confessionem  
 ueræ doctrinæ, quæ sonat in Ecclesijs nostris, seuerissimum & indis-  
 pensabile Dei mandatum de non abijcienda nec persequenda agnita  
 Euangelij ueritate, Itaq; euentum & pericula nostra Deo commen-  
 damus.

Ac postquàm nunc experientia conuincit, ac res ipsa loquitur,  
 Episcopos & horum satellites Romano Pontifici adiunctos nullo  
 lam conciliationem aut moderationem controuersiarum admittere  
 uelle, ideoq; certum sit de doctrina atq; ceremonijs quibusdam man-  
 suras esse dissensiones atq; discordias, & Episcopos illos nolle nobis  
 ordinare ministros Euangelij & Sacramentorum: Certè multò satius  
 esset, nos interim domi fouere ac tueri tranquillitatem atq; coniu-  
 ctionem nostrarum Ecclesiarum, quàm tentandis nouis mutationis  
 bus præbere causas & occasiones domesticis tumultibus, intestinis  
 discordijs, & tristibus scandalis inter nos, præsertim cùm constet fore,  
 ut in multis regionibus & urbibus hic liber non recipiatur nec ap-  
 proberetur.

Cùm autem dissimilitudo quædam sit partium & articulor-  
 rum in libro, quorum alij ueri alij falsi sunt, alij loquuntur de præci-  
 puiis capitibus seu articulis fidei, quos singuli homines tenere ac in-  
 telligere debent, alij uerò de cæteris materijs non perinde necessa-  
 rias.

ius : ordine de singulis articulis sententiam & iudicium nostrum ex-  
ponemus , quæq; uera esse iudicamus , ea nequaquam columniose &  
sophisticè deprauabimus aut impugnabimus , sed plane ac simpliciter  
huiusmodi esse fatebimur . Contra , quæ falsa quæq; corruptelis  
implicita esse deprehendemus , ea minime decet nos amplecti & ap-  
probare .

Initium libri de hominis creatione & lapsu , de peccato Ori-  
ginis , de liberatione seu reparatione per Christum , uera continet , &  
non reprehendenda . Postea uerò pagina libri quarta in Articulo  
de Iustificatione reperitur hæc corruptela , quod liber clare ponit , di-  
lectionem esse iusticiam : Quæ sententia & in pagellis sequentibus  
repetitur atq; declaratur ijs uerbis , de quibus certo potest intelligi ,  
hunc librum dissentire à uera doctrina , quæ Dei benignitate tradis-  
tur in Ecclesijs nostris , quod uidelicet homo sit iustus seu acceptus  
coram Deo fide propter Mediatorem Christum .

Et quanquam liber dicit , per fidem peruenire homines ad ius-  
ticiam , tamen re ipsa sentit liber , fidem tantum esse præparationem ,  
ut deinde homo uerè sit iustus dilectione : quemadmodum ipse liber  
expresse ac aperte loquitur , postea hominem reuera iustum esse per  
dilectionem . Qui ut amplius euoluat atq; declaret se , dicit ueram fi-  
dem existere etiam in homine indulgente peccatis contra conscientia-  
am , & non habente initia dilectionis . Item addit , propter dilectio-  
nem homines esse hæredes æternæ uitæ . Quorum omnium in fundas-  
mento , & re ipsa una est sententia , hæc uidelicet : Hominem esse ius-  
tum , id est acceptum , & placere Deo propter dilectionem suam , &  
opera propria : sicut ante hanc ætatem Monachi docuerunt . Ita silen-  
tio supprimitur seu potius obruitur , in hoc Articulo , maximè neces-  
saria doctrina de fide , nempe , quod etiamsi necesse sit in nobis existe-  
re dilectionem ac iusticiam bonæ conscientia , tamen iusti simus , id  
est , accepti coram Deo , propter redemptorem & saluatorem Chri-  
stum , hac fide seu fiducia ipsum intuentem , & quod nequaquam pla-  
ceamus propter propriam mundiciem seu puritatem . Hic ipse Arti-  
culus Dei beneficio in Ecclesijs nostris ita illustratus est , ut minime du-  
bitemus , esse ualde multos homines , à quibus rectè ac dextrè intellis-  
gatur , quicq; iudicare de hoc libro uere ac erudite possint .

Nos etiam fatemur , ac fideliter docemus , oportere contritio-  
nem , conuersionem ad Deum , dilectionem , bonum propositum &  
iusticiam bonæ conscientia in cordibus existere . Nam necesse est ue-  
ritatem huius dicti manere immotam , Qui non diligit manet in more  
te . **N**ecessario igitur concurrere ac simul existere debent multæ neces-  
sariæ

laris uirtutes, Fides, dilectio, spes, bona conscientia, bonum propositum. Quemadmodum hæc Dei beneficio in Ecclesijs nostris publice traduntur & explicantur copiose. Veruntamen supra & præter has uirtutes oportet adesse fiduciam amplectentem filium Dei, de qua dictum est, & hanc fidem præluce, ac reliquas uirtutes semper obumbrare oportet. Omnes enim uirtutes in nobis imperfectæ sunt ac languidæ, & in hac mortali uita plurimum impuritatibus & sordium in cordibus humanis remanet. Ideo necesse est nos ad Mediatorem confugere, hunc apprehendere, per hunc gratiam seu misericordiam quærere. Ut testatur uox Psalmi, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et precatio Danielis, Exaudi nos non propter iustitias nostras, sed per misericordiam tuam propter Dominum & c.

Sic igitur nos quoque debemus ad Deum accedere afferentes hanc fiduciam acquiescentem in filio Dei, & scientes, etiam si dilectio ac cæteræ uirtutes in nobis inchoatæ sunt, & inchoari necessario debent, esse tamen eas nimis imbecilles atque languidas, & fidem seu fiduciam filio Dei niti debere. Et quando de iusticia, ut illi nominant, infusa seu inhærente dicitur, non debet excludi hæc fides & uita seu uiuifica fiducia, cum sit una ex summis & summe necessarijs uirtutibus. Imo, hæc ipsa fiducia parit & exuscitat consolationem dilectionem, inuocationem, & uitam in cordibus, ut scriptum est *Gala. 2.* Quod autem nunc uiuo, in fide uiuo filij Dei, Ac ne quidem existere in corde, aut manere, seu retineri possunt dilectio & consolatio, nisi hæc fides atque fiducia præcedat, seu præluceat.

In cogitante itaque dictum est in libro: Hominem postea uere iustum fieri dilectione: cum tamen illa iusticia, qua Deus nos gratis recipit propter Mediatorem, & qua infirmitas nostra tegitur à Mediatore, uelut umbraculo, anteferenda sit in infinitum nostræ dilectioni. Certe in ueris pauoribus ac periculis, cum serijs animi motibus sit inuocatio, non quærimus nostram dilectionem ac propriam mundiciem. Sed cohorrescimus potius ad conspectum magnitudinis miseriarum & peccatorum nostrorum, adeoque cogimur, quærentes consolationem, confugere ad unicum propiciatorem, ingentis misericordia & admiranda sapientia diuinitus nobis propositum. De qua uiuifica consolatione Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus.

Ac quod hæc ipsa doctrina sit immutabilis uox & perpetua sententia Euangelij, sonantis in Ecclesia inde usque à restitutione Adæ, totius Prophetiæ & Apostolicæ scripturæ consensus euidenter conuincit,

conuincit, Ideoq; S. Paulus proponit nobis uelut ob oculos exten-  
plum Abrahamæ, illustrans enarratione sua dictum: Credidit Abra-  
ham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam, hoc est, Et si Abraham  
habet multas excellentes uirtutes, tamen coram Deo iustus & ac-  
ceptus est fide, qua credit se recipi à Deo reconciliato & propicio iux-  
ta promissionem suam: Et si autem hæc doctrinæ lux omnibus æta-  
tibus subinde obscurata est, mansit tamen apud pios & eruditos in  
Ecclesia, & semper manebit, ut singulorum piorum, & exercitia spia-  
ritualia intelligentium quotidiana experientia testatur. Proinde cor-  
ruptela est in libro, quod ponit dilectionem esse ueram iusticiam, &  
fingit fidem tantum esse noticiam, qualis est in Diabolis: & addit, ho-  
minem esse hæredem uitæ æternæ propter dilectionem. Ita deducit  
hominem ad conspectum suarum uirtutum, & obruit silentio hanc con-  
solationem, qua iubemur credere, quod Deus omnes agentes poenit-  
entiam & acquiescentes fiducia filij Dei, per hanc fidem certo recipiat,  
& acceptet ad uitam æternam. Quod uerò dicunt aliqui, Librum  
à nobis non intelligi: hoc quale sit, illi diiudicent, qui de Libro scri-  
bent prolixius & accuratius, tunc, postquam publicatus in lucem  
prodierit. Nam quantumuis hic subtiliter excusetur, collectis & ex-  
cerptis hinc & inde particulis quibusdam, tamen subinde dissentit à  
se, ac passim sibimet ipsi contradicit.

Cum ergo hunc Articulum, de iusticia & acceptione homi-  
nis coram Deo, singuli homines debeant quam rectissimè cognitura  
habere, & ut filio Dei tribuatur debitus honos, & ut habeant conscia  
entia ueram & firmam consolationem, singulis hominibus cum do-  
ctis cum indoctis esse opera danda, ut diuinitus patefacta Euangelij  
doctrina depulsis tenebris conseruetur incorrupta, Propterea non  
possumus suadere, ut liber à quoquam, hac in parte, recipiatur, Et  
quia constat nulli creaturæ siue in cælo siue in terra licere admiran-  
dum Dei consilium reuelatum in Euangelio mutare, nos quoq; deinceps,  
Deo iuuante, fideliter proponemus & declarabimus eandem  
doctrinam de fide & bonis operibus, quam in his Ecclesijs iam mul-  
tos annos docuimus & illustrauimus. Est enim in scriptis diuinitus  
traditis clarissimè comprehensa & expressa.

## DE ECCLESIA ET EPIS.

*copis.*

**A**B undecima libri pagina usque ad decimam octauam disputatur quid sit Ecclesia, declamatur item de ordine ac potestate Episcoporum, Cui disputationi passim insuta seu intexta sunt quedam membra & capita, quæ optimo iure possent ab eruditis impugnari & exagitari, Sed cum sermo disputationis huius, prope modum ad finem usque illius Articuli, constet nimis generalibus & ambiguis seu flexiloquis dictis, non suademus, ut benignissimus dominus noster de hoc articulo contentiose pugnet. Verum est, Ecclesiam esse congregationem rectè credentium, nec esse faciendas seiunctiones ab Ecclesia, sed reliquum est certamen de hac quaestione: Qui nam sint rectè credentes? Ac quoniam crimen seiunctionis seu discessionis ab Ecclesia insidiosè ac inuidiosè exaggeratur ad nos contumeliosè prægrauandos, uicissim nobis offertur necessitas opponendi hanc ueram responsonem, quam & liber Augustanus admittit. Est immutabile Dei mandatum, ut Doctores seu ministri Ecclesiæ improbent ac taxent falsam doctrinam, & impios cultus. Jam, cum defensores falsorum dogmatum & cultuum, nolunt cedere ueritati, ac sequuntur inde distractiones & dissidia, constat non miseros & pios homines, qui ueritatem profitentur aut approbant, sed patronos impietatis & persecutores ueritatis illos, in necessarijs præsertim & magni momenti controuersijs, reos & supplicijs dignos esse coram Deo. Hæc luce meridiana clariora sunt. Notum enim est omnibus perspicuum Pauli dictum: Si uel Angelus de cælo aliud Euangelium docuerit, Anathema sit.

Quod autem multi magni errores, & abusus adhuc hodie defendantur à Pontifice Romano & huius factione, manifestum est. Quia liber ipse reprehendit errores quosdam, quos recentes Synodis Tridentina & Bononiensis, stabilire seu confirmare conatæ sunt. Hæc sufficere iudicamus, hoc quidem loco & tempore, ad excusandas nostras Ecclesias. Præterea oramus benignissimum dominum nostrum, & ordines harum regionum laude dignissimos, ut, si requisierint ac postularint obedientiam Episcopi, rationibus atque consilij prudenter inicitis ita cum his agatur, ne persequantur ueritatem, neue ceremonias idolatrias in his terris restituant.

Postremo, mouemur necessarijs causis, ut hoc etiam significandum iudicemus: Etsi non imponimus cuiquam tantum oneris, ut exponat se periculis propter obscuras disputationes, insidiosè huic articulo

articulo inuolutas seu intextas, propterea quod nec omnes eae pariter  
necessariae sunt, & dijudicatio controuersiarum quarundam indiget  
firmis atq; probatis testimonijs Ecclesiae ueteris, quae conquirere leu  
proferre non cuiusuis est labor: Tamen hoc referuari integrum, libe  
rumq; cupimus & nobismetipsis & alijs, ut unusquisq; proprio pe  
riculo suo, de his & alijs controuersijs atq; disputationibus piam &  
utilem explicationem instituere ac in sua confessione differere possit.  
Quod enim liber in hac parte & hoc loco declamitat de Concilijs, &  
potestate interpretationis, de his materijs permulta restant diligenter  
excutienda & explicanda. Deus, immensa bonitate testimonijs editis,  
patefactiones proposuit de essentia & uoluntate sua, Has audire, ac  
firma assensione amplecti debemus, nec ut in humana politia seu ci  
uili gubernatione, certae personae tribuere autoritatem & potestatem  
interpretationes suo arbitrio adijciendi.

## DE SACRAMENTIS.

**D**E Baptismo nihil est certaminis, cum nostrae quidem Ecclesiae  
de Baptismo infantium, & caeteris articulis coniunctis, pie ac  
utiliter pugnaverint, ac monstrauerint uera ac firma fundame  
nta, quibus multiplicia Anabaptistarum deliria refutantur, ita ut  
profuerint hi labores nostrorum certaminum ad piam & salutarem  
explicationem seu dedarationem multorum Articulorum doctrinae,

## DE CONFIRMATIONE ET

### *Vnctione.*

**N**E quidem de Confirmatione ac Vnctione suademus, ut con  
tentiose pugnetur, praeterquam quod ad reprehensionem in  
uocationis Sanctorum, & aliorum manifestorum abusus  
attinet, de quibus paulo post dicturi sumus. Ac quanquam uehes  
menter nobis displicet tantopere praedicari hos humanos ritus, Con  
firmationem ac unctionem, ut caeteris Sacramentis uel annumerentur  
uel comparentur, alligata ad usurpationem earum Spiritus sancti effi  
cacia, cum quidem manifestum sit in speciem duntaxat hos fucosos  
colores atq; praetextus utriusq; ceremoniae illini & affingi: Praevidemus  
tamen disputationem de his ritibus hoc loco, reseruantes eam inte  
gram, ac relinquentes propriae cuiusq; confessioni. Caeterum nequa  
quam probare possumus horrendas illas blasphemias, ut Pastores,  
seu ministri nostrarum Ecclesiarum, adigantur ad recipiendas uel ad  
ministrandas



ministrandas tales unctiones & Magicas consecrationes, de quibus falsa præconiã extant in Pontificalibus & Agendis, quòd administratio horum rituum Spiritus sanctus, remissio peccatorum, & alia diuina beneficia, protectio deniq; ac defensio aduersus diabolum desit atq; conferatur hominibus, quodq; ad salutem cum animarum tum corporum mirificè conducunt.

## DE POENITENTIA.

**D**E Poenitentia norunt omnes sani, doctrinam Monachorum ante hanc ætatem, in hoc articulo potissimum fuisse plenam horrendæ cocitatis & errorum insignium, Nec potuisse hos ullam certam & firmam consolationem conscientijs ostendere. Imo nullum profus reliquisse consolationi locum contraria doctrina proposita & inculcata, quæ præciperet; dubitandum esse de remissione peccatorum, & in hac dubitatione perseverandum. Ad hæc onerantur Monachi conscientias impossibili enumeratione singulorum delictorum, & implicuerunt laqueis errorum multiplicium de satisfactionibus, imposturas deniq; indulgentiarum, religiosarum peregrinationum & infinitarum superstitionum ipsæ artifices impudenter architectati seu commenti sunt. Hi tanti errores ac abusus præbuerunt primam occasionem & causam his certaminibus atq; dissidijs, quæ de doctrina religionis mota & excitata sunt. Quia pios & doctos concionatores coegit officij ratio, tam crassos errores, tamq; tetras blasphemias taxare ac reprehendere. Hac itaq; occasione doctrina de poenitentia, Dei benignitate & auxilio, ex ipsis fundamentis atq; fontibus, adeo illustrata est, ut omnes sani fateantur, hanc ipsam piam explicationem in Ecclesijs nostris, cum ueram esse ac consolatione plenam, tum ad ueram inuocationem Dei, & agnitionem Euangelij plurimum conducere.

## DE CONFESIONE.

**C**onfessio quoq; in nostris Ecclesijs diligenter est retenta, sic tamen, ut accederet pia declaratio, quia inuitarentur homines ad quaerendam seu petendam absolutionem. Nos enim ob multas grauissimas causas iudicamus necessarium esse, ut conseruetur ministerium absolutionis priuatae, Quod quidem insigne testimonium est, peccata remitti in Ecclesia, & lapsos post Baptismum posse recipi. Est & hoc laude dignum, si sit communis confessio & humilitatio, qua petentes absolutionem significant & profiteantur, quòd agnoscant se peccatores & reos esse coram Deo. Veruntamen interea nolimus

nolumus conscientijs hoc periculosum & minimè necessarium onus imponi, uidelicet, opinionem de necessitate enumerationis peccatorum in specie. Quia uerò in hoc articulo de singulorum conscientijs agitur, nos quidem non suademus, ut alij hanc partem assensione sua comprobent.

## DE SATISFACTIONE.

**D**E Satisfactione minus horridè & absurdè loquitur liber, quam olim docuerunt Monachi. Vtitur autem sermonibus propter generalitatem ambiguis, & indigentibus multa declaratione. Propterea & hunc articulum relinquimus propriæ cuiusq; confessioni & enarrationi.

## DE COENA DOMINI.

**D**E Sacramento Corporis & Sanguinis Christi, publica Ecclesiarum nostrarum doctrina non contradicit libro, sed si requiratur uberior declaratio huius articuli à quoquam, illi per nos inuegrum ac liberum est in sua confessione hanc instituire.

## DE ORDINATIONE MINISTRORUM.

**O**rdinationem ministrorum Ecclesiæ non displicet nobis inter Sacramenta numerari, modò rectè ac piè usurpetur. Certè optaremus eam ubiq; locorum & regionum magna diligentia administrari, ac ita quidem, nec retineretur tantum externus ritus ordinationis, tanquam ociosa ceremonia seu spectaculum quoddam, sed ut accederent examina, in quibus ordinandi diligenter audirentur ac fideliter erudirentur. Item, ut ad ritum externum adiungerentur ueræ & ardentes preces, Deniq; ut postea quoc; assidua fieret inspectio, & diligens exploratio doctrinæ ac morum ordinati ministrorum.

## DE CONIVGIO.

**D**E Coniugio necessarius est hic articulus, ut in diuortijs personæ innocenti concedatur contrahere aliud coniugium. Quare non est probandus locus in libro determinans modum seu metas diuortij, tantum societate conuictus & thalami coniugalis disrupta.

DE

## DE MISSA.

**L**iber facetur Missam non mereri remissionem peccatorum: Hoc est omnino uerum. Quod autem præterea citantes ex uetustis & nouis scriptoribus Ecclesiasticis, multa dicta de Sacrificio congerunt, ad confirmandas & stabilendas suas Missas priuatas: abutuntur dictis admodum generalibus, quibus nequaquam difficile foret opponi ex Augustino & alijs firma & perspicua testimonia, seu fundamenta, unde planum fieret, generalia illa dicta minime patrocinari priuatis Missis & Sacrificio ipsorum.

Et si enim scriptores Missam nominant Sacrificium, tamen ipsa ita hoc interpretantur atque declarant, loqui se non de Sacrificio propiciatorio, seu meritorio remissionis peccatorum, nec de tali oblatione, in qua sacrificulus offerat æterno Patri Filium: Est enim hoc proprium solius filij Dei opus & officium, sese offerre æterno Patri, iuxta textum Ebreos 9. Hic per proprium sanguinem intrauit semel in sancta Sanctorum æternam redemptionem inueniens, stat perpetuo coram æterno Patre Filius, ut propiciator, & pro nobis interpellat seu deprecatur in illo arcano consilio diuinitatis, quod uerissime est sanctum Sanctorum: sed loqui se de sacrificio humano seu Eucharistico, uidelicet, quod Missa sit gratiarum actio, & recordatio talis, in qua fide petitur & accipitur remissio parta seu donata, per & propter filium Dei, & quod hæc petitiones ac gratiarum actiones exercendæ seu usurpandæ sint in communionem, seu distributionem publicam coenæ, quemadmodum in uerbis Euangelij mandatum & institutum est. Ceremonia enim per se, sine his modis cordis fide, inuocatione & gratiarum actione, non est sacrificium. Hæc satis sic in præsentia respondisse de dictis ueterum scriptorum Ecclesiasticorum, de quibus offerimus nos ad copiosorem declarationem quoscumque tempore. Cæterum quia totius Ecclesiæ permagni interest est hanc causam recte explicari, & Missa multiplici prophanatione ad ingentes abusus est translata, propter quos haud dubie Deus punxit mundum tot insignibus calamitatibus: ut scriptum est: Qui sumit indigne, reus est corporis & sanguinis Christi: Propterea cum propter gloriam Dei, tam ob salutem hominum debebat à singulis in hac controuersia uero & uigilanti studio & inquiri ueritas, & eiusdem inuentæ ac patefactæ conseruatio fideliter adiuuari. Estque hic Articulus annumerandus illis, quos in genere ad omnes homines, tam indoctos quam doctos, pertinere diximus. Idcirco ut breuiter respondeatur ad quæstionem, Vtrum restituendæ sint priuatae Missæ, hoc est,

est, quæ seorsim celebrantur absq; communicantibus, Vtemur hac  
responsione: Nos fideliter suadere, ne restituantur in Ecclesijs nostris  
Missæ sine communicantibus. Et ratio maxime perspicua est: Non  
est instituendus ullus cultus in Ecclesia non expresse ordinatus & præ-  
ceptus in uerbo Dei. Iam usus Sacramenti sic, & non aliter, institus  
tus est, ut fiat distributio & sumptio, iuxta ordinationem filij Dei:  
Accipite, manducate, Hoc facite in mei recordationem & c. Et hic  
mos, aliquot seculis post Apostolos retentus, in usu fuit primæ ac  
ueteri Ecclesiæ.

Quare primus hic & uetustissimus ritus, congruens cum uer-  
bis & institutione Christi, certò pius, ac studiose obseruandus est,  
nec debent institui uel adiungi alia opera non ordinata, nec præcepta  
in uerbis Euangelij. Quid, quod nec olim ubiq; locorum quotidie  
Missæ celebratæ sunt? Sed Alexandriæ, ut in ampla urbe, commu-  
nio ter intra unius septimanæ spacium celebrari solita est, uerbi cau-  
sa, die Dominica, feria quarta & sexta, In alijs uerò ciuitatibus mul-  
tis, tantum diebus Dominicis & festis: Hæc uetus & præclara cons-  
uetudo adhuc in nostris Ecclesijs, Dei beneficio, seruatür cum sum-  
ma reuerentiâ, sic ut ordine fiant conciones, lectiones, precatioes  
& gratiarum actiones. At si aliud opus, restitutis Missis priuatis,  
inuerteretur in Ecclesias nostras, tam triste scandalum uulneraturum  
esset multorum animos, qui prorsus a communione detererentur.  
Præter hæc, plura intoleranda huic Articulo de Missa inuoluta seu  
adiuncta sunt, ut impius Canon, inuocatio Sanctorum, & Missæ  
quæ pro mortuis celebrantur. Nam Canon expresse dicit, hoc opus  
à sacrificulo fieri ad redemptionem animarum & c. Ex his uerbis  
omnes indocti hanc arripuerunt & imbiberunt persuasionem, quod  
opus Missatoris mereatur remissionem peccatorum. Quæ tamen  
opinio repugnat etiam libri Augustani sententiæ. Leguntur & alia  
absurdissimè dicta in Canone, ut cum Sacrificulus orat, recipi à Deo  
hanc oblationem, quemadmodum placuit oblatio Abel: cum ta-  
men intelligat offerri filium Dei. Et in summa, Tantum est horribi-  
lium abusuum & profanationum in Papistica consuetudine, ut toto  
pectore contremiscamus, quoties de his uerba facienda sunt. Ac pe-  
tissimus, ne quisquam oneretur hac impia restitutione.

## DE INVOCATIONE SANCTO- RVM.

**I**nuocatio inuisibilis & absentis naturæ, tribuit ei quem inuocat  
hunc honorem, quod introspiciat singulorum hominum corda,  
quodq; ueros gemitus à simulatis discernere ac diiudicare possit.  
Talis honor tantum competit atq; debetur naturæ diuinæ & omnia  
potenti, Ergo inuocatio Sanctorum est Idolotrica. Quod autem ue-  
ritatis eludendæ causa finxerunt, Deum peculiari reuelatione gemis-  
tus & preces inuocantium patefacere Sanctis, qui ex hac uita disces-  
serunt: impudens est nec ullis innixa fundamentis oratio, cui nos  
quidem opponimus hoc grauissimum dictum: Dominum Deum  
tuum adorabis &c. Quod præterea Sanctos inuocari dicunt, tanq̃  
ministros & intercessores: ne hæc quidem uel iusta uel idonea est ex-  
cusatio. Nam inuocatio per se testatur omnipotentiam tribui natu-  
ræ inuisibili, ad quam fit compellatio. Deinde, Non sunt quærens-  
di aut constituendi alij mediatores & intercessores, præter filium Dei.  
Tertio, Toti mundo notissimum est, Sanctos non solum cultos  
esse honoribus, qui mediatori debentur, sed humanam superstitio-  
nem multo processisse longius, nominatim petendo à singulis, tan-  
quam opituloribus, certa beneficia. Hæc tetra Idolotria stabilires-  
tur ac confirmaretur, si semina, & formæ inuocationum retineren-  
tur, de quibus Liber meminit. Quarto, Non est inuehendus ullus  
cultus in Ecclesiam non institutus expresso uerbo Dei, Sed cultus  
sanctorum nullo mandato diuino comprobatur, ut manifestum est.  
Quinto, Corda hominum nec possunt nec debent inuocare, tantis-  
sper dum ignorant utrum Deo placeat inuocationis forma quam sibi  
delegerunt. Nullum autem proferri potest testimonium ex uerbo  
Dei, quod doceat hæc forma inuocationis utendum esse: Imo ex-  
tant seuerissimæ prohibitiones, quæ docent unicum Deum, ætern-  
num patrem Domini nostri IESV CHRISTI cum coæterno  
filio & Spiritu sancto, inuocandum esse, & quidem mentione ac fi-  
ducia mediatoris, Et constat manere firmissimum nec in omnem  
æternitatem labefactari posse dictum, Quicquid petieritis Patrem in  
nomine meo, dabit uobis. Hic unicus filius nobis propositus est, &  
constitutus, ut sit mediator, propiciator & deprecator.

Aduersus hæc narrat liber, non tantum de intercessione, sed  
etiã de meritis sanctorum, quod magis adhuc reprehensionem  
meretur. Hoc uero quam impudens est mendacium, quod re-  
fert Iacobum Patriarcham docuisse liberos suos inuocare Abraham,  
Isaac & ipsum, Sycophanticè detorquendo dictum Genesis 48.  
Inuocabitur super eos nomen meum & nomina patrum meorum,  
ubi hæc sunt uerba textus, ipsi nominabuntur filij mei, & Isaac,  
& Abra-

& Abraham, patrum meorum, quasi dicat, Testificor ipsos, inter filios & posteros meos, hæredes fore politiæ mihi, Isaac & Abraham promissæ, seu certo habituros sedem Ecclesiæ & politicum regimen, ac multos ex ipsis futuros hæredes æternæ salutis. Hac uera & natua sententiâ rejecta liber falsam & alienam comminiscitur de inuocatione, &c. Eodem artificio multa aliâ scripturæ dicta absurdis interpretationibus in libro deprauantur. Hæc cum ita se habeant, manifestum est neminem debere sua suffragatione seu assensione comprobare hunc articulum libri, in quo Sanctorum inuocatio præcipitur, & confirmatur. Cæterum habere cognitam historiam totius Ecclesiæ ab initio usq; ad finem, multipliciter conducit in omnes partes, ut hinc testimonia sumantur, Deum perpetuo seruare suam Ecclesiam, & ut eidem agantur gratiæ, quod sese patefecit in ueris Sanctorum historijs. Item, ut erudiamus & confirmemus nosmetipsos in tuendis seu recordandis exemplis Sanctorum. Ad hos usus uere Sanctorum historiæ commemorari solent apud nos in concionibus & populo proponi, Quod etiam deinceps à nobis non negligetur.

## DE MISSIS FUNEBRIBVS.

**M**issæ funebres, seu quæ pro mortuis celebrantur, sunt ceremoniæ communissimæ in Monasterijs, & alijs templis omnium fere regionum, propterea quòd quæstuosæ sunt. Ac constat introductis missis funebribus agminatim multos errores simul in mundum irrepsisse, Quos enumerare iam prolixum foret. Est autem per se profanatio quædam Sacramenti, applicare id pro mortuis, cum cœna sit instituta ad excitandam & confirmandam fidem in uiuentibus. Item, ad recordationem. Iam mortui non adsunt, ut unâ recordentur. Vanissimum uero est ac nullis prorsus innixum fundamentis, quod dicunt sacrificulum hac ceremoniâ mortuis mereri, &c.

Quare nec hic articulus libri ullo modo recipi aut approbari potest. Porro, dictum citatum ex Dionysio de sepultura, ne uerbo quidem mentionem facit Missæ, ut nec exempla quorundam, qui pro mortuis orarunt, patrocinantur Missis funebribus. Hæc de hoc loco in præsentia monuisse sufficiat.

## DE CEREMONIIS.

**I**N nostris Ecclesijs retentæ sunt præcipuæ ceremoniæ conducentes ad bonum ordinem, ut celebratio diei dominicæ & solennium festo-

um festorum, usitato ordine lectionum & cantionum in paucis mutato. Has elegantes ceremonias studebimus & in posterum conseruare. Ac si in huiusmodi rebus Adiaphoris, seu indifferentibus & medijs, bono consilio & graui deliberatione eorum, quibus commensata est Ecclesiarum gubernatio proponentur ac constituentur, ea quæ ad similem formam rituum & honestatem disciplinæ pertinere ac conducere uidebuntur, summa uoluntate adiuuabimus & concordiam seu similitudinis rituum, & honestæ disciplinæ conseruationem. Nolumus enim rixari de huiusmodi rebus Adiaphoris, quod ad externum usum harum attinet, quemadmodum non offendimur, cum hic carnibus, ille piscibus uesci mauult. Veruntamen hoc acerrimo studio interim prouidere oportet, ne doctrina de discrimine uerorum Dei cultuum, ac huiusmodi indifferentium, ut nominant, & non necessariarum rerum, deleatur, sicut ante hanc ætatem ferè fuit extincta prorsus, Qua de re Augustinus suo seculo, & ante centum annos Gerson, & recentioribus adhuc temporibus ante quinquaginta annos, Vesselus Basileæ, Vesalta Moguntia, & alibi alij, grauiter questui sunt. Quantumuis enim subinde uagentur errores in maxima multitudine coetus illius, qui nominatur Ecclesia, tamen in aliquibus manet agnitio Dei uera, inuocatio uera, & intellectus cœlestis doctrinæ sincerior ac purior, quam in colluue illa magnæ multitudinis. Estque seuera Dei uoluntas, ut omnes de ueris Dei cultibus fideliter erudiantur.

Cæterum quod ad Cantiones attinet de Sanctis, iam ante dictum est, inuocationem non esse recipiendam. Et quia nos in nostris Ecclesijs non diuidimus nec mutilamus Sacramentum, ideo omittendæ sunt etiam pompæ processionum, in quibus una pars coenæ Domini circumgestatur. Ad hæc uerissima est Regula, Sacramenta duntaxat suo in usu, ad quem expresso uerbo Dei sunt instituta, uere Sacramenta esse, nec ullam ceremoniam habere rationem Sacramenti, cum transfertur ad aliud opus, extra & præter usum diuinitus institutum. Proinde spectacula Processionum, impia sunt, nec debent confirmari aut restitui ullo modo. Præterea, norunt ipsi aduersarij ueræ doctrinæ, Missas priuatas, inuocationem Sanctorum, Missas funebres, Pompas processionum, & plures alias similes obseruationes atque consuetudines, etiamsi utcumque possent excusari, tamen nec necessarias, & periculosas esse, ac exemplo restitutionis horum rituum tum stabiliri ac confirmari tetros errores ac abusus apud alios, tum in nostras Ecclesias eosdem rursus inuehi seu introduci, Item, fore ut scandalis inde ortis ualde sauciantur ac perturbentur animi

animi multorum piorum, Deniq; futurum esse, ut renouata persecu-  
tione multi ministri Ecclesiæ, & aliæ personæ, uel in exilia pellantur,  
uel in uincula conijciantur, uel fortassis etiam interficiantur.

Cùm igitur hæ regiones Dei beneficio iam mediocriter flo-  
reant, amplius aliquanto quàm cæteræ multis egregijs Dei donis or-  
natæ, uidelicet Ecclesiarum consensu & tranquillitate, mediocri disci-  
plina, iudicijs, legibus, rebus necessarijs ad uictum, studijs honestissi-  
marum artium, nullo modo suadere possumus, ut hunc mediocrem  
statum nosmetipsi uiolando præsertim mandatum diuinum, pertur-  
bemus ac conuellamus. Et quia scriptum est, Quod est ex Deo, non  
abolebitur, euentus & experientia testabitur, etiamsi mutationes Ecce-  
siarum in aliquibus locis & tentabuntur & inchoabuntur, tamen  
hanc ipsam doctrinam, quam profitemur, in alijs regionibus & Ec-  
clesijs mansuram esse, ita ut liber, qui nunc nominatur, Interim, pa-  
rum profuturus sit ad faciendam seu constituendam concordiam,  
Quòd uerò bellum metui dicitur, huic terrori hanc moderatam &  
submissam responssionem opponimus: Potestas poterit ipsa secum  
perpendere ac statuere, quid pro defensione Ecclesiarum, ratione sui  
muneris ac officij, suscipere ac sustinere uel possit uel debeat. Nos  
quidem, ut homines priuati, Deo iuuante parati sumus & ad exilia &  
ad supplicia, si sit opus, perferenda.

Quod autem non lenioribus, quàm de quibus commemoras-  
uimus, consilijs sententias nostras moderati sumus, id nec petulantia, nec  
superbiae aut contumaciae tribuatur, sed cogi seuerissimo Dei  
mandato, de non abiicienda nec persequenda agnita ueritate, iudi-  
cemur. Speramus quoq; hoc ipso de scripto euidenter cognosci posse,  
nos nec de dignitatibus, nec de opibus ullis pugnare, sed tantum de  
necessaria doctrina & ueris Dei cultibus dicere.

Ideoq; nec Magistratum nec reliquos ordines onerare uolu-  
mus disputationibus paulò subtilioribus aut obscurioribus, quarum  
fontes & fundamenta ne quidē possunt ab omnibus intelligi aut per-  
spici, sed cupimus hoc nobis & alijs, quorum functio seu uocatio est  
docere alios, reseruari, ac integrum liberumq; relinqui, ut de his ma-  
terijs disputabilibus unusquisq; proprio periculo respondeat in sua  
confessione. Nec tamen uolumus de ullo articulo quicquam noui,  
aut discrepans aliquid à sententijs Ecclesiarum nostrarum docere,  
præter hanc unicam ueram doctrinam, quæ Dei beneficio in Ecclesijs  
harum regionum ab eruditjs & pijs, uelut una uoce & uno consensu  
traditur, quæ ex scriptis Academiæ Lipsicæ & VVittebergenfis



alij gentibus innotuit. Quod quidem doctrinae genus esse perpetuum Catholicæ Ecclesiæ Christi intellectum & consensum, ab initio Ecclesiæ usq; hæc tempora, minimè dubitamus. Porro testamur notationes has & significationes iudicij nostri de libro Augustano, huc potissimum spectare, & hinc præcipuè finem intueri, ne turbetur tranquillitas & coniunctio harum Ecclesiarum, sed ut consentientes in pia inuocatione Dei, & ueris Dei cultibus permaneant. Etenim cum conscientia scandalis uulnerantur, ualdè languescit ac turbatur inuocatio, unde sequuntur multiplicia peccata, inprimis uerò contemptus, & indignatio, seu fremitus, aduersus omnes religiones: Quibus peccatis ne polluamur aut implicemur, Deus benigne ac clementer prohibeat.

Ac quia recens literis alifunde missis, certiores facti sumus, in præfatione libro præposita seuerissimè prohiberi, ne quis hunc librum Interim uel concionando uel docendo uel scribendo taxare aut reprehendere instituat: necessitas nobis affertur, qua decet animi subscriptione breuiter commemorandi ea, quæ sequuntur: nempe, nos ueram doctrinam Ecclesiarum nostrarum, quam tradidimus hæctenus, nequaquæ mutare uelle. Nec enim licet ulli creaturæ mutare ueritatem diuinitus patefactam. Nec quisquam debet abijcere ueritatem agnitam. Quare cum liber qui nominatur INTERIM, in ijs Articulis, quos notationibus nostris perstrinximus, aduersetur ueræ doctrinae, non possumus facere, inuitabili necessitate adducti, quin & interrogati ueras de eo sententias dicamus, & ultro pro officij nostri ratione alios præmoneamus: Quorum utrunq; facturi sumus, ea lenitate ac moderatione, quæ pietatem Christianam cum primis decet. Itaq; pericula nostra omnipotenti & æternò Deo, Patri redemptoris ac liberatoris nostri, Domini Iesu Christi, commendabimus. Postremo cum Deus inenarrabili bonitate sibi colligat æternam Ecclesiam, & admirandum suum consilium hac de re longè superans omnium creaturarum capum, & sapientiam, immensa misericordia reuelauerit, toto pectore oramus, ut ipse hanc suam celestem doctrinam perpetuo conseruare ac tueri, & in his quoq; regionibus semper æternam Ecclesiam sibi colligere, & ad hoc ipsum salutaria regimina concedere uelit.      Datae Junij 16,

D. Iohannes Bugenhagen Pastor.  
Caspar Cruciger D.  
Georgius Maior D.  
Philippus Melanthon.  
M. Sebastianus Froschellus.  
Hoc

Hoc scriptum cum priuatum esset, & Principi tunc comparatum, de priuata communicatione peruenit in manus M. Andreae Kegely (qui Doctoris Crucigeri Gener fuit) ut Soceri Epistola testatur, itaq; factum, ut postea typis Magdeburgi huius opera expressum, & cum praescripto nomine Philippi Melanthonis editum fuerit intra Mensem aut circiter ab eo tempore, quo fuerat compositum. Editionis curationem sibi alicubi Flacius falso vendicat, sed vanitate & impudentia ipsi non inusitata. Alibi rursus idem futile & ignauum seu iners scriptum esse pronunciat, & tamen simul gloriosum hoc sibi esse postulat, qui editione huius, & quidem cum magno periculo suo, homines de corruptelis veritatis doceri curauerit, quae qualia sint, etsi iam omnibus apparent, tamen infra & verba ipsius referemus, & de re pluribus monebimus. Quam verò celebrationem ille mereatur, si verè sibi huius editionis operam tribuit, ex sequentibus cognoscetur. Quaecumq; igitur hoc scriptum sit, aut esse aestimetur, primum quidem hoc est omnium quod de libro Augustano in Germania editione publica diuulgatum est, & quid ij, qui omnia se vidisse credi volunt, ante hoc tempus viderint ipsi scilicet, optimè norunt, nos narrare non possumus. Nostrorum quidem rationes hae, primae ut diximus, per Germaniam sparsae fuere, & ita cupidè vel auidè potius exceptae, ut paulò post denno, & nomine quidem Theologorum Vuitbergensum exprimeretur.

Antequàm autem, quae fuerint editione hac Philippo

lippo noua conflata pericula, recitemus, visum fuit mo-  
 nere lectorem, qua animi presentia & constantia nostri  
 hoc ipso tempore etiam reliquas Ecclesias Germaniæ, qui-  
 bus liber Augustanus vastationem minitabatur, erexe-  
 rint ac confirmarint, & suæ confessionis exemplo, &  
 corruptelarum in libro demonstratione, vt de toties obie-  
 eta nostris & exprobrata timiditate à Flacio, qualis illa  
 fuerit, & quàm verè tributa sit nostris, posteritas cog-  
 noscat & iudicet. Id verò de Epistolis ipsis, quæ scriptæ  
 tunc ad Illustrissimos Principes & Ecclesias fuerunt,  
 planum fiet, quarum duas tantum beruitatis causa intexer-  
 mus, Vnam, qua respondetur Illustrissimo Principi Io-  
 hannii Marchioni Brandeburgensi, Alteram, quæ tradita  
 fuit Reuerendo viro Doctori Iohanni Marbachio huc  
 missa ab Ecclesia Argentinesi, ad exploranda nostro-  
 rum Theologorum iudicia, cumq; his consensum constitu-  
 endum.

EPISTOLA SCRIPTA AD ILLU-  
 strissimum Principem Iohannem Marchio-  
 nem Brandeburgensem, &c.

**G**ratia & pax à Deo per unigenitum filium ipsius Dominum  
 nostrum Iesum Christum saluatorem & protectorem nostrum.  
 Illustrissime Princeps ac Domine Clementissime, Suscep-  
 tas Augustæ cum C. V. tractationes & uehementes & periculosas, non  
 sine admiratione & dolore ingenti ex literis C. V. cognoui. Nun-  
 quam enim existimassem Imperatorem tam durum sese & incle-  
 mentem exhibiturum fuisse erga C. V. ut laude dignum &  
 benemeritum Principem. Non possum non itaq; affici conditio-  
 ne C. V. quæ certamen sustinuit tam asperum, & oro Deum,  
 ut C.

ut C. V. Spiritu suo sancto confirmet, & salutaribus consilijs instruat ac regat, & benignè tueatur ac protegat. Ostendunt hæc actiones uehementer incitatum & inflammatum esse animum Imperatoris contra doctrinam Ecclesiarum nostrarum, & quanquam magna sunt & multiplicia peccata nostra, quibus hæc pœnas nobis attrahimus, tamen confido futurum certo, ut Deus ueritatem doctrinæ suæ extinguere non sinat.

Cùm autem meum de libro Augustano iudicium & consilium qualecunq; V.C. expetat, clarè exponam C. V. quod ego, atq; in hac Academia alij, consilium & sequamur ipsi & dederimus alijs. Primò Pastores Ecclesiarum & Doctores suas responsiones debent separare à responsionibus politicorum, ita ut pii & intelligentes pastores Ecclesiarum & doctores expresse & clare affirment, se librum Augustanum neq; amplecti nec probare uelle, neq; ulla re confirmare. Articulo iustificationis enim certa fraus intexta est, quam etsi alij qui pingunt interpretationibus, tamen prouoco ad iudicia piorum & doctorum, qui Sophisticen & oderunt & intelligunt. Præterea stas biliuntur in eo libro & errores & abusus manifesti.

Quantum ad me etiam, ego Deo iuuante istam Sphingem nunquam probabo, cuius rei causas habeo maximas & grauissimas, meq; & hanc miseram atq; ærumnosam uitam meam Deo commendabo, siue capiar propterea, siue in exilium eijciar. Estq; interrogatio plana & solutu facilis, quid deceat in hoc casu Pastores Ecclesiarum & doctores facere, Sed ordinibus politicis quid consuli debeat & possit, dissimile est & uarium. Habet enim liber quosdam articulos uniuersales, id est, tales quos intelligere oportet Christianos omnes, & quid de singulis sit sentiendum secum constituere, sicut sunt capita de Iustificatione, Confessione, Missa, inuocatione Sanctorum, crassis abusus Sacramenti in circumgestatione, &c. Aliqui non sunt uniuersales, quos nosse & intelligere non possunt omnes, sicut capita de potestate interpretationis & de Synodis. Etiam non consulo, ut de Adiaphoris pugnetur, Item de autoritate Episcoporum, ad quam quod attinet, optarim & cuperem Episcopos & retinere suam autoritatem, & suo officio, sicut præceptum est, rectè fungi.

Inter Magistratus uerò & ordines politicos ijs, qui doctrinam Christianam non intelligunt, uel autoritati doctrinæ cœlestis studia & beneuolentiam hominum anteponunt, frustra consulitur. Si uerò Princeps in uniuersalibus Libri articulis, quæ sit ueritas, intelligit, &

quod ueritati contraria sint libri decreta agnoscat, talis contra conscientiam librum nullo modo recipere aut probare debet. Existimo autem tempus ipsum suppeditaturum consilia. Ex ciuitatibus enim mulæ libro non assentientur, qui quidem iam à Constantiensibus & Lingdaensibus reiectus est. Argentinae etiam nihil haecenus conclusum est. Et moram interuenturam spes est, propterea festinatione in respondendo non esse opus existimo. Et puto, si Princeps, qui momenta ueritatis in principalibus articulis rectè intelligit, debita subiectione declaret Imperatori, quæ in libro probare possit, quæ non possit, & polliceatur præstiturum se in rebus Adiaphoris obedientiam, Imperatorem acquieturum esse. Qualem moderationem urbs Norisberga expectat, & huic petendæ tempus suppeditabit occasiones & consilia.

Oportet & hoc considerari, quod Magistratus, qui librum Augustanum amplectitur, obligat se ad innocentes pastores & multos alios persequendos, qui propter graues causas assentiri libro non possunt. Tales persecutiones non sunt adiuuandæ.

Quod etiam de defensione interrogor, in hac re disputatione non est opus. Sicut paterfamilias uxori & liberis debet defensionem quantum præstare potest, si à latronibus opprimatur in sua domo; Sic Magistratus Ecclesijs suis & infantibus subditis defensionem debet, quo ad illa possibilis est. Si sit impossibilis, quid hac interrogatione opus est? Textus enim inquit: Date Eleemosynam ex facultatibus, hoc est, quo ad potestis dare. Est autem Imperatoris potentia tanta, ut nostros Principes non existimem posse ei sese opponere. Quare qui uult confiteri ueritatem, commendet sese Deo, & cogitet quod scriptum est: Omnes capilli capitis uestri numerati sunt.

Omnipotens æternus Deus Pater Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi C. V. clementer regat, tueatur ac protegat. Datae Vuitebergæ 31. die Iulij Anno 1548.

C. V.

Deditiss.

Philippus Melanthon.

*Epistola*

# EPISTOLA THEOLOGORVM VII.

tebergensium ad Ministros Ecclesiæ Argentoratensis, tradita cum Consilio quod sequitur Reuerendo viro D.

Iohanni Marbachio sacræ Theologiæ

Doctori.

**R**euereudi & doctissimi viiri. Etsi ex literis nostris & deliberatione, quam antea misistis, intelleximus, uos corruptelas doctrinæ constanter rejicere, quæ sunt in Sphynge Augustana tamen & conspectu & oratione Collegæ uestri ualde delectati sumus, quod copiosius exposuit uestram & totius Ecclesiæ uestræ uoluntatem. Etsi autem multi sapientes uiiri in tanta distractione Ecclesiarum iudicant necessarium fuisse, ut uia aliqua concordia quæreretur: tamen res ostendit hæc remedia, quæ sunt in libro Augustano, non esse idonea ad tollendos morbos Ecclesiæ. In quibusdam magnis rebus manifestum est ibi tenebras induci ueritati, & stabiliri non leues abusus. Scitis autem sæpe in Ecclesia decursum esse ad tales fucosas compositiones, & quidem placere eas uiris politicis. Itaque non miremur nunc quoque multos adplaudere huic Libro. Sed nostri officij est retinere doctrinæ puritatem, quod & modestè & constanter facere decreuimus. Nec dubitamus Deo curæ fore Ecclesiam, & hospitia pijs studijs alicubi concessurum esse. Lætatur autem iudicio uestro, quod consilium nostrum uos quoque probatis, & Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani & Ecclesiæ suæ oramus, ut consensum in multis Ecclesijs tueatur, quæ uocem Euangelij incorruptam adhuc sonant, nec sinat aut uoluntates Doctorum distrahi, aut misceri corruptelas. Nos quoque, Deo iuuante, quantum poterimus, amicitiam nostram omnibus officijs tuebitur, καὶ τὴν καλὴν παρακαταθήκην, ut Paulus nominat, doctrinam fidei liter custodiemus. Meministis enim uocem diuinam: ἐὰν τις ἀγαπήσῃ με, τὸν λόγον μου τηρήσῃ, καὶ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσῃ αὐτὸν καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτοῦ ποιήσομεν. Bene & feliciter ualete. Die Laurentij, Anno 1548:

*Sequitur consilium.*

**S**imus Dei beneficio discernenda esse Imperia politica ab Ecclesia Dei, tamen si semper oportet alicubi in Imperijs esse aliqua

A a ij

hospicia

hospitia Ecclesiae Dei, quia semper in genere humano necesse est alicubi sedem aliquam esse doctrinae, unde exaudiatur uox Euangelij, ut colligatur haereditas filio Dei. Sed in hac postrema senectra mundi maiores fore dissipationes praedictum est. Ideo optandum est, ut quantum omnino fieri potest in Ecclesijs, in quibus studium est ueritatis, hi qui docent, ueram & unicam ac consentientem Euangelij uocem sonent, & sint custodes uerae doctrinae, & testes ad posteritatem, & reliquant unam & consentientem Confessionem ueram & congruentem cum testimonijs uerae Ecclesiae Catholicae omnium temporum.

Et quanquam a politicis gubernatoribus nullam certam defensionem habent Ecclesiae, tamen hi, qui docent consensum in doctrina & mutuam beneuolentiam tueantur, ubicunq; sunt. Extant autem scripta nostra, quae ostendunt, quid sentiamus. Symbola omnia, Apostolicum, Nicenum & Athanasianum fidelissimè retinemus. De Baptismo, de coena Domini, de poenitentia, de fide accipiente remissionem peccatorum, de potestate Ecclesiastica, de Magistratibus politicis, extant sententiae nostrae in confessione Augustana, & multis alijs scriptis consentientibus. Et doctrinam sonantem in Ecclesijs nostris annos uiginti & amplius nequaquam mutamus nec mutabimus.

Etsi in hac dispersione politicarum Deus alicubi tamen aliquem coetum recte docentium colliget, si qui nostrum superstites erunt, inter eos erimus hortatores quamprimum, ut ibi confessio communis multorum docentium in ciuitatibus non gubernatorum politicorum, sed docentium nomine edatur cum subscriptionibus eruditorum, ut sit testimonium de doctrina ad posteros. In ea Confessione uos quoq; nobiscum coniungi optamus, & ante editionem uobis mitemus formam, ut uobiscum deliberetis.

Nec sollicitudine aliqua opus est de potestate Episcoporum aut de ceremonijs, quia Episcopi semper erunt hostes nostrarum Ecclesiarum, nisi totum librum Augustanum de Missa, de inuocatione mortuorum, de circumgestatione &c. approbabitur. Et nostra deliberatio nihil eis largitur, si defendent tales abusus.

De coena Domini diximus aperte, & semper dicturi sumus, etsi scimus, quam duriter id a multis accipiat. Nullos ritus extra usum, ad quem instituti sunt, Sacramenta esse. Sed cur breuius in deliberatione illa de eo articulo dictum sit, haec causa est, quod etiam hi, qui uolunt uideri non alieni a nostris Ecclesijs, nolunt eam dissolutionem moueri, & unus ex uicinis nostris saepe iam acerbè calumnias

lumniatus est reprehensionem quorundam non leuimum abufum Sacramenti: Nec mitius de nobis loquuntur, quàm apud dominum Iacobum de uestra Ecclesia quidam Aulicus Augustæ locutus est.

Duximus & hoc uobis significandum esse, quid responderimus ijs, qui à nobis consilium de Libro petiuerunt. Ad omnes uno & eodem modo scripsimus ac suauissimus, ut Pastores suam deliberationem omnino seiungant à deliberatione politicorum gubernatorum, & respondeant plane & perspicuè, se nequaquam mutatos esse genus doctrinæ, quod in nostris Ecclesijs sonat, & se quidem non recipere librum. Quia nostri officij est intelligere & uitare corruptelas. Sinant autem politicos gubernatores, quorum multi doctrinæ fontes ignorant, multi oderunt, respondere Imperatori, ut uolunt.

Ita Pastores periculis suæ conscientiæ liberantur & minus fit mutationum in Ecclesia, & nos nihil seditiose, nihil immoderatè facimus, & tamen retinemus Confessionem doctrinæ.

Quod datis operam, ut examen & petitionem absolutionis restituatis, piam uoluntatem uestram & consilium probamus. Etsi autem erunt, qui non uolunt obedire, tamen cum cæteris uolentibus obedire agatis. Et melius est, totam rem uoluntariam esse, quam adiungere uim politicam. Videtis in quanta odia incurrant etiam fideles ministri Euangelij, cum uim politicam exercent: Et hæc reuera aliena est à nostro ministerio.

De publico ritu pœnitentiæ hoc seruamus, & aliquot exempla uidimus, cum is, qui lapsus est, redit ad Ecclesiam, & iam uel punicus est pœna politica, uel alio iusto modo satisfecit Magistratui, audiuntur eius Confessio, petitio & promissio emendationis.

Deinde publicè in concione narratur populo talem redire ad Ecclesiam, & petere ueniam, quod offenderit Deum & Ecclesiam, & quia promittit emendationem, iam eum publicè recipiendum esse. Et de genere delicti commonefactio aliqua additur, & iubetur populus precari, ut Deus mitiget pœnas.

Postea ad aram publicè interrogat Pastor hunc lapsum, An petat Absolutionem seruo, & an promittat emendationem, & an credat Absolutioni. Cumq; affirmat lapsus, sequitur breuis querela de delicto, quod & Deum & Ecclesiam offenderit, & narratur



comminationes diuinæ de pœna. Deinde additur doctrina de remissione & mitigatione pœnarum,

Ac postremo pronunciat uerba Absolutionis: Ego Pastor iuxta mandatum Filij: Quorum remisistis &c. remitto tibi peccata propter filium Dei, & annuncio tibi uocem Euangelij, quæ affirmat uerissimè remitti peccata propter filium Dei, in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.

*In hoc scripto, quod de recolligendis rursus Ecclesijs, quas libri Augustani promulgatio distraxerat, deq; consensu instaurando repetitione Confessionis Augustanæ promittunt nostri Ecclesiæ Argentinsis, paulò post constanter et piè præstiterunt, confessione retexta luculentius, quam repetitionem & ipsa Ecclesia Argentinsis, & aliquot aliæ suffragatione sua comprobarunt, ut omnino recolligere sese tum Ecclesiæ nostræ uiderentur & iterum aliquis status harum esse inciperet. Flaciana factio uerò aliud egit nihil, nisi ut calumniando hos conatus nostrorū, & abyciendo repetitam formulam, coniunctionem & coalitum impediret, sicut supra ostensum est, & res docet, atq; comprobant idem Flacij chartæ.*

Nunc ad commemorationem eorum, quæ scripti, cuius meminimus, editionem sunt consequuta, reuertimur.

*Itaq; cum Mense Augusto illud quod paulo ante posuimus, scriptum typis expressum in Imperatoris manus uenisset, pristina abalienatio huius à Philippo Melanthonne, de qua supra narrauimus, noua hac accessione aucta fuit. Nam editione scripti huius sic commotus fuit, ut pri-*  
die

*die Calen. septemb. ex urbe Spirensi ad Electorem Mauri-  
cium de Philippo literas mitteret in hanc sententiam :*

Non potuisse se facere, quin ei de ea re quam ægerrimo animo ferret, per literas significaret. A fide dignis hominibus ad se delatum esse, Philippum Melanthonem (à quo merito pro ratione præsentium temporum, & pro ijs, quæ antea commisisset, aliud expectare debuisset) in malitiosis & uirulentis consilijs suis pertinaciter perseverare, & contra librum INTERIM uaria, & quæ præterea Imperatori contraria sint, multiplicia suscipere, idç; ut permittatur, nullo modo sibi commodum esse, neç; se permissurum esse. Ideo se mandare grauius & omnino uelle, ne Princeps Elector Philippum Melanthonem in ditionis suæ terris amplius alat, neue degerere sinat, sed ab his relegatum exulare ut iubeat, & hac in re ut consideret, Philippum absç; hoc unam præcipuam turbam fuisse ex ijs, qui proximos motus, & seditionem aduersus se, uirulentis & seditiosis chartis suis excitassent atç; confirmassent, quodç; causæ illi adhuc coniunctus reconciliationem à se nondum esset nactus, Præterea illis diebus librum in manus suas peruenisse, quem ei una mitteret, deç; hoc sibi significatum, In Academijs ipsius Wittebergeni & Lipsica illum & compositum & typis expressum esse, quod si ita esset, non dubitare se Principe Mauricio neç; sciente neç; approbante factum fuisse, Ideò se grauius postulare, ut debitam hac in parte attentionem & respectum adhibeat.

*Hæc fermè sententia est literarum Cæsaris. Liber autem de quo agitur est scripti de Augustana formula eius, quod iam proximum inseruimus, quem non fuisse languidum aut futilem Impertori visum, literæ ipsius satis docent. Princeps igitur Elector admodum conturbatus tam seueris mandatis, & de Melanthonem per quam sollicitus, qua fide paulò ante Augustæ egit, eadem tum etiam laborauit, vt periculum denuò auerteretur, & hunc uirum sibi ille & Ecclesijs suis vt conseruaret.*

*Itaq;*

*Itaq; captata occasione post plusculos sane dies (intercesserant enim iam duo Menses) rescribit Princeps Elector Mauricius Imperatori, Pridie Calend. Nouemb. hæc fermè:*

De Philippo Melanthonem quæ Imperator scripserit se dolente animo, hominis causa, accepisse, quodq; ad reconciliationem huius attineret, in capitibus transactionis factæ cum patruo eum comprehendi, quibus in gratiam recipiantur uniuersi, quorum opera patris usus fuerit, unâ cum subditis, quos habuerit uniuersis, præter eos, qui nominatim ab ea reconciliatione excipiantur, in quibus Philippi nomen minime fuerit. Et uere se posse affirmare, Philippum Melanthonem in omnibus negocijs ad Cæsarem pertinentibus, quantum ipse scire posset, & suo loco, & ad alios eum se gessisse, ut qui tolli dissidia piè & rectè compositis rebus cuperet, & eius uiri opera multum boni per regiones suas fieri, quem si his expellere desideraret, posse Imperatorem cogitare, quàm ignominiosum hoc sibi & odiosum tam apud suos quàm ad externos esset futurum, de quo & tandem maioris aliquid periculi existere posset. Itaq; se quàm subiectissime orare, ut in consideratione omnium, conceptam à Philippo Melanthonem abalienationem Imperator benigne deponeret, & tantisper Philippum Melanthonem in suis regionibus sibi ut permittere, quàm diu ille gloriam Dei, Christianam & piam consensionem & Imperatori debitam obedientiam prouehere animaduertetur, & sediciose nihil moueret aut moliretur.

Ad librum autem quod attineret, de eo se Regi Ferdinando iam dudum significasse, quam significationem ille (ut accepisset à Legatis quos nuper ad Regem misisset) porro cum Imperatore re communicarit.

*Hoc igitur illa editione, vel vtraq; etiam perfectum, ut in tale discrimen Philippus Melanthon coniceretur, hæc terra, ut opera huius uiri ipsis tum eriperetur,*

retur, periclitatae fuerint, & Caesar aduersus has vt gra-  
uius irritaretur, & Illustriss. Princeps Mauricius in  
maximas difficultates denuò conijceretur, cuius animi cō-  
stantia in Philippo defendendo, nisi diuinitus conseruata  
fuiſſet, quid ex hac re ſecuturum fuiſſet, vnicuiq; iam facile  
eſt videre. Huius igitur facti gloriam ſi ſuam credi Flaci-  
us poſtulat, minimè ei inuidemus, quæ quàm glorioſa ſit, ip-  
ſe viderit, etſi metuumus ne ipſe ſe iniuria afficiat, & va-  
nitate ſua incogitantiam atq; culpam alterius ad gloriam  
hanc ſuam transferat. Si tamē omnino à Flacio hoc extitit,  
incogitantia illa an fuerit, aut malicioſum conſilium, his  
terrīs & D. Philippo malum creare cupientis, ex eo ſta-  
tuatur, quod hæctenus aduersus vtroſq; facit Flacius, &  
multos iam annos de ſe luculentè probat. De periculo autē  
ſuo quod ſcribit Flacius, quo ille hæc ſcripta edi curauerit,  
ſimiliter res teſtatur. Fuit tum ille adhuc nobiſcum in  
Collegio publicè docentium, et cōmunibus priuilegijs vtens  
ita eſt habitus, vt bonos & honeſtos par eſt, cum in eo mi-  
ſerabiliter decepti fuerimus, & poſt ſemestre ille primum  
hinc à nobis ad hoſtiles & manifeſtas oppugnationes ſuas  
ſeceſſit. Cæſaris autem literæ de Philippo mandant, Fla-  
cium non nominant. Quod igitur periculum narret, expli-  
care non poſſumus. Nos quidem tum verè illam viperam in  
ſinu noſtro alebamus. Nam illud totum tempus, quod ad  
diſceſſionem vſq; huius, de qua ſuo loco, dicemus in-  
teriectum fuit, ita apud nos tranſegit, vt aduersus  
B b Principem

Principem, has terras & Ecclesias, & Philippum inprimis Melanthonem clandestina scripta componeret, quæ fictis nominibus, quasi obnupti equi, in innocentissimos homines, & in Collegio suo præcipuum, & de se, de bonis literis, de veritate, de Ecclesia, præclarissimè meritum virum, ab ipso immittebantur, multos etiam optimos viros apud nos ita vt induceret, vt quorundam operam, quorundam studia sibi conciliaret, Qui & postea, cum quid ageret, animaduertere cepissent resilierunt, & nunc multò etiam magis, molitiones ipsius, vt debent, execrantur, & de his suo loco testari poterunt, De quibus plura in præsentia non dicemus. De hoc verò scripto Philippi nomine edito, de quo hæc hæctenus retulimus, quid iniquiores iudicarint, ipsi norunt. Theologi notationem hanc tantum & indicationem haberi voluerunt, vt diximus, Principi priuatim præscriptam, etsi quale sit legentes iudicabunt, & quale mox secutum sit, intra viginti dierum spacium in consultatione prouinciali & publica, paulò post exponetur. Nam quæ hæctenus inserta sunt scripta de libro Augustano, priuata sunt omnia, quæ ad suam instructionem sibi Princeps postulauit etiam. In quibus referendis ideò maiore diligentia vtendum nobis putauimus, quod imprimis illis & priuatis deliberationibus, maxime nostri cum aduersarijs collusisse insimulentur. Ex his quidem, quæ missa fuere Augustam, libri Augustani promulgatione præcesserunt omnia, cum in priuatis conflictibus de horum indicatione Princeps demonstratas libri corrup-  
telas

telas refutavit ac reiecit, & quibus assentiri posset ostendit, ne iudicetur vel superba contumacia, vel Imperatoris contemptu, vel perverso patriæ novis motibus involuenda studio turbare aut elidere instituta de pace consilia. In his ipsis autem notationibus, quod præstari necesse erat, censuram vsurparunt rebus & personis, quæ instruendæ erant convenientem, præcisæ disputationibus, quæ materias argumenti obscurioris, difficilioris & amplioris complexæ, ad Scholarum & Doctorum dyjudicationem pertinent, Quod & Principem oportebat doceri de illis, quæ maximi momenti essent, ac præcipua & captui cum ipsius tum illorum, quibus cum certamen fuit accommodata, quæq; veritatis evidentia vel inuitis assensionem extorquerent: & futurum sperabant, ut propter ostensam ab Imperatore spem concordiæ, de admonitione Principis in proposita formula priusquam promulgaretur, emendarentur, quæ ἐπιανόησις requirerent, siquidem talis deberet esse liber, quem omnes nostræ Ecclesiæ amplecterentur: & persuasum habebant, si emendatio procederet, hanc concessionem profuturam conservandæ in nostris Ecclesijs puritati doctrinæ, ysdemq; in eo statu, in quo sunt confirmandis, Pontificijs Ecclesijs verè inigo traditionum impiarum, cultibus Idolatricis, & erroribus in doctrina liberandis, Vtrisque ad disciplinæ Ecclesiasticæ nervos & vincula, quæ plus nimio laxata esse constat, arctius astringenda: Si non procederet, satisfactum tamen Imperatoris auctoritati concessione earum rerum, quæ tribui

ipsi possint. Ex his fundamentis consultationes de Adia-  
phoris domi profecta sunt, in quibus post repetitas aliquo-  
ties omnium mutationum dissuasiones, definitum est disertè  
& explicatè à Theologis, quibus in rebus Princeps Impe-  
ratori cedere, & quatenus ac quousq, & quos ritus quibus  
legibus & conditionibus veteris ac purioris Ecclesie ex-  
emplo admittere, quos ferre non posset, etsi præstaret nul-  
la prorsus mutatione Ecclesias turbari. Hæc igitur initia  
sunt & causæ deliberationum atq; tractationum, quæ deinceps  
describentur omnium. Atq; in his quidem initijs Prin-  
ceps Mauritius Elector eam se præstitit, vt nihil videatur  
in illo statu Germaniæ cum aliqua specie libertatis, conuen-  
tæ cum reuerentia, actum præterea. In Philippi autem  
Melanthonis & Collegarum responsionibus & consultis,  
an vel animi præsentia, vel Christiana constantia, vel ex-  
plicationum dexteritas desiderari iure possit, legentium  
iudicijs vt cætera permittimus.

Ex his igitur constituatur, qualia sint quæ de inchy-  
to Principe Mauricio superiore anno Flacius cum quinq;  
Subscriberibus Vanis. edidit, assensum eum de libro Au-  
gustano recipiendo, & huius rei Principem conuinci ex  
actis Comitiorum Augustanorum, historia Sledani, &  
ipsa experientia, etsi metuens mendacijs suis exprimere  
nomen Principis non audet, hæc enim verba sunt Flacy  
& Subscriberum Flacianorum in latinum translata:  
Omnino verum est, & prorsus notum, dominos eorum lo-  
corum, in quibus maxima pars adiaphorismi elaborata est,  
aduersarijs

aduersarijs promississe, quòd totum librum **INTERIM** recepturi essent, & in regionibus suis de hoc constituturi omnia, quemadmodù hoc præter alia testimonia ex publica historia Sleidani manifestum est. Hæc igitur sententia est verborum Flacianorù, in quibus etsi Principis nomen dissimulatur, statim tamen subiiciuntur incogitantissimè ea, quibus res sic explicatur, vt errari nullo modo possit, & Principem Mauricium intelligi oportere doceant, id quod ex ipso scripto Flaciano æstimari volumus, & audimus eiusdem sententiæ voces in recentioribus Flacy scriptis repeti. Vbi igitur hoc Sledanus scribit definitè de Mauricio & explicatè? Qui scriptor etsi sibi minimè cauit, minus tamen ille hac in parte incautè egit quam Flacius, neq; enim omnes ordines librum recepisse scribit & de quorundã forticulis resposionib. memorat, quæ vnde manarint ij nouerunt, qui vsurparunt. At obijciat Flacius inter hos non nominari Principem Mauricium, neq; de quibus nos narrauimus, quicquã esse in Sledano, ad hoc verò aliter iam respondendù. Nam ex ijs quæ ille autor scribit aut non scribit, de innocètia, existimatione, fama bonorù, et negociorù veritate in uniuersum, cõstitui atq; pronũciari, non potest ferri.

Atq; hæc quidem quæ de Princ. Mauricio retulimus, si sciuit Sledanus & dissimulauit, an bonus vir ille haberi possit, statuat qui volet. Sin ignorauit, quod & per se verisimile est, & ipsius existimationis causa credere malumus: Non igitur hæc vera non sunt, quia ipse non scripsit, neq; hæc ferenda vllò modo argumentatio,



quanquam in ignorantione tali ad minimum cohibere se debuit, & secundum Scepticorum verbum, ἐπιχρησ, atq; cauere ne suspectum faceret eum, de quo ei parum constaret, & de quibus nihil cognouisset, de ijs, ne quid suspiciose scriberet, quæ an impudentiæ aut leuitatis, aut negligentiae in quaerendo & inquirendo, aut aliam culpam habeant, alij fortassis aliter iudicabunt. Et fuisse scriptorem illum iniquiorem nostris commentarij eius produunt, siue suo iudicio siue aliorum susurrationibus inductum, qui ex his terris contra Patriam & Principem patriæ, cuius beneficij fruebantur, ipsum instruxerunt vt scriberet ea, quibus de impijs hac in parte & nefarijs molitionibus Prin. Mauricius insimularetur, vel suspectus saltem fieret, & cum hoc Theologi etiam & Ecclesiæ nostræ odiosæ & suspectæ redderentur, quæ paulo post exponemus. Etsi igitur scriptor ipse minimè culpa vacat, tamen eorū, qui talia ei suggererunt, hancq; impietatem vsurparunt, vt aduersus Patriam & Principem huius, vanitati & maliciæ indulgerent, culpa maior est. Sed qua affectione ille erga hos aut illos fuerit, nihil refert, quid scripserit, multum. Nisi enim vera sint quæ scribantur, ignominiam scriptor effugere non potest. Itaq; nequaquam patiemur Sledani Commentarios nobis opponi eo loco, vbi contrarium docere possumus.

Experientiam autem si intelligi vult Flacius ea, quæ in deliberationibus Theologorū & regionum harum acta fuere, sequens narratio hanc explicabit. Quæ experientia  
si com

si comperta fuit Flacio, sceleratissimus est omnium hominum, qui contraria ijs, quæ nouit, scribere ausus fuit: Sin minus nota habuit, impudentissimus & vanissimus, qui de incompetis & inexploratis experientia  $\pi\lambda\eta\rho\sigma\phi\acute{o}\rho\epsilon\kappa\sigma\upsilon\mu$  sibi constituit.

Atq; illum verè de his fundamentis & tota causa vel verè ignorasse omnia, vel cognoscere noluisse, demonstrat, hoc quod sic argumentatur: De Adiaphoris quibusdam libri Augustani recipiendis laborasse Mauricium, Ideo hunc totum librum recepisse, cum quidem cuiusmodi hæc per se sit argumentatio, ne pueris quidem obscurum esse possit. Item ab Adiaphoris cœpisse Principem, ut hac occasione totus papatus postea intruderetur. Flacij igitur actis et experientia huius hæc nostra acta & hanc nostram experientiam opponimus. Nam quæ præterea argumenta Flacius cum suis quinque adducit, quibus probet impietatem à nostris admissam, sequens expositio refutabit vniuersa.

Ex quibus iam hoc etiam indicetur, quod gloriatur Flacius sua opera perfectum, & sibi atq; complicitibus suis acceptum ferendum hoc beneficium, quod libri illius impietas non sit in harum terrarum Ecclesias intrusa. Nam Principi Mauricio quod in Comitibus Augustanis affuerit cum illa faceret quæ exposuimus, & consilia huius quod gubernarit etsi impudentissimus est & vanissimus & qui audet omnia, tamen hoc illum de se non affirmaturum existimamus, & si faceret, esset refutatio in promptu, cum in Collegio ille tum nostro hic nobiscum degerit, ut diximus.

diximus. Sed ad Thelogorum consultationes adhibitus fortiter monuit, & consuluit, & responsa illa nostrorum haecenus exposita, ab his extudit? Doceat igitur si potest ubi & quando ipsi in vllis consultationibus locus fuerit, Item in conuentu hoc Misnensi an suggesserit quid fieri, quidue responderi debuerit, sed in re manifesta tantum verborum fieri non debuit. Quia tamen de Adiaphoris toties & quaesitum & deliberatum fuit, & haec propter librum Augustanum tantopere oppugnanda sibi putarunt Flacius & Flaciani, Etsi iam ex haecenus narratis intelligentes vident omnia, Tamen explicandum de his alio quanto popularius, vt eius causae quam decennium iam agit contra has terras & Ecclesias Flacius, <sup>ἐναντίας</sup> quaedam ab oculos simpliciter ponatur, & quò tam frequentes actiones illae vniuersae, de quibus nunc deinceps narrabitur, directae fuerint, de his inquam vt iam initio cognoscatur, res flagitat.

De libro igitur Augustano, postquam vt recipere-  
tur mandatū fuit, aut assentiri oportuit, aut praecise recu-  
sari, aut ad preces & supplicationes descendendum, qui-  
bus res auerteretur. Atq; assensio quidem impietatem in  
tali negotio habet manifestam: praecisa autem recusatio,  
An illo tempore & erga Imperatorem, Magistratum,  
qui opinione de libro optima, quam ex aliorum persuasione  
conceperat, concordiae causae approbationem sese exigere  
libri ostendebat, & sine vlla distinctione intollerando-  
rum atq; impiorum, à reliquis quae sine impietate recipi  
possent

possent, ab intelligente & considerato usurpari vel potuerit vel debuerit, iudicet qui volet. Nam etsi quid aliqui fecerint non ignoratur, tamen eorum, quorum fortitudo opponitur actiones, deprecationibus, quàm recusationibus, nedum præcisionibus, similiores videri possunt, & quo postea quorundam fortitudo reciderit, nõ ignoratur. Quod vero tertio loco de precibus & supplicationibus diximus, id & per se liberalibus naturis graue, & vt semper aliàs tum illo maximè tempore incertum fuit & dubium, cum persuasus esset Imperator talium precũ iustas aut necessarias causas nullas esse. Itaq; Illustrissimus Princeps Mauricius in tanta & temporum & negociorum difficultate mediam quandam uiam ingressus videtur. Nam cum causas haberet & ad Deum pias, & ad homines honestissimas & pulcerr. cur Imperatorem refragando aduersus se & suos irritare non deberet, de quibus mox subiiciemus aliquid: Supplicationum autem humilitatem, quæ non reuerentiæ sed seruitutis essent abiectæ, usurpare non posset: Fecit hoc, vt neq; sine discrimine promitteret, neq; præcise negaret. De ijs enim quæ impietatem habere & ipse sua sponte intelligebat, & ab alijs docebatur, omnino disertè & præcise recusauit, Et ne ei qui istas res non intelligeret, cõtumaciæ aut ferociæ vel alias etiam tetriores suspiciones de se moueret, declarare voluit in ijs, quæ fieri possent, quãtũ uellet et cuperet in pijs et honestis omnibus obsequi.

Explicat hoc toties inculcata conditio, QVICQ;  
QVID PIE ET CVM BONA CON-  
C c sciens

*SCIENTIA* à se & suis fieri possit. Quid enim dicitur aliud, quàm quæ impia sunt, & religionis veritatem et conscientiam lædant, in ijs se obsequi nihil neq. posse neq. velle, & fuit de quibusdam disertè testatus, de quibus Imperator cognosceret, quod absq. vlla dubitatione aut consultatione ampliore pro impijs illa haberet. In cæteris quæ salua doctrina veritatis vel vsurpari vel omitti possent, in ijs se concessurum quantum per se fieri, & ipse facere & à suis obtinere posset & deberet. Ita hoc res docet, de ijs tantum à se Mauricium spem fecisse, quæ in libro Augustano verè essent *Adiaphora*, hæc enim tantum piè & cum bona conscientia recipi possunt. Et omne negocium Princ. Mauricio de *Adiaphoris* tantum fuisse, cum & iam pridem hæc ipsi ab annis iam quatuor negocium facerent, & illa noua tum causa à Cæsare accederet. Sic igitur quæstiones de *Adiaphoris* in his terris denuò extiterunt.

Atq. hoc omnino consilium Principis fuisse explicatur scripto ipsius quod infra in tractationibus *Pegensibus* exponitur, & res demonstrat omnia ab hoc ita acta, eoque directà fuisse, vt Imperatori eam omnibus modis præstaret fidem, quam deberet, & iuberetur diuinitus Dei gloria salua præstare, ne quis vlla specie iuris se & suos impetere posset. Fuitq. ipse in deliberationibus illis, ad subditos suos, non tantum scriptis, & per alios, sed voce etiam sua testatus, se nihil aliud spectare aut agere, quàm vt salua & integra doctrina, omnia ab his regionibus pericula quantum fieri posset auerterentur. Ita post hoc in omnibus,

nibus, in quibus salua veritate concedi posset obsequium, si quid accideret, id nimirū sciri potuisset, non ex rebus Adia-  
phoris, & in nullo discrimine positus existere, sed ob eas res suscipi, quæ æternam veritatem, & religiosam fidem attingerent, & in quibus animarum salus versaretur, in quibus obsequi, obtemperare, concedere, nemo quicquam unquam posset. Et sicut ille in Comœdia ait: Omnia prius experiunda esse sapienti, antequam ad arma descendatur: Ita Princeps Mauricius non omnia, sed quæ ad Deum piè bonaq; cum conscientia, & ad homines iustè fieri possent, tentanda & subeunda sibi putauit vniuersa, antequam in discrimen extremum non tantum vitæ & fortunarum se & suos conyceret, sed veritatis etiam deserenda, aut ad minimum necessariæ & immutabilis doctrinæ vox in his regionibus vt conticesceret, causam à se introduceret aut moueret. Itaq; de omnibus & interrogauit exquisitissimè, & egit diligentissimè, quas res medias vel ipse indicaret, vel ab alijs indicari audiret, & quæ verè essent tales, quid fieri, & quomodo fieri, quid non fieri posset & deberet, & in ijs quæ fieri sine impietate possent, seruitutem & ipse subire minimè detrectauit, & à suis idem fieri expetiuit, ne vllius molitionis aut scenitiæ aduersus se & suos prætextus esse vllis posset, præsertim cum absq; hoc quatuor iam continuos annos, de rebus Adia-phoris in di-  
tione sua constituendis laboraret, quemadmodum in præ-  
cedentis conuentus historia relatam fuit.

Hoc igitur factum Principis quale sit, An à pietate Christiana, sapientia, prudentia, alienum, aut aliud ab ipso fieri, in consideratione omnium, melius potuerit aut debuerit, suo loco quaeretur. Interea omnibus bonis & intelligentibus rem iudicandum relinquimus, quemadmodum & hoc, utrum rectius, nihil prorsus cedere? aut veritatis retinendae causa in omnibus, in quibus possis? Ipsum certè multis quasi clipeum obiectum fuisse constat, qui si Mauricius alius fuisset, non tam facile & salutem suam & veritatem conseruare potuissent. Sed in hac etiam parte bonum Principem extremorum temporum exagisia pressit.

Flacius tamen et Flacianus Illustriss. Principis Mauricij hanc, ut acta docent, fortem & piam reuerentiam, & reuerentem Caesareae Maiestatis fortitudinem & pietatem acerbissimè exagitarunt, Qui in gratiam hostium à Principe hoc sic factum scribunt, ut suspiciones moueant, vel planè etiam hoc dicant, cum aduersarijs eum aduersus religionis veritatem clam conspirasse, qui & disertè scribunt, ut modo retulimus, hoc egisse Principem nostrum, ut praetextu adiaphorarum Ceremoniarum libri Augustani impietas, et per ea quae fieri possent, ea quae non nisi impiè fieri possent, introducerentur, quam sceleratam & diabolicam calumniam refutant luculentè quae haètenus ex actis Augustanis retulimus, et magis etiam refutabunt, quae narrabuntur deinceps, quantis ille difficultatibus & periculis se liberare potuisset; Si hoc ei, cuius à Flacianis insimulatur, facere libuisset. Neq; in doctrina ille vnquam quicquid quod  
mutari

mutari, aut in quo concedi voluerit aut postularit, cōvinci,  
ab omnium maleuolorum conatibus poterit. Sed quod suis  
in primo cōuentu Lipsico, antequam ad Augustana comi-  
tia proficisceretur promisit, de quo supra est scriptum, id  
sanctissimè ipsis & integerrimè per omnem vitam præsti-  
tit. Itaq; illam insidiosissimam & suspiciosissimam gratiæ  
mentionem suam Flaciani si de studio obsequendi et obtem-  
perandi Cæsari in ijs, quæ piè & honestè fieri possunt, in-  
telligi vellent, negari hoc minimè deberet, neq; possèt, quod  
Princeps ipse non tantùm hoc confessus, sed etiã professus  
ad suos semper fuerit. Cum autem de obsequio ad impietatē  
et fraude quæ veritati fieret, in collusione cum aduersarijs,  
qua sibi hos adiungeret, hoc interpretentur, opponimus ca-  
lumniæ horū ea, quæ verissimè dicta hæctenus sunt & di-  
centur deinceps. Etsi miramur huic generi non in mentem  
venire vel potius hanc cogitationem illud non admittere,  
aut locum ei facere velle, an Pontificy ita meriti de Prin-  
cipe Mauricio tum fuerint, vt in affectione singularis cu-  
iusdam benevolentiae obsequi eis magnopere cupere potue-  
rit, nedum contra religionem, fidem, dignitatem, in horum  
gratiam aliquid committere, ac non potius multa in ijs tum  
iure oderit, de quibus nota res est, quæ eum ad iustissimas  
vindicias animū et cogitationē intendere cogere, quod et  
ipsum postea expeditio contra illos suscepta comprobauit,  
cum obtinere ius suum aliter non possèt, quam non illo ipso  
tempore eum animo agitasse, quis est qui dubitare possit?  
de quo hoc loco & à nobis plura dici non debent.



Hoc tantum ut & planum fiat & memoria teneatur nobis laborandum, Principem Mauricium Elect. neq. conciliationis studio cum Pontificijs, neq. consilio obsequij impij aut turpis suscepisse quicquã, sed & veritatis, ne huius doctrina sibi et suis eriperetur, et sui populi, & harum regionum salutis causa illam concessionem in ijs quæ piè & honestè fieri possent instituisse, De quibus posterorum erit iudicium verius, obtrectatione & malevolentia liberatum.

Hæc igitur de Adiaphoris tractationum novarum, in his terris nova causa allata est ut diximus. Quibus ita de Principis Mauricij consilijs & actionibus explicatis, id quod fieri oportuit, iam de Theologorum responsis & sententijs, quæ ab illis se discriminant, exponendum.

Cum itaq. & obsequendum Imperatori, Princeps Elector in Adiaphoris sibi statueret, & quæ verè talia essent, & quomodo institui sine impietate possent, explicari vellet, Theologorum officium bipartitum fuit, & de mutatione, an tali tempore introducenda vlla in re esset aliqua, sententias dicere, & de Adiaphoris de quibus quærebatur docere. In vtro igitur horum, Flacius aut Flacianus, aut si qui esse possunt his deteriores, vel homines vel Diaboli, culpam admisisse nostros demonstrauerint, causam eos habuisse confitebimur, cur in Ecclesia tumultuarentur. Mutatio ne introduceretur suaserunt (quod supra inserta scripta luculenter testantur, & sequens narratio magis docebit) corruptelas libri fideliter demonstrarunt, doctrinæ veritatem explicarunt. Cumq. consilium obsequendi

quendi *Cæsari* in omnibus, in quibus piè & bona conscientia posset, Princeps non deponeret, & idem à suis quoq; ut fieret expeteret, & de *Adiaphoris* in libro *Augustano* doceri se vellet, & pro his secundum capita huius de singulis quæreret, Theologi de *Adiaphoris* simili cum fidè & diligentia docuerunt, et seruitutem quæ expers esset impietatis non detrectarunt. His intercessit *Flacius Tribunus* cum manu populari, & non tantum in aliena republica, sed etiam in Ecclesia, & rebus neq; ad se neq; ad eos, ad quos concesserat quicquam pertinentibus, curiosus esse cæpit, ut non tantum turbulentum, sed & <sup>ἐπισημασμένον</sup> se probaret, cum quidem in Ecclesia, ei nullus adhuc locus neq; vocatio esset, sed suum hic locum in Collegio Philosophico, sine vlla causa deseruisset. Hic igitur si omnino aliquid sibi de impeditis rebus aliquibus laudis vendicat, aliam sibi arrogare nullam potest, quam quod illud Principis *Mauricij* consilium impedyt, quo decreuerat, ut in omnibus, in quibus piè et cum bona cōscientia posset, *Cæsari* obsequeretur. Si eorum quæ impietatē in libro *Augustano* complectuntur receptionem se impediisse gloriatur, sceleratè mentitur *Flacius*. Nam talibus nullam operam suam vnquam *Illustris* Princeps condixit, sed fortiter his & constanter contradixit, & cum antea in conuentu *Lipsensi* de sententia & voluntate erga religionem testatus fuit, tum in Comitijs *Augustanis*, nisi quæ piè & bona cum conscientia possent, recepturum se semper recusauit, quemadmodum acta docent, quæ hæctenus exposuimus

posuimus, eaq; re in maximas difficultates se coniecit, etsi profecto ne hæc quidem consilia Principis Flacius repressit, neq; huius clamoribus territum, eum qui sibi meture nesciret, consentaneum, sed tempora eum ab his abduxerunt, quæ qualia secuta fuerint, & quibus negocijs Principem implicarint notum est.

Ex his iam existit hæc altera quæstio inter theses Flacianas, cum auertere illam seruitutem Theologi nõ potuerint, ferre an fugere potius hanc, deserentes loca sua et has terras, debuerint? in quo rursus dyudicationẽ omnibus qui in hæc nostra incident, permittimus, ne ipsi iudices simul & actores videamur. Statuatur igitur, an propter illas actiones desertionis atq; solitudinum in Ecclesijs harũ terrarum autores fieri, & ab eo Principe fugere debuerint, qui de religione sententiam & voluntatem his suam ita declarauerat, quòd Papisticis abusibus & omnibus ijs, quæ verbo Dei cõtraria et à religione Christiana aliena essent, neq; deficiendo adherere, aut illorum quicquam admittere vellet, & quibuscunq; rebus doctrinã verbi Dei prouehere, & Ministros huius iurare posset, ea pro viribus fideliter, diligenter & benignè esset præstiturus, et qui illo ipso tempore nihil aliud quàm quod piè et cum bona conscientia fieri posset, à suis postularet. De his igitur pietas et sapientia, à qua nunquam abest humanitas, facile statuet, & disferetur tamẽ à nobis etiam suo loco, vt res flagitat, aliquid. Inculcatur calumniosissime mutatae religionis mentio.

Quod

Quod si Flaciani interrogarentur, quæ mutatio sit illa, de qua tot annis accusarunt has Ecclesias, quod sine turpitudine sua dicere possent, profecto non essent habituri. Si enim hoc actum à Principe Elect. Mauricio responderetur, ut in vera & pura religionis doctrina mutaretur aliquid, mendacem maledicentiã refutarent ea de quibus hæctenus narrauimus vniuersa, & cum cæteræ cõtestationes, tum cõditio quæ piè & cum bona conscientia, &c. Neg. in hac parte, ut lenius dicamus, falsæ & iniustæ accusationis crimen quisquam effugerit. Sin religionis mutationẽ de ceremoniarũ Adiaphorarũ introductione interpretarẽtur, quid iudicij et intelligẽtiæ haberẽt in rebus ad salutẽ eternam pertinentibus, proderetur. Quale enim hoc fuerit, pronunciare quod vel in ritibus per se religio versetur, vel conseruata doctrinæ veritate, si abrogentur aut introducãtur ritus Adiaphori religionem mutari. Si talis ritũ mutatio religionẽ mutat, nihil est aut fuit his triginta annis religione nostra mutabilius, cum assertã hac in parte Christianã libertatẽ, nostri omnes variè et multipliciter vsurparint. Et hoc crimẽ Flacianũ nõ tátũ ad eos, quos ipse Adiaphoristas cognominat sed alios etiã plures pertineret.

Hæc est causa Flaciana vniuersa, de qua ut planius dicatur, non verebimur etiam *τεχνολογικῶς* rem explicare. Cum enim in omnibus causis de factõ, verbo aut iure quæri necesse sit, De factõ nulla est nobis cum Flacianis controuersia, si quidem Adiaphora & Principem recepisse & Theologos de his seruitutem non detrectasse dixerint:

rint: Sed de hoc controuersamur, an & verè Adiphora  
sint de quibus deliberatum quæq; recepta fuerint, & per se  
Adiphora, an illo tempore receptionis tanquàm in fabulis  
Poëticis formas mutantia corpora ex Adiphoris impia,  
metamorphosi quadam, facta sint. Et hæc concessio, pri-  
mùm Principis, postea Theologorum, instante Principe,  
impietatem an habeat & doctrinam religionis violet, aut  
prodat? Quibus igitur & occasionibus atq; causis, &  
qua deinceps ex necessitate, de his & receptione horum  
quæsitum in his terris, & quando queri ceptum fuerit,  
hactenus narrata explicant. Nunc deinceps quid factum  
& quo consilio factum sit, exponendum. Ita postea etiam  
rectè an piè, vel perperam atq; impiè, à Principe aut  
Theologis factum sit aliquid disputari poterit, & an in  
quibus concessum sit Adiphora esse desierint, & in im-  
pietatem sint conuersa.

Hæc est summa & hic status omnium quo & dire-  
cta sunt, & his tanquàm fundamentis innituntur, quæ se-  
quuntur vniuersa, de quibus singulis suo loco vt res postea  
labit dicetur. Atq; ita nunc deinceps post longam quidem  
sed valde tamen necessariam prænarrationem hanc, ad cõ-  
uentus Historiam accedamus.

Reuersus ex Comitijs Augustanis ab actionibus hacten-  
nus expositis Princeps Elector Mauricius, Mense Iunio,  
mox ad Cal. Iul. Conuentum indixit in vrbe Misena, ad  
quem literis conuocauit Principem Anbaltinum Georgiũ  
&c. & ex Theologis, qui ei adiungerentur D. Forsterius  
qui

qui tum in Ecclesia Merespurgensi docebat, Ex Academia Lipsica D. Doct. Ioannem Pseffingerum, Ecclesie illius Pastorem & Superintenden. Ex nostra autem D. D. Casparum Crucigerum & Georgium Maiorem, & Philippum Melanthonem, præter hos & Daniele Grefserum, Pastorem & Superintendentem Dresdensem. Sledanus huius Conuentus mentionem facit eiusmodi, vt vel ipse existimaret, vel alios existimare voluerit Theologos ad hunc nullos, sed politicos tantum ordines conuocatos fuisse, quem de his rebus iniquis exploratoribus vsum nimis multa demonstrant.

Ex politicis autem conuocarat delectos, ex equestri ordine ex oppidanis Magistratibus, qui sunt in his ordinibus harum regionum præcipui. Quemadmodum autem quidam ex veteribus dixit, Ex malis moribus bonas leges natas esse: Ita ille Augustanus liber cum per se is esset quem diximus, & miseras, curas, labores, difficultates, ærumnas multiplices cum toti Germaniæ, tum Principi nostro & Theologis atq; ordinibus politicis harum terrarum obiceret, præterquam tamen quod ille multorum prudentiam, iudicium, constantiam quasi examinavit, multæ etiã præclarissimæ & utilissimæ explicationes doctrinæ Christianæ vt conscriberentur & confessiones vt ederentur constantissimæ & pulcherrimæ ab omnibus ordinibus nostris in causa fuit, & insuper in nostris terris peculiariter de Adiaphoris exquisitè vt disputarentur & explicarentur omnia, quæ fieri potest, vt ad posteritatem etiam vti-

lem doctrinam suppeditent. Nam multi ex ijs qui nostris iniquissimi sunt, easq; actiones maximè execrantur, ex his, inquam, quin multi quæ utiliter de scriptis nostrorum ad instructionem suam assumere possint reperiant, non dubitamus. Ea quidem scripta quæ D. Philippus Melanthon noster & ad nostros & externos plurimos, occasione libri illius multa composuit, quæq; ad varias multorum interrogationes respondit, & nostris hominibus & posteritati vsu minimè vulgarem allatura essent, si collecta extarent, in qua re operam nostram utilitati publicæ supra promissimus. Atq; hæc quidem prima fuit, vt diximus, de illo libro publico in his terris consultatio, cumq; huius causa conuentum illum institutum suspicarentur omnes ante etiam quam consilium Principis Electoris ederetur, neq; ex vniuersa regione conuocati ordines fuissent, alij aliud sibi de illis institutis actionibus persuadebant, cum in difficultate illorum temporum & mutationis inijs nequaquam adhuc coaluissent animi, & multi multa suspiciosè colligerent, & acerbè ominarentur. Itaq; factum fuit, vt non multò minor vel multò potius maior numerus esset eorum, qui diuersis ex locis ad curiosè explorandum quid ageretur & fieret, confluerant, quam qui ad illam deliberationem fuerant accersiti, & oppidum vix capere tum posset vniuersos hospites. Sed curiosorum suspiciones, & sermones inquietorum, pleclare tum ab ijs quæ agebantur refutati fuere.

Cum

*Cum igitur conuenissent ij qui literis conuocati in vrbe  
Misenā tum fuerant Calendis Iulij, postera die quæ fuit 6.  
Nonarum huius, retulit ad eos Illustriss. Princip. Mauric.  
Electōr hæc quæ de Germanico conuersa subiēcimus.*

**N**ON POTVIMVS FACERE, QVIN VOS  
præcipuos quosdam in nostris regionibus & ætate grauissimos, ad nos accerferemus, ad rationes uestras de ijs quæ subiēcimus cognoscendum. Quod igitur comparuistis, grata est nobis obedientia uestra, quam benigne agnoscimus. Neq; dubitamus pleerosq; uestrum memoria tenere, quod negocium sanctæ & Christianæ religionis nostræ ante hæc tempora adhibito consilio præcipuorum in regionibus nostris egerimus, de nobis etiã meminimus, quod uobis & cæteris nostris submissis petentibus, de nobis significauerimus & benigne receperimus, facturos nos ut in nostra Christiana religione permanere uobis liceret, neq; ab hac ut per uim depelleremini, Quod & imperatoris, nostrum omnium benignissimi domini, Cæsarea Maiestas, erga nos & uos de sua sententia similiter benignissime declarauit, Nimirum quod nihil magis cuperet quam ut dissidia & controuersia in religione pacificis & amicis tractationibus, uel alias ijs modis & eo ordine quo decet, & fieri fas est, piè componerentur, & ad Christianum consensum & concordiam res promoueretur & reduceretur, in qua benigna uoluntate & sententia adhuc permaneret. Et quanquam amicis tractationibus ab ipsa nihil hæcenus esset profectum, tamen uoluntatem aut consilium ipsius nunquam fuisse, neq; nunc esse, ut Christianam religionem & uerbum Dei (sicut aliqui de nullorum argumentorum fundamentis ipsum insimularent, & obtrectando publicè, spargerent) gladio seu armis deleteret, Sed quod constituisset dijudicationem & disceptationem controuersiarum in religione: pro eo ut in consilio Imperij decretum esset: Oecumenico & Christiano concilio permittere, in quo ante omnia gloria Dei quæretur & rei Christianæ in meliorem statum pia redactio, quemadmodum & in Augustana confessione similiter ad concilium prouocatio fiat. Sicut hæc in Imperatoris ipsius scriptis ad nos & uos missis continentur, quorum Imperator & Rex benignissime meminerunt. Postquam autem de concilio negocium ita se dedit ut non omnino procedat, neq; si maxime procederet, tam celeriter peragi possit, hæc de causa inclitæ mentionis Imperator ad ordines sacri imperij de consultis quibusdam seu constitutione certa referri curauit,



quid interim usq; ad Oecumenici & Christiani concilij djudicationē,  
de religione fieri debeat, & postulauit, ut Pontificij in sua religione  
permanerent, & qui nostræ religionis professione sint coniuncti, si  
uel suam ad pontificiorum conforment, uel constitutionem proposi-  
tam usq; ad generale concilium seruare uelint, quæ omnia copiosius  
in scripta Imperatoris relatione exponuntur.

Ad hæc significauimus Imperatori, quid nostrarum regio-  
num ordinibus promississemus, ipsum etiam admonuimus eorum  
quæ illis ipsis ordinibus nostris, & ad nos scripssisset.

Sed perrexit Imperator postulare à nobis ne illam Cæsaream  
constitutionem de interiecto tempore recipere recusaremus, confide-  
rantes quod reliqui Electores & Principes qui eandem nobiscum rea-  
ligionem profiterentur, pleriq; eam recepissent, & ne quid causator-  
um afferre, aut impedimentorum commouere uellemus.

Nos uerò perstitimus in eo, nos loco & nomine regionum  
nostrarum ordinum nihil in nos recipere, neq; contra publicè editas  
promissiones nostras & typis expressas quicquā facere posse. Et hoc  
tories ad Cæsaream & Regiam quoq; Maiestatem, atq; alios qui hac  
de re nobiscum egerunt, repetiuimus, ut tandem nobis Imperator  
hoc imposuerit & mandarit, ut cum subditis nostris agere, & operam  
dare uellemus, quo præscripto eorum, qui & à Cæsarea Maiestate ip-  
sius, & communi ordinum Imperij consensu constituta essent (huius  
enim sententiæ uerbis de hac re utebantur) omnino se obedientes  
præstare, & quæ constituta essent seruare uellent.

Quod igitur Cæsareæ Maiestati recusare non possemus, quo-  
minus postulata ipsius ad nostros subditos referremus, Ideo uos hac  
de causa conuocauimus & benignè cupimus, ut illum de interiecto  
tempore librum in manus sumere, perlegere & perpendere uelitis, &  
de responsione inter uos ad ea quæ ab Imperatore postulantur cuius-  
modi constituere, qua & præclare instructi sitis, & Imperator intelli-  
gere possit nos & uos propensos esse ad obedientiam subiectissimè  
præstandam in omnibus. **QVÆ AD PIAM ET  
CHRISTIANAM CONSENSIONEM** quietem pa-  
cem, & concordiam faciant, **ET PIE ET BONA CVM  
CONSCIENTIA** fieri possint.

*Hæc cum ita de scripto recitata essent, liber vnus  
ordinibus conuocatis traditus est, Et petitum amplius fuit  
Principis uerbis, ut ne Cæsari obedire atq; obsequi recusa-  
rent*

rent in omnibus, quæ vlllo modo **SALVA VERI-**  
**TATE VERBI DEI ET SINE LÆ-**  
**SIONE BONÆ** Conscientiæ fieri possent, idq; pa-  
cis & concordie causa, & ad multiplicia pericula auertend-  
dum. Quæ verò à regula verbi Dei recederent, ea Theo-  
logi vt demonstrare vellent, nam Principem Electorem  
nihil omnium quæ impietatem haberent admittere velle,  
&c. Sed ordines statim Theologis librum proposuerunt,  
cum obtestatione, vt pro ea fide quam veritati, Reipubli-  
cæ & saluti communi deberent, quid ferri in hoc quid  
non ferri posset, fideliter docerent. Etsi autem pleriq; ex  
his antè etiam librum viderant, tamen tum primum ea  
quibus referri de libro recipiendo Imperator curauerat vi-  
dere eis contigit, quæ relatio Cæsaris appellabatur,  
& pro æmy loco libro est proposita. Itaq; in eo pri-  
mum quid desideraretur, & notandum veniret consigna-  
tum fuit, postea de reliquis singulis denuo distributis  
operis (neq; enim in illa temporis breuitate aliter fieri po-  
tuit) nouam censuram conscripserunt, & reliqui quidem  
in cæteris notandis, D. autem Philippus potissimum in  
dogmaticis occupabatur, & explicandis ys quæ de Iusti-  
ficatione, de fide & operibus perperam & insidiosè in li-  
bro traderentur. Ita tum copiosior quam vnquam ante  
indicatio omnium, quæ in illo libro necessario notanda  
essent, composita fuit. Ea qualis sit cum extet typis expres-  
sa nihil attinet dicere. Paulò enim post Conuentum, vix  
Mense elapso, aut non multò longiore tempore, inscijs  
nostris,

nostris, Magdeburgi est edita, & sic edita, ut planum fiat  
editorum illos de ordine actionum illarum nihil cognouisse,  
miscuerunt enim censura ea quæ contra doctrinam libri  
tum scribi cœpere ut mox explicabitur, & quedam vel in-  
cogitantia & errore, vel alijs de causis mutarunt, propter  
rea recusa & illius pars fuit apud nos, sicut primū scriptū  
illud ac breuius. Hac igitur de causa, & quod exempla il-  
lius scripti nostrorū distracta sint, ea autem quæ adhuc ex-  
tant, à Flacianis in suspiciones, odia et contemptū adducta  
sunt, ut credibile sit à plerisq; Flacianis abolita esse, & à  
paucis ad lectionem cōmunicari, ideo illud scriptum ex ar-  
chetypis denuo exprimi, & nunc deinceps suo hoc loco inse-  
ri curauimus, cōuersum in linguam latinam ut sequitur.

IVDICIVM DE LIBRO AVGVSTI  
no, qui nominatur INTERIM, scriptum à  
Theologis, qui conuenerant in vrbe  
Mysena, Anno 1548.

**Q**uod principio commemoratur, de inchoata Tridenti  
Synodo non recusanda consentienter statutum esse, deq;  
expectando tractationum ac sanctionum sine compromissa  
sionem factam, graue admodum est, nec periculo caret propter ge-  
neraliter. Nam qualia iam decreta facta sint Tridenti notum est, &  
illorum ipsorum decretorum quædam libri Interim sanctionibus  
aduersantur ac repugnant. Qualia igitur sequutura sint decreta ex  
iam editis æstimari potest. Ad hæc itaq; attendendum diligenter.  
Præterea quanquam in narratione Generalis & Christiana Synodus  
appellatur, tamen postea mentio & Christianæ Synodi & liberæ or-  
mittitur prorsus, cum petita semper & suffragatione approbatam  
fuisse constet Synodum generalem, Christianam & liberam.

Secundo

Secundò, quod Cæsareæ Maiestati ab ordinibus Imperij cura pacis publicæ & concordia in Germania commendata est, id quomodo ad decreta Libri Augustani de negotijs religionis detorqueatur, cum tamen complectatur Liber præcipua nostræ doctrinæ capita, de quibus & cum Aduersarijs contentio est, & in libera Christiana Synodo disputari ac decerni debeat. Horum autem receptio & approbatio uelut præiudicio certo nos condemnaret, quasi abiicissemus defensionem illorum ad Libri præscriptum.

Tertio, quod annectitur uirorum sacrae scripturae peritorum iudicio decreta Libri Christianæ religioni & Patrum doctrinæ non repugnare, satis ostenditur id eò dici, ut significetur uetus doctrina Monastica repeti.

Quartò, quod duo capita de usu integri Sacramenti & de Coniugio Sacerdotum tanquam religioni Christianæ & Doctorum in Ecclesia sententijs contraria notantur, non potest non mouere nobis admirationem. Cùm Dei beneficio manifestissimum sit, istos duos articulos expresso Dei uerbo fundatos & in Ecclesia Catholica integros atq; incorruptos conseruatos esse. Mutationem uerò horum & expresso Dei uerbo & consuetudini Catholicae Ecclesiae repugnare. Spectatum hoc uidetur, ut duobus his capitibus exceptis, reliqua restituantur uniuersa. Et tamen prætextitur formulam ad ueræ & perfectæ concordia constitutionem directam esse, quæ sequutura tunc esset, cùm & hæc duo capita à nobis abijcerentur. Hæc enim tanquam per se impia, conceduntur benignitate quadam, usq; ad Synodi dñudicationem, Synodo autem procedente reliqua tanquam approbata assumerentur, de his duobus solis, disputatio institueretur. Hoc præiudicio Ecclesiae nostræ plurimum grauantur.

Quintò, graue admodum est, prædicari de Aduersarijs gloriose & falso, quod Catholicae Ecclesiae decreta ipsi sequantur, & in his perseuerent, nec discesserint ab his unquam, qua re abusus à nobis reprehensi & aboliti attribuantur Catholicae Ecclesiae, in nos confertur crimen secessionis à Catholica Ecclesia, quod crimen maximum omnium & atrocissimum est, & obligantur ad abusus impios multi pij inter ipsos Aduersarios, exclusi ab occasionibus cognoscendæ ueritatis, qui expectunt & quaerunt ueritatem.

Sextò, graue & hoc est, quod nobis tribuitur, fuisse & esse nos autores schismatum & nouitatis, cùm partis aduersæ recens excogitatis & in Ecclesiam inuectis doctrinæ corruptelis & abusibus ceremoniarum reiectis ac repudiatis, redierimus ad primam & ueterem Catholicae Ecclesiae doctrinam & traditiones. Deinde quod

motuum omnium causæ in omnibus regnis imputantur Germaniæ  
& repurgatæ in hac ueræ doctrinæ.

Septimo, ut uel redeamus ad eos, à quibus discessimus, uel  
amplectamur præscriptam formulam, in qua quid desideretur, se-  
quentia monebunt.

Octauo, Tyrannicum est, quod præcipitur, ne quis formam  
uel scriptationibus uel concionibus, uel disputationibus suggillet aut  
oppugnet. Nam doctrinæ ueræ puritas si conseruari debet, fieri aliter  
non potest, quàm ut errores & abusus in Libro confirmati taxentur  
& refutentur.

Nono, Quod attinet ad emendationem Cantionum Eccles-  
siasticarum, quæ uitiata superstitione temporum degenerarunt in  
abusum, cum illius rei curam in sese Imperator susceperit, intelligi  
facile potest, cui operam recognitionis & emendationis commenda-  
turus sit. Petitur autem ut tollantur superstitiosa omnia, & propriè  
dignitatis fiduciam complectentia, & ad Sanctorum cultum atq;  
inuocationem directa. Id à talibus Censoribus frustra expecta-  
mus.

Et quanquam promissiones Imperatoris clementissimæ sunt,  
tamen eo tendunt, ut ad ea amplectenda & exequenda alliciant &  
obligent ordines, quæ statuta in Synodo fuerint. In qua quidem  
Synodo, si diiudicatio disceptatioq; controuersiarum non fuerit le-  
gitimè instituta ex Dei uerbo, certius nihil est, nisi doctrinam Eccles-  
siarum nostrarum condemnauros, & ad impiorum decretorum as-  
trocem executionem Imperatorem incitatos esse Synodi præsi-  
des.

Hæc paucis monemus, ut de his omnibus accuratius cogite-  
tur, non ut de sententia propositionis ab Imperatore prolatae dispu-  
temus.

Misericors Deus in uera sui agnitione nos conseruet, & ad  
eandem Imperatoris animum flectat, Amen.

COMMEMORATIO EORVM QVÆ  
liber Augustanus habet falsa & erronea,  
in loco de Iustificatione.

**M**ulta dicuntur in hoc Articulo non contemnenda. Et inter  
cætera allegantur dicta aliquot illustria continentia dulcem  
conso-

solationem, quibus fatentur auctores libri, nos gratis absq̄  
meritis nostris iustificari. Et fidei etiam, quanquam post longum  
interuallum, mentionem faciunt, addita hac expressa assignatione,  
fidem sine operibus mortuam esse. Dicunt & hoc, in renata & iusti-  
ficatis, reliquias peccatorum & prauarum machinationum esse, nec  
habere homines in hac uita iusticiam integram sine peccato. Com-  
pensari autem & ad impleri imperfectionem illam & infirmitatem,  
plenitudine ac perfectione iusticiæ Domini nostri IESU Christi.  
Et ex uulneribus ac sanguine eius hauriendum & petendum esse, quo  
se infirmitas nostra recreet ac sustentet. Dicunt hoc quoq̄, certo  
& sine dubitatione credendum esse promissioni. Hæc uero om-  
nia in speciem splendide dicuntur ac prædicantur. Et spem ali-  
quis faciunt totum illum Articulum iustificationis rectè expositum,  
& nunc integrè nobis concessum esse ab aduersarijs, sicuti non nega-  
mus aliter loqui eos, quam multis iam seculis loqui consueuerunt.  
Multi etiam hoc futurum arbitrantur, ut concessio Articuli illo præ-  
cipuo, etiam multas alias huic aduersantes sententias & cultus Ido-  
latricos abijciant. Sed tamen attentius considerata hæc ostendunt  
multa ualde necessaria consulto omiſsa esse, insertis clausulis alijs  
inſq̄ uarijs, quæ & fermentum Pharisæicum redolent, & corruptelæ  
sunt, confirmantes hanc ipsam sententiam, quam abijci aliqui pu-  
tant. Astutia autem & arte tanta hæc facta sunt, ut deprehendi-  
astus difficulter possit, sed quomodo intelligi ænigmata debeant,  
partis aduersæ interpretationes insuaues demonstrant, quæ iam ex-  
tant & sententiam eorum catholicam tumide prædicant, non illa rati-  
one, qua nos intelligere & interpretari titulum illum, & gloriam  
Catholicam cuperemus, sed ea omninò sententia, de qua hæctenus  
conatu & apparatu tanto pugnarunt. Id nisi obstaret, haud dubie  
sequeretur multorum abusuum, quos prædicant Catholicos, & po-  
stea in libro recitant, efficax abiectio ac condemnatio.

Est autem statim sub initium huius Articuli admixta hæc  
corruptela, quod genuinam uoculæ Iustificationis significationem  
deprauant. More enim Hebræo propriè significat absoluerè aliquem,  
ut iustificare impium, id est, absoluerè reum & pronunciarè iustum,  
id est, remitterè alicui peccata, & recipere in gratiam. Estq̄ ma-  
nifesta hæc significatio Isaïæ 5. Iustificantes reum propter munera.  
Et Rom. 8. Quis accusabit electos, Deus est, qui iustificat. Quis  
condemnabit, Christus qui mortuus est, & quod magis est, etiam res-  
suscitatus sedens ad dexteram Dei, interpellat pro nobis. Nec diffi-  
cile est, magnum acruum testimoniorum ueteris & noui Testamenti  
E e 2 proferre

proferre, quæ idem ostendunt. In libro autem uox iustificatio ad dilectionem detorquetur. Ac si sit iustificatio impij, non solum quod remittuntur ei peccata, sed quod datur Spiritus sanctus, per quem charitas in corda effunditur, qua postea homo, quod bonum ac iustum est, appetat & operetur, & hac bona ac iusta uita, iustus, hoc est, Deo acceptus sit & placeat.

Adfirmamus autem & nos fide accipi Spiritum sanctum, quæ ipsa etiam opus est Spiritus sancti, & motus nouus a Spiritu sancto in cordibus effici non dubitamus, qui motus initia sunt obedientiæ, gratitudinis & dilectionis erga Deum, pro inenarrabili illo & ardenti amore Dei erga nos, quem in reparatione nostri missio Filio & Spiritu sancto ostendit. Fatemur igitur hoc modo inchoari, quod nominat Iohannes appetere & operari bonum, & oportere se qui bonos Spiritus sancti fructus seu opera bona, etiam externa si deliter docemus, quæ quidem nouitas etiam crescere debet, quotidianis exercitijs, & placet Deo, & multis admirandis præmijs ornatur ac compensatur.

Sed tamen nouitas illa inchoata, quantacumq; est, nullo modo est iustificatio peccatoris, de qua hoc in loco dicendum est. Nequaquam enim est meritum uel causa, cuius tanta sit dignitas, ut puritate ipsius motus æternus Pater, immundiciem ac sordes nostras nobis non imputet, aut nos pro iustis & placentibus ipsi recipiat. Ista enim nouitate si niti mentes deberent, nunquam eis propter imperfectionem & immundiciem perpetuò in hac uita manentem (sicut ipsi autores Libri postea fatentur, cum inquirunt, hanc nouitatem primitias Spiritus nominari) certa esset spes uitæ & salutis æternæ. Imò cum certa sit & manifesta omnibus, moles illa sordium in nobis, quibus imperfecta hæc & languida inchoatio nouitatis conspersa & polluta est, cumq; certum & manifestum sit, nunquam in hac uita legi Dei satisfieri, certior esset æterna nostri condemnatio, quam uita & salus æterna, quia non dum habeamus iusticiam illam & mundiciem, propter quam recipi nos isti docent. Sed peccatorum sordibus adhuc oppressi & inquinati simus, ideoq; stipendium peccati, quod est mors & condemnatio æterna, certò expectandum esse.

Sequeretur & hoc, etiam si Christus pro peccato satisfecerit, & propter obedientiam, passionem & satisfactionem, eius peccata remissa sint. Tamen nondum nos iustos esse, hoc est, acceptos & placentes Deo, quia uitæ non sit ea puritas, & sanctimonia, qualis requiritur, Ita astute iustificatio hoc in loco sic recitata est, ut nouitas tribuatur

tribuatur, & honos iustificationis non soli merito Christi, sed inchoatæ puritati & sanctimonix uitæ ascribatur.

Est autem summa & præcipua quæstio ac disputatio. Quare Deo placeamus & accepti simus, & quæ causa sit, propter quam recipit nos & iustos pronunciat, etiamsi sumus sordidi & legi Dei, non satisfacimus. Hanc causam adfirmamus esse Filium Dei Mediatorem, & ipsius obedientiam ac merita.

Proxima quæstio est de modo adplicationis, qua scilicet re proposita beneficia adprehendamus, & nostra faciamus, ut fiducia horum erigere & consolari nos possimus. Hunc modum adplicationis dicimus non posse intelligi de uitæ nostræ sanctimonia ac nouitate, quantacumq; sit eius inchoatio aut excellentia, sed fide id fieri docemus, quæ hoc agnoscit, & Deo reuerenter tribuit, quod & misericors & uerax sit, & nititur hæc fiducia non nouitate aut dignitate propria, sed sola misericordia gratuita.

Fides igitur erigit & consolatur corda, & hac sola prælucente inuocatio, dilectio Dei, & tota nouitas inchoatur. Et quanquam hoc uerum est, oportere illam nouitatem inchoari, idq; hoc etiam modo ut aliqua sint externa opera iusta. Tamen hæc inchoatio iusticiæ, ab altera illa personæ iusticia discernenda est. Est enim duplex iusticia personæ coram Deo, quæ est propter Mediatorem gratis placere Deo, & acceptum esse, ut persona sit hæres iusticiæ & uitæ æternæ. Et tota est gratuita, sicut inquit Augustinus in Epistola 19. ad Hieronymum de Petro reprehenso à Paulo, quod sola gratia nos sent credentes se iustificari saluosq; fieri.

Alia est iusticia bonæ conscientix & extrema, incurrens in oculos hominum, ut nos iustos esse agnoscant, de qua Iacobus loquitur, inquiens: Videtis ergo, quod ex operibus iustificatur homo, & de hac iusticia oportere Iacobum intelligi, Testatur etiam Augustinus in præfatis Psalmis 31. Hæc posterior non placet Deo, nisi propter præcedentem & prælucentem alteram. Nec est iustificatio impij, de qua hoc in loco controuertitur. Illa enim impij iustificatio fit fide Mediatorem intuentem & adprehendentem.

*Cum igitur homo toto uitæ tempore &c.*

Horum uerborum hæc est sententia, Primum nos iustos esse iusticia infusa seu inhærente, quam ipsi intelligunt esse charitatem seu dilectionem, quæ cum in hac uita sit imperfecta, Christum sua iusticia nobis succurrere, & plenitudine sua adimplere, quod imperfectioni nostri deest. Et per hunc nos perfectè iustos esse. Ita partiuntur iustificationem



ficationem in duas partes, primum in iusticiam infusam seu inhaerentem, quam ut diximus, intelligunt esse dilectionem, nouitatem & opera nostra. Deinde in iusticiam Christi adimplentem, & perfectiorem nostram imperfectionem.

Hæc falsa & mendacia sunt, certo enim statuimus, solum Mediatorem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum esse iusticiam nostram, hoc est propter ipsum & per eum nos remissionem peccatorum iusticiam & uitam æternam accipere credimus, gratia fide, non propter renouationem aut iusticiam infusam, de qua pontificij pugnant. Et hanc esse libri natiuam sententiam, uerba sequentia ostendunt, cum inquit: Ita concurrunt meritum Christi, & iusticia infusa, ad quam renouamur dono charitatis.

Sequentia uerba probamus cum inquit: Meritum Christi causam esse iusticiæ infusæ, hoc est, ut ipsi interpretantur, dilectionis & nouitatis sequentis: Quod uero addunt meritum Christi prodesse primum ad hoc, ut dilectio & nouitas uitæ nobis infundatur, qua iustificemur. Et quod illud ipsum Christi meritum, imperfectionem iusticiæ nostræ adimpleat & compenset. Hæc omnia iterum dicimus falsa & mendacia esse, Quia nulla re nostra iustificari aut saluari certo statuimus, & omni iusticiæ nostræ anteferimus filium Dei, sedentem ad dexteram æterni Patris, traditum propter peccata nostra & resuscitatum propter iusticiam nostram. Et fide eius iustificari & saluari nos credimus.

Sub finem huius Articuli rectè dictum est hoc, quod adfirmant, Christi merito conscientiam niti oportere. Sed dissimulare non possumus, desiderare nos in Libro hoc, quod in recitatione Articuli de Iustificatione hominis, profundissimum est silentium de fide accipiente iusticiam, de qua tamen acerrimè pugnat Paulus, ita ut penè post syllabas ac uoces singulas, eam repetat. Ac mouet nobis suspicionem, non obscura significatio, quod & ipsum nomen fidei subtrahatur. Et in dicto Rom. 5. Iustificati igitur fide, pacem habebimus, de industria & quasi consulto omittitur: Id etsi libenter imputaremus ei, qui descripsit exemplum libri, Tamen alijs coniecturis non ambiguis confirmamur, singulari actu & industria hoc agi, ut tota de fide doctrina oculis & animis hominum excutatur, cum tamen expressa in Iohanne asseueratio sit Baptistæ, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.

Hæc uerba pugnant cum præcedentibus, ubi dixerunt, partim nos iusticia infusa, hoc est, fide & nouitate, partim Christi merito iustificari. Et apparet multos fuisse hoc ipso in loco artifices inter se ipsos dissentientes.

Quod

QVOD HOMINEM TRAHAT DEVS VO-  
LENTEM, AC GRATIA SVA PRAEVERRAT  
AC PRAEPARET, *Rectè dictum est.*

Sed tamen non paruam nobis suspitionem mouet, quod toto hoc Iustificationis Articulo, ubi de poenitentia & contritione necesse est dici, ne uno quidem uerbulo mentio sit legis, quæ est concio poenitentia, arguens & ostendens peccata. Ac quod multo magis mirum est, toto libro hac de re altissimum silentium est, & discrimen Legis & Euangelij magna arte subtrahitur. Mouemur igitur, ut Antinomicos Magistros Architecturam Libri adiuisse suspicemur. Sed quia artifices libri, ista præterierunt, referimus nos ad scripta nostra, quæ Dei beneficio extant magno numero non inutiliter scripta.

Iterum hic apparet, quid nominent Iustificationem impij, uidelicet, non solam remissionem peccatorum gratuitam propter Christum, de qua pugnant & testificantur Pauli scripta, quia expressè se dicunt, iustificari nos etiam donis & operibus, quæ sunt in nobis à Spiritu Sancto. Crimen falsi admittunt deprauato manifesto testimonio Pauli Rom. 7. quod sic recitant, Charitas Dei, qua nos Deum diligimus, effusa est in cordibus nostris. Et attexunt de suo hanc dilectionem, coniunctam cum fide & spe, uere esse nostri iustificationem. Manifestum est autem in loco illo, Paulum non loqui de dilectione nostra, qua nos Deum diligimus, sed qua ipse nos diligit, sicuti seipsum declarat Paulus, inquit: Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est. Et Iohan. 4. scriptum est: In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Adfirmamus de nouo iustificari nos, non dilectione aut nouitate nostra, sed sola illa fide & fiducia, quæ nititur promissione, offerente propter filium Dei Mediatorem, gratis absq; meritis nostris remissionem peccatorum, imputationem Iusticiæ, salutem & uitam æternam.

Postea uero cum post longum interuallum sit mentio fidei, non describitur alia nisi historia fides, quæ scripta Prophetica & Apostolica uera esse credit, qua à confusionibus Ethnicis, Turcica, Iudaica, & alijs scripta Prophetica & Apostolica abijcientibus, seiuncti sumus. Intelligunt igitur fidem mortuam de qua Iacobus scribit, quod & in Diabolis sit, Qui credunt & contremiscunt. Quod uero de uera & uiuifica fide Ecclesie nostræ dicunt, quod sit fiducia

fiducia misericordiae propter filium promissae, Id autores libri de spe intelligunt, qua id quod credimus cum patientia & desiderio ardente expectamus. Hae artificiosae & astutae cogitatae mixturae uirtutum, ad hunc finem directae sunt, ut cum fiduciam misericordiae totam extinguere nequeant, saltem aliqua ex parte obscurent aut lasbefactent. Siue igitur scientes id faciant siue inscientes, Tamen genus inam & natiuam libri sententiam eo tendere manifestissimum est.

Et quanquam doctrina Monachorum & decreta Synodi Tridentinae de dubitatione damnantur in libro. Tamen de fiducia misericordiae aded perplexè dicitur, ut ambiguum sit utram in partem autores libri propendeant. Et tamen non obscure significatur, hunc esse scopum ultimum, ut fiducia illa, temeraria esse iudicetur, cum tamen cultus sit, honorem Deo maximum & summum tribuens, & e contra temeritas sit omnium maxima & perniciosissima fiducia operum & meritorum suorum nisi ac confidere.

Iterum hic ostendunt quid nominent fidem, uidelicet non uiuam illam fiduciam bonitatis & misericordiae Dei promissae & promeritae per & propter mediatorem Christum, Sed fidem illam mortuam & solam historiae noticiam, & profersionem articulorum fidei, Qualis fides & in Diabolis est & in multis impijs.

Appendicem illam, qua dicunt fidem esse etiam in his qui non habent dilectionem & perseverant in peccatis, eatenus concedimus, quatenus de fide historica & diabolica intelligunt. De fide autem iustificante & inueniente mediatorem Christum nequaquam concedimus, Sed Pauli dictum ad Timotheum retinemus. Habens fidem & bonam conscientiam, qua repulsa nonnulli circa fidem naufragium fecerunt. Certissimum enim est peccatis contra conscientiam contristari & excuti Spiritum sanctum. Et fide excussa se qui peccatum & conscientiam malam, pñ omnes intelligunt, post lapsum autem conscientia non pacatur nisi denuo fides & fiducia illa filij Dei per Spiritum sanctum accensa & exuscitata fuerit. Sicut omnia haec, exemplum Dauidis ostendit & dilucide monstrat.

Etsi autem uirtutes distinctae sunt, fides spes, dilectio, Tamen copula & connexio talis est, ut amissa alterutra harum, omnes simul amittantur, ubicunq; igitur non est dilectio, ibi certum est & fidem nullam aut mortuam esse, Et uerissimum est quod dicitur: Fides sine operibus mortua est, Et, Qui non diligit manet in morte, Ergo non credit, Qui enim credit in me inquit Christus, etiam si mortuus fuerit, uiuet, Simul igitur cum fide hoc fieri oportere dicimus, ut uiuificetur cor & accendatur dilectio & reliqua nouitas,

Quæ iam recensuimus uera sunt, præterquàm quod addunt dilectione & operibus bonis nos iustificari. Quia propositio uerissima est, neminem sine dilectione & operibus bonis saluari. Et tamen certissimum est, nos non iustificari aut saluari, per dilectionem aut opera bona, quia ita scriptum est, Actorum 10. Huic testimonium perhibent omnes prophetæ remissionem peccatorum accipere per nomen eius, qui credunt in eum.

Sub finem huius Articuli expresse tandem iusticia uera & perfectio omnis dilectioni tribuitur, & affirmatur quod fons sit bonorum operum & causa & meritum æternæ salutis. Quancquàm autem uerum est, quod Paulus inquit: Fides, Spes, Charitas, tria hæc, Sed maior horum charitas, Nec dubium est in uita æterna cum exhibebitur id, quod fides & spes credidit & expectauit, dilectionem fore perfectam ac consummatam, & duraturam esse in tota æternitate, Tamen nostra dilectio nequaquam est causa salutis, quia Iohannes inquit: Non quod priores illum dilexerimus, Sed quod ipse prior dilexit nos & misit Filium propitiationem pro peccatis nostris. Nec dilectio medium est adprehendens aut applicans nobis dilectionem DEI. Alioqui in hac uita nunquam acciperemus eam nec ad æternitatem illam perueniremus. Est autem medium adprehendens & adplicans, ut testatur uox diuina, Fides, quæ est fiducia misericordie & dilectionis diuinæ, qua nos diligit. Et quancquàm fide inchoatur in nobis dilectio & leticia in Deo, Tamen propter illam dilectionem, non sumus filij Dei aut hæredes uitæ æternæ, quia uniuersa uox diuina, id fidei tribuit. Nec fons est aut prima scaturigo dilectio, Sed ut eadem uox diuina & orthodoxi scriptores, puriores ac celebriores, Augustinus & alij testantur, bonorum operum omnium prima scaturigo est fides, quæ ipsa etiam fons est & prima causa dilectionis. Cum enim cor fide erigitur, & sentit consolationem propositam in filio mediatore Domino nostro Iesu Christo, quod per & propter ipsum, inenarrabili amore nostri pro nobis traditum, æternus pater nobis propicius sit, nos recipiat & iustos pronunciet, tum primum pax & læticia conscientie sequitur, & cor uicissim Deum diligere incipit, quæ dilectio est obedientia, secundum omnia mandata Dei nobis tradita, cum læticia in DEO. Hos gradus recitat Paulus ad Timotheum 1. cap. 1. Inquiens Finis, præcepti est charitas, ex puro corde, conscientia bona & Fide non ficta. Quo in loco non loquitur Paulus, de spuma illa fidei innatante lingue aut de Historie noticia, Sed de uera luce Fidei, fulgente in cordibus & uiuificante ea.

Hæc uerò omnia, non dicimus propterea, ut quemadmodum per calumniam maleuoli de nobis uociferantur, stultam & impiam securitatem confirmemus, quam multi etiam inter nos securi uerentes in scelera, libenter intelligerent, somniantes fatis esse illos clarescens mores & uociferationes de fide, etiam si cor nec dolores nec consolationem ullam sentiat, nec dilectionem Dei aut cætera opera bona inchoet, Nequaquam enim dilectionem & opera bona excludimus aut abijcimus, sed inchoari oportere fideliter docemus, & in inuocatione omni, toto pectore cum Ecclesia petimus. Auge in nobis quæsumus domine fidem rectam, spem firmam, charitatemq; perfectam, & tanti Spiritus lucem in cordibus nostris semper accende, pugnamus autem de solo illo, quod iam sæpe repetiuimus, etiam si inchoatæ sint uirtutes illæ omnes, ita etiam ut Abrahamæ excellentiam profectu subsequantur aut imitentur, uel etiam superent, Tamen oportere his omnibus præluce flammas illam seu lucem fidei, intuitus mediatorum, propter quem solum æterno patri placeamus & accepti simus gratis, non propter ullam dignitatem aut opus nostrum. Ac propterea de hac iusticia solius fidei pugnamus, ut in ueris doloribus conscientia firmam consolationem habere possint, & cum fiducia & læticia aliqua promissæ misericordiae possint confidere, ut in neutrum extremorum prolabantur, in superbiam sese admirantem & extollentem aut desperationem, quæ est mortis æternæ initium. Hæc fides si non tota extincta est in libro Augustano, certè horribiliter obscurata et labefactata est. Suntq; e contra encomijs nimijs, & non ueris laudata dilectio & opera bona, quæ consolatione erigere & confirmare corda æripidantia non possunt.

Non est igitur *λογμαχία* hæc controuersia, sed disputatio necessaria, ut filio Dei honos suus tribuatur, & ut conscientijs consolatio firma & spes uitæ æternæ certa tradatur & relinquatur.

Hoc in loco opera supererogationis magnifice prædicantur, tantum hoc consilio, ut superstitiones Monachorum & alij cultus idolatriæ stabiliantur & denuo reuocentur. Est enim horribile mendacium doctrina Monachorum, quod dicunt posse hominem alia maiora & meliora opera facere, quàm quæ à Deo ipso præcepta sunt in decalogo. Cum enim certum sit, Præceptis decalogi in hac infirmitate naturæ hominum nunquam satisfieri, nec præstari posse perfectam illam & integram obedientiam, qualem Deus postulat, quæ tamen amentia est fingere, præstari posse alia meliora & excellentiora opera non præcepta, quæ sint meritum iusticiæ & salutis æternæ. sicut auacter sinxerunt & docuerunt Monachi, & opera quæ nominarunt supererogata

superrogationis, adplicarunt & uendiderunt alijs, additis diplomatis, promittentibus remissionem peccatorum & salutem æternam: Id qualis furor sit, cõsideretur in exemplo, Seruare castitatem perpetuam & intemeratam, non est uirium humanarum opus, sed ut testatur Christus Matth. 19. Singulare Dei donum est paucis concessum ac datum.

Quod item gloriantur relinquere aut uendere facultates & sequi Christum, esse opus supererogationis & indebitum ut nominant, Id etiam horribile mendacium est. Comprehenditur enim in secundo præcepto recte intellecto, & suas metas habet, quia præcipitur, ut cum opus est, non solum desertione facultatum, sed uitæ etiam & corporis periculo uerbi Dei confessionem ac fidem ostendamus ac testificemur, sicut præcepit Christus, inquit, Qui coniugem & liberos, domum & agros pluris facit quàm me, hic non est me dignus.

Quod item allegant Dauidem saltantem ante arcam fœderis, id est opus confessionis & gratiarum actionis, non supererogationis.

Deinde quod de se Paulus scribit, se gratis seruuissè docendo, nec petuissè didacta aut stipendia debita, id totum opus est liberi spiritus & dilectionis proprium, quod fecit ut ipse testatur propter Pseudoapostolos. Nec existimauit Paulus hoc opus peculiarem cultum esse, qui sit meritum uitæ æternæ, sicut Monachi suis electiõis operibus & somnia illa adfingunt, De quibus omnibus pronunciat Christus seuerissimè, inquit: Frustra colunt me mandatis hominum. Item Marci 7. Benè prophetauit de uobis hypocritis Esaias, sicut scriptum est: Populus hic labijs me honorat, Cor autem eorum longe est à me, Frustra autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum.

Hæc pars recta est, & ijs quæ de iustificatione præmissa sunt, contraria. Tollit enim & decretum concilij Tridentini de dubitatione, quo statuuntur hominem non posse certum esse de salute æterna, & doctrinam scholasticam ac Monasticam, quam taxari & rejici necesse est.

## DE ECCLESIA ET EIVS

Signis.

Ff ij

Hic

**H**IC Articulus in genere quidem non est impius si rectè accipiatur: Verum in generali illa formula sermonis, qua Ecclesiæ tribuunt potestatem sancienti Canones, aliquid incommodi est.

Cæterum hic considerandum, qui sint uere Ecclesia, quam describunt. Vtrum hi qui puram Euangelij doctrinam, & rectum Sacramentorum usum à Christo traditum retinent: An uerò illi qui meritis & operibus humanis iustificationem tribuunt, cibis & conuiuio interdiciunt, denicè à Prophetarum & Apostolorum doctrina discedunt, & institutum coenæ dominicæ à Christo usum mutant, & in abusum ordinationi Christi contrarium conuertunt.

Considerandum item est diligenter, quinam Ecclesiæ unitatem sciderint, & Schismata in Ecclesiam inuexerint doctrinis & cultibus nouis falsisque præter & contra uerbum Dei fingendis, qualia sunt, inuocationes sanctorum, Theatricæ missæ celebrationes, concursus ad statuas, pergrinationes, ordines Monastici, & id genus alia.

Videndum & hoc, ubi & apud quos continua propagatio ueræ doctrinæ & uerorum cultum Dei, fuerit ac manserit. Quæ omnia si attentius considerentur, facile ostendunt, quæ uera Catholica & Apostolica sit Ecclesia, quæ minus. Ac licet forte illi, apud quos hi, quos diximus, errores & abusus uigent, multitudine ac potentia cæteros qui ueram doctrinam retinent, longe uincant: Non ideo tamen sequitur, eosdem ueram & catholicam Ecclesiam Christi esse. Christus enim suum coetum non multitudine, sed paucitate designauit, cum inquit: Noli timere pusille gregem.

## DE ECCLESIAE POTESTATE, Ministris, & summo Pontifice.

**H**ic omnium maximè odiosus est articulus. Nec ut existimamus aliud est, de quo plus laborant, cum in hoc uno quasi neruo, ipsi serè sint omnia. Sed multa sunt, quæ in eo desideramus.

## DE CORRVPTELIS IN HOC Articulo.

**A** C primum quidem etsi in multis de Ecclesia aliter & commotius loquuntur, quàm antea: tamen in hoc delinquant, quòd omnia ualdè generaliter exponunt, & ijs inuolucris uerborum

borum, quæ etiam si nos recipiamus, illi tamen quouis postea tempore ad suam causam, ut sit incothurnis, aptare, & ad multos abusus stabiliendos transferre possunt. Hoc enim agunt, ut ruptas aranearum telas, in quibus muscæ aliquot irretitæ hærent, quocumque modo sarcire queant. Quamquam enim aliqua non male posita sunt ut cum definiunt Ecclesiam, quod sit Christi fidelium congregatio, quomodo inuisibilis, itemque uisibilis sit, quod quantum ad eternam uitæ societatem boni in ea pariter & mali sint, quod suis sit distincta notis, quod habeat uerbum Dei, uerum Sacramentorum usum, clauæ ligandi ac soluendi, potestatem excommunicandi, ius ordinandi ministros.

Inter cætera tamen & hoc assuunt, quod penes Ecclesiam fuerit & sit autoritas Canonis scripturarum. Quod quidem per se si commode accipiatur, non malè dicitur: Ab aduersarijs tamen contra Augustini sententiam eo detorqueatur, ut dicant Ecclesiam supra scripturam, potestatem eminentiorem habere, & autoritatem mandandi scripturæ instituta. Hoc fundamento postea suas in Sacramento factas mutationes pingunt, & eodem detorqueunt, quæ dicuntur de traditis per manum, unde probationes exempli causa sumunt de Baptismo paruulorum, qui cum per se satis in ipsa Dei institutione fundatus sit, hi tamen inter tradita per manus, recensent, ut una quasi fidelia, quod aiunt, simul dealbent suos quosdam ritus non genuinos, quos scriptura non agnoscit, imo potius damnat. Hoc ipsum sibi uult, quod de Elicitis ex scriptura & reuelatis narrant.

Ad hæc tribuunt prælati ius condendi Canones, quod tamen urbanus papa ipse restinxit, Quæst. 25. C. 1. Sunt quidem & c. Verum idem, hoc pacto sine restrictione positum, admittere periculosum esset. Ut enim maximè possemus illud postea commoda interpretatione mitigare: huc tamen potissimum spectat, ut hoc nomine quicquid uspiam est uitiosorum Canonum retineatur, & pro inobedientibus habeantur, quicumque illis non obsequuntur.

Omnium uerò periculosissimum est, quod autoritas interpretandi scripturas promiscue nulloque delectu, omnibus Episcopis datur, Cum tamen sit in confesso, quod Episcoporum in cognoscenda scriptura sacra passim sit studium, & quod plerumque explicandæ scripturæ partes, tam in concilijs quam alibi dentur indoctis. Monachis, & quicquid hi pro stabiliendis ipsorum idolis somniant, id pro inspiratione Spiritus sancti & legitima scripturarum interpretatione haberi uolunt. Quod si quis cautum esse dicat, ne quid huius fiat, hac forma uerborum, qua præcipitur, ut hac



tota potestate utantur ad ædificationem & non ad destructionem.  
Respondemus hanc ipsam formam uerborum, adhuc ambiguam esse, nec dum constare, quod secundum ipsos sit destruere, quid ædificare. Denique huc tota res redit, ut homines à certa & manifesta scriptura, ad incertas inutiles & non parum periculosas traditiones, quæ in se nec finem nec modum habent ullum, traducantur.

Insuper hoc peculiare donum interpretandi scripturas, certis locis & personis, ordinaria quadam successione, affixum esse uolunt. Cum tamen hoc donum sit singulare spiritus sancti lumen, singulis tam ueteris quam noui testamenti temporibus, in certis & paucis quibusdam hominibus diuinitus excitatum & accensum, cuius sæpe & plurimum ij, qui ordinariam successione tenuerunt, expertes, imo hostes, fuerunt, quod exempla multorum prophetarum Eliæ, Elisei, Esaiæ, Amos, & aliorum ostendunt.

Multi item Apostolorum ex tribu Naphthalim & Zabulon erant, alieni ab ordinaria successione, qui tamen Pontificum scribarum & pharisæorum, ad gubernacula Ecclesiæ sedentium falsas doctrinæ interpretationes & idola mandato Dei taxarunt & damnarunt. Fuit & Augustinus egregia scripturæ interpretandæ intelligentia præ multis sui seculi doctoribus præditus. Nec ignotum est, quid de Paphnutio & Hieronymo, quorum sententiæ in concilijs prælatæ sunt, Panormitanus scribat. Ut nihil hic dicamus de hoc donorum genere, quod non paucis nostro tempore spiritus sancti beneficio collatum in multis scripturæ ac doctrinæ cœlestis partibus illustrandis sese abundè exeruit, quod tamen bonum, mundus pro sua ingratitude, magno suo cum malo, turpiter negligit, contemnit & repellit.

Nec uerò tam huius doni uim & usum, qui in uera scripturæ intelligentia & sobria explicatione consistit, quærent aduersarij, quæ huius prætextu potestatem eiusmodi, qua liceat ipsis autoritate regia uel prætoria pronuntiare, ubi scripturæ sententiam sequi, ubi rursus hac posthabita ipsorum traditiones & placita retinere & antea ferre oporteat, quemadmodum accidit in concilio Constantiensi.

Quod si itaq; hic articulus simpliciter recipiatur, nullus deinceps in Concilio & alibi locus erit disputationi, Sed per omnia illorum qui sunt in officio sententijs & suffragijs propter ordinem procedendum erit. Atq; hoc modo simul è medio tollentur omnia alia salutaria remedia, quibus nec licitum, nec integrum, nec tutum erit cuiquam uti.

Esti autem fieri potest, ut autores huius articuli melius forte sentiant

fentiant & ſpectent aliud, quàm quod in præſentia à nobis dictum  
eſt: tamen ad fidem noſtram pertinet indicare pericula, quæ ſub iſtis  
uermorum inuolucris latent, quibus ne implicemur, cautio eſt, ſi do-  
ctrinam & Eccleſiam uolumus eſſe ſaluam.

Quòd uerò ad ſummum Pontificem ac cæteros Episcopos  
& Iurisdictionem ipſorum attinet, non opus eſt hic commemorare  
abufus & errores, in quibus & olim fuerunt, & hodie contra conſci-  
entiam perfeuerant, cum quidem iſta dudum tum ex ipſorum libris  
tum hominum ſermonibus manifeſta ſint & notoria.

Manifeſtum eſt autem toties nos eſſe profeſſos, ſi illi nobis ue-  
ræ doctrinæ puritatem, & legitimum Sacramentorum uſum conce-  
dant, nec impijs ſuis traditionibus conſcientias noſtras onerent, nec  
propter Euangelij doctrinam nos perfequantur, &c. quòd illis uiciſ-  
ſim Iurisdictionem, ordinationem & dignitatem ipſorum reſtituere,  
& obedientiam qualis debetur, non grauati præſtare uelimus,  
quodq; Collegia uetera & conſeruata cupiamus, & eam rem loco no-  
ſtro ſimul adiuuari quantum in nobis eſt.

Cum uerò illi nullam emendationem, ac ne hanc quidem,  
quam INTERIM ipſum præterdit, admittant, ſed in ſemel ſuce-  
pta abufum defenſione pertinaciter & obſtinatè perfeuerent, ac nunc  
etiam recentibus exemplis oſtendant, quòd recuperata Iurisdictione  
ſint abufuri ad reſtitationem Idolorum & perfeutiones piorum, qui  
agnitam ueritatem abnegare nolent: Idè etiam atq; etiam uiden-  
dum noſtro Principi, quid futurum ſit, ſi eadem ſiant in his terris,  
Quæ cum Dei beneficio multis eximijſ Dei donis, doctrinæ cœleſtis  
puritate & Eccleſijs, Scholis, iudicijs, urbibus, politijs, diſciplina & le-  
gibus bene conſtitutis floreant, Et Metallorum, mercium, morum atq;  
omnium rerum neceſſariarum ubere prouentu ornatiſſimarum, ho-  
minumq; inter ſe & erga Magiſtratus, ſtudijs ac beneuolentiâ coniun-  
ctiſſimæ ſint: quis non uidet, quantum malorum, diſſidiorum, odio-  
rum, aduerſationum, diſtractionum, uafationum, detrimentorum,  
ſcandalorum, in politijs, Eccleſijs, urbibus, oppidis, legibus, iudicijs, &  
omnium ordinum, & ætatum hominibus, inde exoriturum ſit?  
quanta ſit ſequutura ueritatis cœleſtis iactura? quantum periculi con-  
ſcientijs euenturum? quàm graue ſit teneram ætatem uix ereptam ex  
ſaucibus inferni in priores tenebras reiicere? Ac etiam ſi forte promit-  
tant Epifcopo, ſe libro Auguſtano obtemperaturos eſſe, tamen quis  
non uidet, quàm multa hoc ipſo in libro deſiderentur. Non aliam  
enim niſi ſuam, id eſt, abufuum & impietatis plenam ordinationem  
Miniftrorum

Ministorum usurpaturi, & in ueræ doctrinæ iustam ac debitam explorationem Ministorum, imo & curam conseruandæ purioris doctrinæ neglecturi essent. Neglecta uerò doctrina, aut certæ fucatis coloribus ( quod nunc facit Sulfraganeus Moguntinus ) adulterata, facillimè paulatim ruerent & cætera. Tantum scitum est in puritate doctrinæ, ut sine hac & Ceremoniæ obsint, & Sacramenta ipsa in abusum transferantur. Nec consentaneum uidetur, Episcopos in Iurisdictione à placitis suis uel latum unguem discessuros esse. Quare etiam atq; etiam consulto opus est, ne quid illis hac in re, nisi præcedat declaratio ac reformatio sufficiens; largiamur.

Non uolumus autem disputare de primatu supremi Episcopi, unde & quomodo coeperit, & quantum inde ad Ecclesiam mali redundarit, & quàm perperam ad eum stabiliendum prærogatiua Petri abducatur. Quod si esset talis, qui non iure diuino se orbi uendicaret, ac intra suos se fines contineret, prout in concilio Niceno sancitum fuit, & Hieronymus ad Euagrium, & Epistola ad Titum scribit, & sicut Cypriani & Augustini temporibus in usu fuit, siq; hi qui obrepserunt abusus ( quod tamen uix sperare licet ) pia Synodo corrigantur deniq; tota ista potestas ad concordiam in doctrina & pietate seruandam referatur. Talem nimirum si darent nobis primatum, non modo non repudiandus, sed etiam prouehendus uideretur. Cupimus enim, quantum in nobis est, politiam Ecclesiasticam, quam optimam & rectissimè constitutam uidere, & hoc sine Episcopis suam Iurisdictionem libenter concesserimus. Verum hoc statu rerum redire Iurisdictionem nimis foret periculosum. Hoc enim prætextu, nec præsentem statum, qui plenus turpitudinis est, & manifestiorum uectos abiectionis essent.

Cumq; simul in hoc articulo mentio fiat potestatis Synodorum & in piam ac catholicam Synodum consenserint omnes, diligenter attendendum est, ne in delatione obedientiæ in posterum modum excedamus, & nosmetipsos generalibus articulis irretiamus, si enim res eò deueniret certamen difficillimum oriretur.

Admonendum etiam hoc loco est, non omnia esse catholica, quæ Synodorum titulum gerunt, multa enim ab ijs dissentiunt. Etsi autem piarum Synodorum, quod ad gloriam Christi propugnandam collectæ sunt, autoritas magnificanda est quarum munus est, ut uerbi diuini reijcere in nouationes & errores, & ( sicut in præcipuis Synodis factum est ) puram Christi doctrinam & articulos fidei integros & immutatos conseruare, non autem quicquam inno-

uare,

uare: tamen S. Augustinus de Baptismo contra Donatistas libro 2.  
Cap. 3. testatur multas Synodos plenarias correctas esse à successo-  
ribus sicut ab ipsis non raro doctorum Ecclesiasticorum scripta  
emendata sunt & q̄sdē prouinciales Synodi celsērit. Hæc enim ipsius  
sunt uerba: ipsaq; plenaria sæpe priora posterioribus emendari & c.  
Emendantur enim & corriguntur ea quæ aliquid uitij (ut leuissime  
dicatur) habere putantur. Præterea Panor: in C. significasti de ele-  
ctis perspicue conuincit uiri religiosi sententiam Vniuersæ Synodi  
opinionem anteferri debere, idq; confirmat cū multis alijs tūm præ-  
cipue exemplis Paphnutij in Synodo Nicena & Hieronymi. Itaq;  
etiam S. Augustinus in locis antea citatis sacram scripturam longē  
Synodis antepōnit.

Silentio hic præteribimus ea in quibus sibi ipsis contradixe-  
runt Synodi, quæq; præsertim recentes contraria diuino uerbo decre-  
uerunt. Reticebimus etiam mutationes cœnæ dominicæ contra in-  
stitutionem Christi & contra piarum communem Ecclesiarum usum  
una cum alijs impijs constitutionibus in Concilio Constantiensi &  
Basilienensi confirmatas, sicut ipsi fateri non uerentur. Quare diligenti  
consideratione expendendum est an cuiuscunq; Synodi censuris cau-  
sa submitti debeat. Hoc cum sit iam nos damnati sumus, ideo hic Ara-  
ticulus recipi non potest.

## DE SACRAMENTIS IN genere.

**N**olumus de Sacramentorum numero rixari, Tantum hoc  
monemus, uidendum esse, quæ uera & à Deo instituta Sacra-  
menta sint, quæ uerò ab hominibus excogitata. Sacramen-  
ta enim propriè dicuntur & sunt externæ & uisibiles Ceremoniæ ab  
ipso Deo præceptæ ac institutæ, annexam habentes promissionem  
gratiæ & remissionis peccatorum, per quas beneficia Domini nostri  
Iesu Christi nobis applicantur, per quas & Spiritus sanctus, non se-  
cus ac per uerbum efficax est in credentibus. Talia sunt Ba-  
ptismus, Cœna Domini, Pœnitentia & Absolutio. Reliqua quæ  
nec expressum mandatum Christi, nec promissionem gratiæ, & res-  
missionis peccatorum adiunctam habent, propriè loquendo non  
sunt Sacramenta. Si quis tamen uocabulum Sacramenti largo mo-  
do accipere uelit, multo plura erunt, mysticum aliquid significan-  
tia, quæ Sacramenta appellari poterunt, quemadmodum & à uete-  
ribus factum est.

## DE BAPTISMO.

**S**Vb hoc titulo ponuntur inter cætera hæc uerba : Mandato Domini, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizare iubens, quoties confertur Baptismus, & fides accipientis, si adultus sit: pro infantibus uerò, cum suscipientium eos & pro ipsis confitentium, tum totius Ecclesiæ fides, & fungentis Ministri uerbum, innititur, quatenus hic ait: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Hæc posterior pars falsa est, Quia infantes non fide suscipientium patronorum aut Ecclesiæ, Sed mandato & institutione Dei baptizantur, Et Spiritus sanctus, qui est in Baptismo efficax, propriam fidem in eis operatur. Nam cum sine fide Regni Dei hæreditatem consequi nemo possit, & Christus dicat, Sinite paruulos ad me uenire, horum enim (scilicet qui ad Christum perferuntur) est regnum cælorum: sequitur quod propriam fidem habere eos sit necesse. Eff enim ut rationi apparet uerbum Dei neq; audiant neq; intelligant, casum per Baptismum est efficax Spiritus Sanctus, etiam si ignoremus operationis huius modum, sicut uidere est in Iohanne Baptista, Spiritum sanctum in utero materno accipiente. Et efficit per Baptismum, motus in infantibus pro ipsorum modulo, ut timoris, fidei, dilectionis erga Deum, sicut cernere est in hoc exemplo Iohannis Baptistæ. Sine regeneratione enim quæ fit per Spiritum sanctum, nemo saluatur.

Hoc fatemur autem, inuocationem & preces Ministri & eorum qui Baptismo assistunt, non irritam, sed utilem & necessariam esse, &c. Reliqua quæ ibi de Baptismo sequuntur, non incommoda sunt.

## DE CONFIRMATIONE.

**Q**uanquam acta Apostolorum referunt, impositione manuum, qua Apostoli usi sunt, Spiritum sanctum uisibiliter datum esse baptizatis (quod singulare fuit primitiæ Ecclesiæ miraculum) unde postea ritus confirmationis defluxit, & alicubi rectè usurpatus fuit, nec adhuc malè examinis causa, adhibita manuum impositione & solenni petitione gratiæ Spiritus sancti, usurpari posset: Non tamen est traditio Catholica, quæ uel à Christo tradita, uel à tota Ecclesia uniuersim & semper obseruata fuerit, quemadmodum hoc inter cætera etiam liquet ex G. Quando de consue. & ibi per Panormitanum. Tum neq; mandatum certum, neq; promissionem habet, Nam dicta, quæ in libro ad eam comprobendam falso accommodantur, non de Confirmatione, sed de donatione Spiritus sancti, ad omnes pios omnibus temporibus pertinente, loquuntur. Nihil minus

nus igitur quam pro ritu Catholico & Sacramento habendū est hōc ineptum & ociosum Spectaculum, quod umbratiles Episcopi inde fabricarunt. Verum ita demum Confirmatio foret utilis Ceremonia & consuetudo, si Baptizati & Catechumeni posteaquam adulescenter de doctrina interrogati, exploratim confessionem eederent, & suam Ecclesie Christi fidem & obedientiam testatam facerent, & abiecta superstitione iuxta ritum Apostolicum, cum manuum impositione, pro ipsorum constantia & incrementis fidei, uota & preces fierent, omisis & exclusis abusibus, qui accefferunt, præsertim opinione necessitatis ad salutem.

## DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

**E** Numeratio peccatorum à Deo non est præcepta, cum sit impossibilis, iuxta dictum: Delicta quis intelligit? Remissio enim non ex enumeratione delictorum, sed ex promissione & absolutione pendet. Hoc autem iustum est, ut petiturus absolutionem à Christo institutam, fateatur coram Deo & ministro Ecclesie suum reatum, & si sentiat conscientiam suam aliquibus enormibus peccatis præcipue grauari, non inutile est ea in sinum Ministri deponere, ut melior sit occasio eius commonefaciendi & consolandi: Sicut usitatum est in nostris Ecclesijs neminem, sine edita prius confessione reatus & petita Absolutione, ad sacram communionem admitti.

Ingens autem discrimen est inter officium iudicis forensis & ministri Ecclesie impertientis mandato Dei absolutionem. Nec uerum est quod liber contendit: Sacerdotem non posse quenquam absolvere sine cognitione. Differunt enim iurisdictio ad publica & notoria crimina pertinens, & ministerium, habens mandatum, ut annunciet remissionem peccatorum omnium tam notorum quam ignotorum.

Resipiscentes item dignos poenitentiae fructus facere debere, minime dubium est ex scriptura: Sed tales fructus esse satisfactio- nes, quae peccatorum causas extirpent, & reliquis peccati medeantur, ut liber loquitur, falsum est. Nam ut Ambrosius inquit: Sola mors Christi satisfactio est pro peccatis. Quid uero fuerit in ueteri Ecclesia satisfactio, & quis eius in publica poenitentia usus, prolixum esset hoc loco commemorare, idque satis antea ex scriptis nostrorum & ueterum notum est.

## DE SACRAMENTO CORPORIS ET Sanguinis Domini nostri Iesu Christi.

**C**reditur, docetur, & fit à nobis in hisce regionibus iuxta uerbum & institutionem Domini nostri Iesu Christi, & secundum doctrinam, ac ritum ueræ Catholicæ Ecclesiæ Christi, Quare de eo non addimus hoc loco plura.

### DE VNCTIONE.

**Q**uod ad hanc attinet, uerum quidem est, Apostolos mandato Domini infirmos oleo unxisse, & alijs item modis, ut impositione manuum, sanasse, idemq; S. Iacobum usurpasse, quanquam paulo post ea res intercidit; nec inficias imus utile esse, ut presbyteri ad ægrotos accedant, cum illis orent, & morituros Deo commendent. Attamen hic ritus unctionis extremæ, qualis ante hæc tempora fuit, non pro traditione Catholica aut Sacramento habendus est. Non enim à Christo expresso mandato sancita est, nec à uera Catholica Ecclesia ubiq; & semper obseruata fuit, nec ueteres probati scriptores eius, quantum quidem nos scimus, meminerunt. Præterea in forma uerborum (quæ sic habet: Per istam unctionem remittat tibi Dominus, quicquid per oculos, nares, labia, aures pedes, deliquisti) remissio peccatorum huic inunctioni tribuitur. Deniq; inuocatione sanctorum mortuorum hæc ceremonia uiciata est.

### DE ORDINATIONE MI- nistrorum.

**D**e hac respondemus, quod supra in articulo de potestate Ecclesiæ diximus, & optamus, ut rectè & piè seruetur, nec tantum ociosum spectaculum sit, sed ut illorum qui ordinantur diligens exploratio & institutio fiat, & serias preces Ecclesia adiungat, ac morum & doctrinæ accurata inspectio ratioq; habeatur, ut uocati sanam doctrinæ uocem sonent, Sacramenta secundum institutionem Christi administrent, & uitam honestam agant.

### DE SACRAMENTO MA- trimonij.

**I**n hoc Articulo duo potissimum desideramus. Primum quod in casu adulterijs aut desertionis personæ innocenti admittitur licet  
bertas

bertas aliud coniugium contrahendi. Alterum est, quod matrimonium & sponsalia sine consensu parentum facta, rata habentur.

Nota est autem consuetudo, quæ mandato Illustriss. Principis nostri in Consistorijs & alibi in horum casuum diiudicatione obseruantur, quod scilicet causæ diuortij in iudicijs diligentissime cognoscuntur, & omnes pacis ac reconciliationis uiaë tentantur. Quod si ea non procedit, persona innocens libera pronunciat, & ei conceditur, ut suæ conscientiaë causa pie rursus contrahat. Deinde nec liberis permittitur, ut sine parentum consensu matrimonia contrahant: seruata tamen hac cautione, ne parentes sua potestate abutantur, sicut de his omnibus extat ordinatio Cellensis, auctoritate Illustrissimi principis nostri promulgata, iuri diuino, naturali & ciuili conformis, quod si igitur hæc duo membra ex sententiâ libri recipienda sunt, receptorum constitutionum ac iudiciorum in consistorijs nostris & conscientiarum multiplices turbationes & labyrinthi sequuntur.

### DE SACRIFICIO MISSÆ.

**I**Nitium huius articuli falsum est & impium, Non enim ex natura ueræ religionis origo est, sed Deus ipse immensa misericordia & doctrinam de se & ueros cultus, quibus coli uult, sua uoce illustribus testimonijs generi humano patefecit, & mandatis additis atq; comminationibus commendauit. Non enim ex se genuit Adam, sed ipso Deo distante accepit doctrinam & sacrificia sua. Absq; hoc si esset, nihil differrent ab eo genere operum, de quibus ait Dominus: Frustra colunt me mandatis hominum. Sed absit ut in hunc ordinem cogamus Adami & Abeli sacrificia, quæ uere fuerunt testimonia fidei ipsorum, quibus professi sunt se credere in uenturum semen, quod futurum esset uictima pro genere humano. Quod autem & gentibus postea sacrificia uisitata fuerunt, non natura duce didicerunt, sed imitatione primorum patrum, quorum sacrificia amissa doctrina sine fide & notitia seminis promissi retinuerunt, & multis modis deprauarunt.

In sequentibus, quod unicum sacrificium Christi agnoscunt, quo expiata sunt peccata mundi, & homines Deo reconciliati, non peccant. Sed statim rursus ueris falsa miscent, cum dicunt, reliqua omnia sacrificia (intelligunt autem suam Missam) unici huius sacrificij Christi applicationes esse. Nequaquam enim per Missam aut opus sacrificij, sed fide in usu coenæ à filio Dei institutæ, applicatur nobis sacrificium & mors filij Dei, cum scriptum sit: Iustus fide sua uiuit.



Ab hoc autem loco & deinceps usq; ad paginam B b ingerunt errorem de tribus legibus, quarum cuiq; sua sacrificia assignant. Nam legi naturæ sua fuisse sacrificia asserunt. Deinde legem Moisi sic milititer oblationes quasdam externas instituisse. Tandem vero Christum nouam legem mundo attulisse, in qua Christus tum summum illud & maximum sacrificium, per semetipsum obtulerit, tum Missæ oblationem lege perpetua nouæ legis sacerdotibus tradiderit.

Hinc manifeste apparet, quo protextu suam Missam nobis obtrudere conentur, hoc nimirum fucō, quod dicunt Christum suam legem nouo sacerdotio & peculiari sacrificio ornasse & instruxisse. Ac sacerdotes quidem huius nouæ legis esse Apostolos, & horum successores, ad hoc peculiariter consecratos. Sacrificium uero ipsum esse hoc Sacramentum corporis & sanguinis Christi, cuius duplicem usum instituerit & commendarit: Primum scilicet sumptionem, cum inquit: Accipite, edite (ubi tamen alteram sumptionis partem, de industria omittunt) Deinde oblationem, cuius oblationis ministerium Apostolis tradiderit, his uerbis, cum inquit: Hoc facite in mei comæ memoracionem.

Etsi igitur recte fatentur, sacrificium Christi quo semel in cruce defunctus est, unicam esse satisfactionem pro peccatis, quale non aliud sit in mundo, ideoq; Missam nō esse sacrificium propiciatorium, sed memoriam duntaxat illius cruentæ uictimæ in cruce oblatae, in quo minime errant: Nondum tamen inde conficitur Christum in nouo Testamento aliud Sacerdotium & Sacrificium præter *εὐχαριστία* & ministerium in Ecclesia instituisse. Nam ministerij in Ecclesia instituti partes aliæ non sunt, nisi doctrinam & Sacramenta alijs impartiri, nec administratio aut sumptio ministri cuiusmodi opus est, quod Ecclesiæ & alijs applicari possit, sed est officium, in quo Minister seruit alijs exhibens Sacramentum, quod quisq; fide percipiens, ipse sibi beneficia filij Dei accommodat & applicat, quæ quidem est uera & salutaris commemoratio mortis Christi, non in opere Sacerdotis, sed in ipsa sumptione & usu credentis consistens, de qua loquitur & Canon De consecrat. C. V. Cum frangitur hostia, cum sanguis de Calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Domini corporis in cruce immolatio, eiusq; sanguinis de latere effusio designatur? Hæc commemoratio cuiusq; sumentis, gratiarum actio & inuocatio, est sacrificium *εὐχαριστία*, & non oblatio illa Sacrificuli denuo Christum offerentis, quam uult liber. Quare iniuria sit patribus, cum dicta ipsorum, quæ de Sacrificio loquuntur, ad opus Sacerdotis in Missa detorquentur, Etsi enim mentionem faciunt sacrificij &

ficij & oblationis, tamen ita explicant, ut certum sit ipsos non de sacrificio ἵλαστικῶ merente remissionem peccatorum, nec de oblatione, sistente Christum patri, loqui. Hoc enim est solius filij Dei, seipsum offerre patri, ut Ebre. 9. dicitur. Hic per proprium sanguinem introiit semel in sancta Sanctorum, & in illo arcano consilio diuinitatis stans coram Patre, ut ἰκέτης καὶ μεσίτης, perpetuo interpellat pro nobis. Et Ephes. 5. Sicut & Christus dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis, oblationem & sacrificium Deo in odorem fragrantiae. De sacrificio autem hominum piorum dicunt Patres, quod sit εὐχαριστικόν, & (ut ipsi nominant) commemoratiuum, hoc est, in quo quisq; uera fide beneficia morte filij Dei parata, petit & accipit, & pro his gratias agit. Atq; hæc inuocatio & gratiarum actio semper in cœna Domini & sumptione legitima facienda est. Ipsa uerò Ceremonia per se sine fide & his fidei exercitijs Sacrificium non est.

Plane falso etiam & ueteratorie ad tuendum Missæ Sacrificij um Malachiæ sententia detorta est. Malachias enim non de Sacrificio Missæ uaticinatur, sed de Sacrificio Euangelij, per totum orbem in nouo Testamento promulgando. Quo etiam Apostoli & Patres respexerunt, Cum prædicationem Euangelij nominant Sacrificium. Rom. 15. Vt sum Minister Christi Iesu in gentibus sacrificans Euangelium Dei, ut fiat oblatio gentium Deo accepta & sacrificata in Spiritu sancto. Sic & Epiphanius ait: Sacrificantes Euangelium per orbem terrarum. Nec Tertullianus aduersus Marcionem libro 3. dictum Malachiæ aliter accipit, quàm de prædicatione Euangelij, & non de sacrificio Missæ, in quam sententiã liber illud citat.

Hic iterum se produnt, ut & infra de Communionem, se in Missa, sua oblatione & opere Christum patri sistere & offerre, quod tamen nullius hominis, sed solius filij Dei opus est, ut supra ex 9. cap. ad Ebr. ostensum est. Nequaquam igitur Deo Christum per nostrum opus offerimus, sed oramus eum, ut propter uictimam Filium Mediatorem nos recipiat & saluet.

Quod reliquum est de Inuocatione Sanctorum, & Memoria mortuorum, alio scripto sententiam nostram exposuimus, quam hic compendio ut sit in conspectu subiiciemus.

## DE INVOCATIONE SAN- ctorum.

Inuocatio

**I**nuocatio rei inuisibilis, quæ à conspectu abest nostro, tribuit eisdem omnipotentiam, quod hominum gemitus & corda introspiciat, cognoscat & iudicet.

Hic honos soli Deo competit, Ergo  
Inuocatio Sanctorum est impia.

Quod autem fingunt aduersarij, Deum Sanctis singulari modo notas facere posse preces nostras, friuolum est, & hominum figmenti opponimus grauissimum, & expressum mandatum Dei: dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias.

Nec sufficiens est oratio quorundam; Sanctos inuocari salutem ut Ministros & Intercessores. Quia ipsa inuocatio ad inuisibilem creaturam directa, per se testimonium est, tribui ei omnipotentiam.

II. Non alij præter Christum Mediatores & Intercessores inuocandi sunt.

III. Constat Sanctos non solum ut Mediatores, uerumetiam ut opitulatores & tutelares Deos cultos esse. Hæc Idolatria confirmatur, admissa forma precationis, de qua dicit liber.

IIII. Nullus cultus in Ecclesia instituendus est sine expresso mandato Dei. Nullum autem mandatum de inuocandis Sanctis esse, manifestum est.

V. Nulla potest nec debet fieri precatio, de qua dubitat conscientia, an Deo placeat. Incerta autem est inuocatio ad homines facta, cum sine uerbo Dei fiat. Contra uero rata sunt mandata de solo Deo per Mediatorem inuocando. Ac firmissimè tenenda est regula: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis.

Cum his manifestè pugnant ea quæ habet liber, qui non tantum de intercessione Sanctorum multa dicit, sed etiam de meritis Sanctorum, quod magis reprehensione dignum est. Ac præcipuè impudens mendacium est, quòd ait Patriarcham Iacob in hac religione nepotes suos erudisse, de suo & Patrum suorum nomine inuocando. Et corrumpit dictum Genes. 48. Vocetur nomen meum in eis, & nomen Patrum meorum, hoc est, Promissiones mihi & Patribus meis factæ iure hæreditario ad hos duos quoque pertinebunt, ut sint & ipsi pars Ecclesiæ & politiæ ac hæredes fœderis & salutis promissæ. Hac uera & natua loci illius sententiâ neglecta, falsam assuunt assertores inuocationis Sanctorum. Quare certum est, pios approbare non debere nec posse hanc partem libri, in qua inuocatio Sanctorum præcipitur & stabilitur.

Sed Historiam Ecclesiæ inde usque ab initio nosse, propter multas

multas causas utile est, ut in conspectu sint testimonia, quomodo uocata & condita sit Ecclesia, quomodo seruetur, & ut Deo gratiæ agatur, quòd tradidit doctrinam, & misit Doctores sanctos, & in eis testimonia de se ostendit. Item, ut Sanctorum exemplis doceamur & confirmemur. Hoc sine Sanctorum historias populo sæpe publicè proponimus & deinceps proponemus.

### DE MISSA PRO MORTUIS.

**M**issæ pro mortuis in Monasterijs & templis alijs, apud omnes ferè gentes, usitatissimæ sunt. Faciunt enim ad quæstum, & multi errores cum hac consuetudine Missas celebrandi pro mortuis simul in mundum irreperunt, quos nunc longum esset recensere. Est autem deprauatio Sacramenti, applicari id pro mortuis. Nam Sacramentum institutum est, ut uiuentium fides eo exuscitetur & confirmetur, item ad recordationem, &c. Mortui autem non interfunt. Et mendacium est, Sacrificium eis aliquid mereri per hanc ceremoniam. Quare & hic libri articulus nullo modo recipiendus est. Ac dictum quod citatur ex Dionysio de funeris ritu, prorsus non loquitur de Missa. Nihil item facit ad Missam, quod aliqui pro mortuis orarunt. Atq; de his quidem in præsentia satis.

### DE CANONE IN MISSA.

**C**um sit res magni momenti, & omnes homines ueritatem propter gloriam Dei & suam salutem serio quærere & conseruare debeant, nec ullum in Ecclesia constituere, & usurpare cultum non expressum uerbo Dei, dolendum est nihilominus in & cum Missis Pontificijs multa terra, quæ sequuntur, portenta contra & præter uerbum ac mandatum Dei in Ecclesiam irrupisse, quæ his postremis temporibus luce uerbi diuini detecta & ostensa sunt. Nam in Minore & Maiore Canone, oblationi panis & uini, & quidem nondum consecrati, affingitur, quod per hanc remissio peccatorum contingat, sicut uerba in utroq; Canone expresse habent. Suscipe sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo uiuo & uero, pro innumerabilibus peccatis meis, & offensionibus & negligentijs, & pro omnibus circumstantibus, Sed & pro omnibus fidelibus uiuis atq; defunctis, ut mihi & illis proficiat id ad salutem æternam, &c. Quæ quidem uerba in omnibus celebrandarum Missarum formulis reperiuntur.

Item in Maiore Canone, antequam adhuc facta est panis & uini

H h

uini

uini consecratio, hæc uerba fiunt : Vti accepta habeas & benedicas hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc sancta ✠ sacrificia illabata, quæ tibi offerimus pro tua Ecclesia sancta Catholica, Et post : Pro quibus tibi offerimus, uel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se suisq; omnibus, pro redemptione animarum suarum.

Addiderunt & characteres, qui ad uerba eius loci nihil proprius congruunt. Vnde in multorum simplicium animis hæsit opinio, illorum characterum ut consecrationem fieri, aut ad eam necessario requiri, &c.

Item. Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, &c. & cunctæ familiæ tuæ quæsumus Domine, ut placatus accipias, &c. Hæc & similia uerba prodigiosa pronunciantur de pane & uino nondum consecrato.

Deinde post consecrationem sequuntur hæc uerba : Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum uitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ : super quæ propicio ac sereno uultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ Abrahamæ, etc. Quæ uerba re ipsa hoc uolunt, Sacrificulum orare Deum, ut filium suum non secus ac Abelis & Melchisedecis sacrificium gratum habeat.

Item in fine inquit Sacrificulus : Sacrificium quod oculis tuæ Maiestatis indignus obtuli, sit tibi acceptabile, mihiq; & omnibus, pro quibus obtuli, sit te miserante propitiabile, &c.

Talibus & multis alijs manifestis & execrandis blasphemijs plenus est Canon, quarum nullam mentionem facit Suffraganeus in suis concionibus de Missa, sed arte dissimulat, interea plausibilia quædam laudans, ut : Gloria in excelsis. Kyrie eleison, &c. Item preces pro omnibus statibus faciendas, &c. Quæ quidem per se nobis & nota & uisitata sunt, uerum de illis, quæ diximus, de quibus maximè agitur, & quorum manifesta est profanitas & impietas, altum ibi silentium.

At decernit liber, ne quid omnino in Canone mutetur. Quod decretum si recipimus, assentiendum erit omnibus istis portentis, quomocumq; pingantur. Ac si Canonis interpretatio aliqua singularis ad populum seorsim recitanda, sicut promittit liber, artetur, Sacrificulus in Missa recitatione Canonis Deum horribili afficiet contumelia, & eam blasphemiam alia interpretatione ad populum fucabit, atq; ita ex eodem ore simul frigidum & calidum, maledictiones & benedictiones efflabit.

Manifestum

Manifestum est etiam usum Missæ, qui obtinuit hæctenus, olim in Ecclesia Catholica non ubiq; fuisse eundem. Et evidens est diversitas Canonis, quem Græcæ & aliæ Ecclesiæ nō habent per omnia similem. Præterea alia prorsus est forma Missæ Iliodori in Ecclesia Toletana in Hispania: alia item in ipsa Italia Ecclesiæ Mediolanensis. Et Gregorius Augustino Cantuariensi, cum constitueret Ecclesiam in Angliā, liberum permisit, ut quam uellet formam eligeret, Testatur etiam Gregorius, paulò aute sua tempora Canonem scriptum esse. Nec parua reperitur in antiquis codicibus in Canone dissimilitudo, & apparet, subinde alios plura attexuisse. Ac manifestè fatetur autor libri rationalis diuinorum, Petrum & cæteros Apostolos ad communionem nihil amplius, quam orationem Dominicam, & uerba consecrationis recitasse, idq; uestibus usitatis indutos. Ibidemq; & in Decretis Canonicis, & in hortulis animæ (ut uocant) explicatur, quid quisq; Pontificum addiderit, in quibus ipsis permagna est uarietas. Adeoq; totus Canon est quiddam ex dissimilibus & inter se non coherentibus partibus confarcinatum.

Quod ad nostras Ecclesias attinet, Missam celebramus debita reuerentia, & uestitutu ac ornatu decenti, adhibitis pijs cantionibus & lectionibus die Dominico & diebus festis, quotiescunq; ad sunt communicantes. Ac promittimus nos etiam alijs in septimana diebus pro locorum & oppidorū ratione missam celebrare, ad eamq; rem certos dies, ubicunq; aderunt communicantes, destinare uelle.

## DE CEREMONIIS.

**I**N nostris Ecclesijs præcipuæ Ceremoniæ, quæ sunt utiles Ecclesiæ, ut dies Dominicus, Festa, cum usitatis lectionibus & cantionibus, non multum immutatae sunt, ac deinceps quoq; eas studiose retinebimus. Quod si in rebus istis Adiaphoris bono consilio eorum, quibus gubernatio Ecclesiarum commissa est, aliquid deliberatum fuerit, quod ad concinnitatem aliquam rituum, & ad bonam disciplinam faciat, in hoc concordia & bono ordini non deerimus. Nam de rebus per se medijs non uolumus quicquam rixari, quod ad externum attinet usum. Neq; nos turbat uel carnum uel piscium esus.

Non tamen concedendum est, ut doctrinā de discrimine uerorum & necessariorum cultuum Dei, & talium rerum mediarum non necessariorum, extinguatur & obruatur: Sicut Augustinus suo tempore, & Gerson ante annos centum ualde questi sunt.

Est enim in maxima parte Ecclesiæ semper errores sunt: Tam

eamen in aliquibus manet recta Dei agnitio & inuocatio uera, ac plus lucis doctrinæ coelestis, quam in promiscua multitudine. Ac uult Deus, ut de ueris ac necessarijs cultibus Dei, quilibet fideliter erudiat, atur.

Quod autem ad cantiones attinet de sanctis, dictum est antea, inuocationem non esse recipiendam.

Item, Cum in nostris Ecclesijs retineamus integri Sacramenti uerum usum, nec diuellamus partes, processiones, in quibus altera pars circumgestatur, prorsus omittendæ sunt.

Adhæc uerissimum est, Sacramenta tantum in suo usu, qui in uerbo institutus est, uera esse Sacramenta, non cum ad actiones alienas & diuersas extra finem institutum transferuntur. Ideò spectacula circumgestationis in processibus impia sunt, nec stabiliri aut restitui debent.

Præterea etiam ipsis aduersarijs notum est, Priuatas missas, inuocationem Sanctorum, Sacrificia pro mortuis, processionem, & id genus alia, etiamsi excusari possent, minime tamen necessaria, & ualde periculosa esse, & rem pessimi exempli & scandali esse, talia in hæc Ecclesias reuocare, quo multi deteriores fierent, p̄i uerò conturbarentur, multis etiam persecutionibus causa præberetur, ut sacerdotes & alij in exilium pellerentur, & ad carceres & fortassis etiam ad neces raperentur.

Quod ad Agendam, cum in ueteri multi sint abusus, & in nostris Ecclesijs iam aliquot annos pia forma sit usurpata, iudicamus nostram & retinendam, & auctam typis rursus excudendam esse. Vtq̄ in administratione Sacramentorum & uerbi utamur lingua uernacula utilissimum est, adeoq̄ ex sententia Canonum C. Quoniam am in plerisq̄ locis de offi. iud. ord. & c.

Cæterum ornatus Ecclesiasticus retinetur magna ex parte in Ecclesijs nostris. Ac sicubi fortè hic intercidit, facile ad usum conuenientem reuocari potest.

Eodem modo & cantiones piæ de tempore & festis retinentur, & offerimus nos quicquid statutum fuerit, quod ad bonum ordinem & decorum in publicis congressibus, & ad honesta exempla faciat, libenter admissuros & executuros esse. Scit enim DEVS ἡ κατὰ το γνῶσκς, nos nihil magis in uita exoptare, quam Deo placentem, pium, & salutarem politiarum & Ecclesiarum statum.

Vigiliæ reuera fuerunt excubiæ, quæ fiebant ad corpora mortuorum, in quibus consolationis & exhortationis causa lectiones & cantiones ex Sacris literis de resurrectione mortuorum propositæ sunt.

sunt. Quæ res postea in abusum cessit, & ad hominum mortuorum redemptionem promerendam perperam translata est.

Ad memoriam mortuorum celebrandam magis prodest uita Christiana, & beneficentia erga alios, monumenta publica, annua Eleemosynarum, quas morientes pauperibus legarunt, distributio, in qua pro donis à Deo collatis per multos (quod de Eleemosynis Paulus scribit) Deo gratiæ agantur. Omnium uero optima memoria hæc est, de qua scriptura inquit: In memoria æterna erunt iusti. Preces etiam pro morituris in agone fieri oportere, omnino censemus, quemadmodum & Ecclesia canit: Deus uita uiuentium spes morientium, salusq; omnium in te sperantium, miserere omnium ex hac luce migrantium. Idem cuiusq; in extremo agone clementer miseretur.

Simul autem de ijs, qui in uera fide ex hac uita decedunt, certa extat promissio ab ipso Domino nostro Iesu Christo tradita et confirmata. Iohan. 5. Amen amen dico uobis: Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non ueniet, sed transibit à morte in uitam. Hanc certam consolationem nobis eripi non sinamus, sed ea tum in nostra, tum amicorum morte nos certo sustentemus, sicut & D. Paulus ad Theſ. monet. Nec consultum est, ut nos ab his firmissimis & immotis testimonijs diuinis, ad incertas disputationes & opiniones abduci, & in extremo uitæ articulo labyrinthis inextricabilibus implicari nos patiamur. Sed nostras & aliorum mentes ueris consolationibus & uera inuocatione Dei erigamus & obfirmemus. Econtra de non credentibus tristissima sententia lata est. Iohan. 3. Qui non credit iam iudicatus est, & manet super eum ira Dei. A qua tu nos filii Dei in æternum seruabis.

Festa, quorum mentionem facit liber, in nostris Ecclesijs ferè omnia retinentur, sed non hoc sine, ut sanctos inuocemus, & ipsorum orationibus ac meritis iuari nos petamus. Sed ut Deo gratias agamus, quod per eos propagarit & sparserit suam doctrinam, & proposuerit eos Ecclesiæ suæ dilectionis, constantiæ, fidei, spei, patientiæ & aliarum uirtutum exempla, Pro qua re Deo gratias agimus, & petimus, ut idem nobis adsit, faciat nos uasa misericordiæ suæ.

Dies Rogationum cum spectaculis processionum, in Ecclesijs nostris abrogati sunt. Verum preces & Litanie singulis totius anni septimanis sollicitè fiunt.

Benedictiones æquæ, salis, herbarum, placentarum, & aliarum creaturarum, cum his tribuatur potentia diuina fugandi Demones, delendi



delendi peccata & tuendæ salutis : non possunt sine profanatione nominis diuini, & sine superstitione seruari. Sed ut Deo gratias agamus pro cibo & cæteris rebus, quibus ad sustentationem corporis indigemus, summe necessarium & à Deo mandatum est.

De esu carniùm, politicus magistratus statuet : Ita tamen ne affingatur opinio cultus, & ne conscientijs laquei iniiciantur, sicut & Panormitanus in talibus traditionibus suadet : Cum olim. De Clericis coniugatis.

Coniugium sacerdotum & sumptio utriusq; speciei in Sacramento, adeo euidenter diuinis testimonijs confirmata sunt, ut de his ambigi non possit. Nec nos ista permissione aliqua humana, sed auctoritate & instituto Dei retinemus, & contraria improbamus.

Ac mirum est in his duobus articulis, qui à Patribus consentientibus suffragijs traditi & recepti sunt, antiquitatis testimonia non admitti : cum tamen aduersarij ipsi ex patrum malè intellectis & citatis testimonijs suos de Sacrificio errores, Missam, oblationē pro mortuis, inuocationem Sanctorum, purgatorium etc. defendere conentur. Et contra Patres ipsi suis scriptis plus fidei haberi non uelint, quam quatenus cum scriptura sancta consentiunt, sicut hac de re extant Cypriani Augustini sententiæ memorabiles Decretis Canonicis insertæ : præsertim Dist. Nona. C. Noli meis August. lib. 1. De Trinit.

Ad constituendam & firmandam disciplinam Ecclesiæ, utile esset ueram & Christianam excommunicationem sanciri : Quemadmodum & poenitentia publica iam apud nos in usu esse cœpit.

Atq; hæc quidem summa est sententiæ nostræ, quam in præsentia rogati de consultatione libri Augustini pro ratione officij nostri breuiter, quantum quidem ex uerbo Dei edocti sumus, animo bono ac pio edendam esse putauimus. In qua certis & grauibus de causis non de omnibus litigare & pugnare uoluimus, Sed in hac temporis angustia nostro loco tantum de necessarijs monere, & ijs quorum interest de hoc negotio diligentius cogitandi causam præbere uoluimus. Ac oramus Deum, ut hæc tanta res, in qua non tantum pax & tranquillitas politicarum, Sed multo magis salus animarum in multis regionibus, & gloria Dei, agitur ac uertitur, pro dignitate & magnitudine satis expendatur.

Dominus noster Iesus Christus illuminet omnium hominum summorum & infimorum corda, & faxit, ut quicquid huius sit, ad Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem et animarum salutem potissimum dirigatur, Amen.

Hæc

Hæc indicatio ad postulata supra exposita directa sic fuit, ut in primis de præcipuis capitibus doctrinæ significaretur, De iustificatione, potestate Ecclesiastica, Sacramentis, Missa, Canone, inuocatione Sanctorum, exequijs mortualibus, consecrationibus creaturarum & cæteris Ceremonijs, neq; quicquam à scientibus quidem, ommitteretur, quod ad auertendum falsam doctrinam, & abusus reprimendos valeret. Et quæ impietatem haberent omnino, disertè, perspicuè, fideliter exponeretur. In rebus verò non necessarijs hoc præstitum, ut neq; certamina superuacanea temerè mouerentur, neq; animorum acerbitas augetur, neq; difficultates nouæ introducerentur, sed quæ ad non intollerandam concordiam atq; consensionem prodesse possent, ad ea quasi iter monstraretur quod ingredi liceret. Itaque de Adiaphoris sic responderunt ut promitterent à se de ijs quæ exempli boni essent & ad disciplinam Ecclesiasticam facerent, omnibus, quod an fieri ita aut non fieri debuerit, alibi queretur. Dissimulare tamen non possumus reprehendi à Flacio & quinq; Subscriptoribus, cum in alijs scriptis nostrorum, tum in hoc ipso, quod contra ea capita, quæ in libro INTERIM articulum de Iustificatione præcedunt, nihil disputarint, neq; de ijs controuersiam esse scripserint, ex quo illi multas tetras suspiciones & insimulationes deducunt. Etsi autem omnes intelligunt, qui rem considerant, qualis hæc sit Flaciana criminatio, Tamen Vuimariensis de libro INTERIM censura, quæ viginti diebus, aut circiter post

post hanc nostrorum scripta est, & Superintendentium  
omnium ditionis illius subscriptionibus approbata, hæc igitur  
hoc idem facit, Nam ea similiter non damnat primos  
tres articulos. Ienunia igitur & incogitans malicia notes  
tur, quæ in alijs accusat, quod suos vsurpasse non meminit.  
Hoc igitur scriptum Theologorum cum vniuersi qui ad il  
las deliberationes ex ordinibus conuenerant, consentienti  
bus voluntatibus et sententijs approbarent, et subeunda pos  
tius omnia sibi statuerent, quàm quæ impia esse docerentur  
& intelligerent, ea vlllo modo vt reciperent, atq; cum  
Theologis de retinenda veritate doctrinæ consensione præ  
clarissima se coniungerent, Tum igitur vniuersæ deinceps  
deliberationes de eo fuere, quid ad Cæsarem faciendum, &  
huic responderi deberet, ac visum primùm conscribendam  
à Theologis summam quandam omnium capitum vniuersæ  
doctrinæ Ecclesiarum nostrarum, quæ ad Cæsarem mitter  
retur, de qua cognosceretur, in quibus hæc à libro receder  
ret aut non recederet, Cui communiter Theologi & ordi  
nes Politici subscriberent, quam operam, cum peteretur,  
Theologi in se receperunt. Sed de subscriptione monuerunt  
vt sequitur quæ scripto comprehensa ordinibus tradider  
runt.

**C**oncionatorum munus hoc tantum est, quid uerum sit fideliter  
demonstrare. Muneris enim nostri non est insuper uel Princeps  
uel subditos confessionis nostræ periculis onerare, Sed de  
his unumquench; apud se statuere oportet. Quod si communiter cum  
regionum ordinibus subscriberemus, haberet res hanc speciem, quasi  
uellemus ipsos ad nos defendendum obligare, id quod minimè agi  
mus, sed petimus ut ordines ipsi constituent, quid usq; ad extrema  
omnia

omnia & immutabiliter retinere uelint, & sua pericula ipsi ut considerent. Nos his Ecclesijs, largiente gratiam Deo, fideliter & concorditer operam nostram dabimus quam diu nos ferent, neq; causas à nobis disidijs aut dissipationibus suppeditabimus, pericula nostra Deo permittentes.

*His igitur actum à Theologis hoc fuit, quod semper alias, ut ipsi suo periculo rem agerent, non alios inuoluerent. Sed cum ordines in sententia permanerent, & ut doctrinae summa conscriberetur postularent, ita deinceps Theologi ad rem accesserunt, & proëmiolum primum, quod tractationi praemitteretur, compositum. Postea D. Philip. Melanthon à capite de Iustificatione rem exorsus (nam quae ante hoc caput in libro Augustano sunt, non oppugnantur) usq; ad caput de bonis operibus progressus fuit, & utramq; doctrinam perspicuè & dilucidè explicatam scripto comprehendit, atq; ibi opera haec impedita aliorum diuersis consilijs substitit, quae qualia fuerint, mox exponetur, quod antequàm faciamus, prius hoc loco hanc in opera mandata Theologorum inchoationem, hoc loco subiiciemus, cum improbitas & Sycophantica malicia Flacciana factionis caput de Iustificatione à Theologis in conuentu Misnensi deprauatum, impudenter scribere ausa fuerit, & magnos labores à Theologis breui tempore exhaustos multipliciter suspectos fecerit. In quo tamen lectores moneri oportet, esse haec sic scripta, ut libro Augustano operarentur, & ubi in hoc uera falsis miscerentur, demonstraretur. Itaq; pluribus locis uerba libri inserta usurpantur, in primis mentio vno in loco necessitatis operum ad salutem,*

tem, quæ formula verborum nostris Ecclesijs alioquin in  
vfu non est, nec fuit, vt quid in illis & quo sensu ferri aut  
non ferri possit, explicetur, quæ collatione facta ab intelli-  
gentibus facile deprehendentur. Doctorem Crucigerum  
multi ex nobis sciunt, paulò ante mortem de hac explica-  
tione articuli Iustificationis in eam differuisse sententiam,  
vt affirmarit, credere se vix concinniore[m] aliam & illu-  
striorem, & verbis expositam significantioribus ac magis  
proprijs linguæ patriæ, in recentibus nostrorum scriptis re-  
periri, seq[ue] in ea iam morti propinquum cum efficaci sensu  
viuidæ ac veræ læticiæ in Dei misericordia morte vnige-  
niti filij Iesu Christi declarata suauiter acquiescere. Estq[ue]  
ex hac descripta, sed paulò breuius, illa ipsa doctrinæ no-  
stræ formula, quæ Episcopis Peganiæ viuo adhuc Docto-  
re Crucigero à Theologis proposita, & horum fuit assen-  
sione approbata, vt infra dicitur. Sed Flaciana improbitas  
& hanc est impudenter calumniata, & de Pegauiensibus  
tractationibus, deq[ue] corrupto in ea collatione articulo ius-  
tificationis mendacia sparsit horrenda. Inchoatio autem  
illa explicationis doctrinæ hæc est, vt ex archetypis con-  
uertimus.

DE IUSTIFICATIONE HOMINIS  
coram Deo gratuita & noua obedientia, doctrina no-  
strarum Ecclesiarum scripto repetita à Theolo-  
gis in Vrbe Mysena, Anno

1548.

Eclli

**E**tsi Deus certis & illustribus testimonijs resuscitatione mortuorum & alijs miraculis sæpe repetitis sese patefecit, Et miserrimo generi humano uocem doctrinæ, Legis & Euangelij certam & illustrem immensa bonitate tradidit. Tamen inde usq; ab initio generis humani, semper fuerunt diuersæ eaq; dissimiles de Deo, & de doctrina cœlesti opiniones, & tristia de his certamina, nec dubium est, duraturam esse hanc dissimilitudinem, donec in nouissimo die Deus ad iudicium manifestò ueniat.

Nos autem cum uocem illam doctrinæ, quæ iam annos amplius 5500. in Ecclesia subinde sonuit, ueram & diuinam uocem esse certò statuamus, & sciamus mandatum omnium summum & maximum esse, ut doctrinam traditam ac comprehensam scriptis Prophetarum & Apostolorum discamus & conseruemus, qua sola uoce & non aliter Deum æternam Ecclesiam sibi in genere humano subinde colligere certissimum est, ideo cum iussi simus exponere, quæ sit de præcipuis eius doctrinæ articulis, nostra & Ecclesiarum nostrarum sententia, hanc ueram, simplicem ac perspicuam asseuerationem nostram sæpe alias exhibitam, breuiter repetimus.

Primum omnium testamur certò nos credere ac statuere, scripta Prophetica & Apostolica conseruata in Ecclesia mirabili & inenarrabili bonitate Dei, uera & certa esse, Et Deum in scriptis illis, sese & uoluntatem suam generi humano, immensa misericordia patefecisse, & sola hac uoce & non aliter æternam sibi Ecclesiam subinde colligere.

Illa igitur scripta Prophetica & Apostolica testamur nos fide indubitata amplecti, Et quidem illum ipsum perpetuum consensum scriptorum Propheticoꝝ amplecti nos fatemur, qui est expressus in Symbolis Apostolico, Niceno & Athanasiano, & in Concilijs probatis, Niceno, Constantinopolitano, Ephesino & Chalcedonensi. Nec dubitamus consensum illū expressum in Symbolis & Concilijs illis purioribus habere testimonia Prophetica & Apostolica, & esse consentientem, ac perpetuam Catholicæ Ecclesiæ Dei uocem amplectentis doctrinam cœlestem, incorruptam.

Fatemur hoc quoq; semper esse & fuisse Ecclesiam Dei uisibilem, inde usq; ab initio generis humani, postquam Adam conditus & post lapsum receptus est, Et in hac uera & perpetua Ecclesia Dei subinde uocem uniuersæ doctrinæ cœlestis, Legis & Euangelij fuisse & sonasse & deinceps etiam mansuram esse, usq; ad finem mundi non dubitamus.

Est autem Ecclesia Dei cœtus uisibilis amplectentium uocem

cem Euangelij incorruptam & rectè utentium Sacramentis, in quo coetu filius Dei per ministerium Euangelij & Sacramentorum uerè est efficax, & multos ad uitam æternam regenerat. In quo coetu tamen multi non sunt Sancti, sed de uera doctrina consentientes.

Hæc uera Ecclesia omnibus temporibus, ab alijs omnibus gentibus & falsis religionibus omnium gentium distincta fuit, his signis infallibilibus; conseruatione & professione doctrinæ uniuersæ à Deo traditæ, legitimo usu Sacramentorum, Et obedientia debita ministerio Euangelij, quod semper in Ecclesia fuit ac conseruatum est.

Cumq; nunc loqui nos oporteat de Ecclesia, quæ uoce Euangelij inde usq; collecta est, postquam filius Dei apparuit, & in cruce uictima factus, mortuus, sepultus & resuscitatus est, Testamur nos tanquam uocem diuinam amplecti doctrinam, quam filius Dei ex sinu æterni Patris protulit, comprehensam & sparsam toto orbe terrarum, uoce & scriptis Apostolorum, Ac disertè repetimus quod paulo ante sumus testati, amplecti nos consensum illum perpetuum Prophetarum & Apostolorum expressum in Symbolis Apostolico, Nicæno & Athanasiano, & Concilijs probatis & orthodoxis, quæ antea commemorauimus, Ac Symbola illa toto pectore credimus, & fideliter enarramus.

Cumq; in scriptis illis Propheticis & Apostolicis & Symbolis receptis perspicua ueritas, de rebus necessarijs, de peccato, de fide accipiente remissionem peccatorum, de Ecclesia, de usu Sacramentorum, & alijs necessarijs doctrinæ partibus comprehensa sit, sententiam Ecclesiarum nostrarum fideliter recitabimus. Nec dubitamus uocem doctrinæ sonantem in Ecclesijs nostris, & explicatam à multis uiris honestissimis, pietate & doctrina excellentibus, consensum esse unicum & uerissimum catholicæ Ecclesiæ Dei, & omnium uere Deum inuocantium, Et hanc uocem nostram gloriæ Dei seruire, & omnibus pijs salutarem esse certò & sine ulla dubitatione statuimus.

De nobis etiam & de uoluntatibus nostris disertè testamur, nulla nos noua dogmata tradituros esse, nec uocem doctrinæ aliam amplexuros, quam unicam illam & æternam uocem sonantem in Euangelio Domini nostri Iesu Christi, & expressam in Symbolis & traditam in Ecclesia Catholica omnium temporum, & in ea à pijs & intelligentibus receptam & explicatam. Et Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore oramus, ut regat, gubernet ac seruet nos, ut uera & salutaria doceamus, & Catholicæ Ecclesiæ eius ciues in tota æternitate simus.

Nunc

Nunc dicemus de Articulo Iustificationis, nam quæ hunc antecedunt in libro Cæsaris, non controuertuntur.

## DE IUSTIFICATIONE HOMINIS peccatoris coram Deo.

**P**ostquam dictum est, mirabili & inenarrabili consilio Dei, Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, constitutum esse se, ut sit Mediator, Iustificatio & Saluator, quodq; propter hunc remissio peccatorum, iustificatio & reconciliatio, Spiritus sanctus & uita æterna certò nobis donentur, Porro etiam exponendum est, quomodo ingentia illa bona ac beneficia consequamur, Hanc adplicationis rationem isto modo tradimus.

Et si Deus iustificat hominem non propter sua aliqua operum suorum merita, sed immensa misericordia gratis absq; meritis nostris, ne nostra sit gloriatio, sed Christi, cuius solius merito accipimus remissionem peccatorum, & pronunciamur iusti, hoc est, accepti & placentes Deo, Tamen non est in homine efficax tanquam in trunco nihil agente, Sed ita hominem trahit ac conuertit, ut in adultis & doctrinam intelligentibus, aliquam uelit esse uoluntatis actionem, quæ suam efficaciam comitetur.

Certissimum enim est non accipere beneficia Christi eum, qui nondum perterrefactus est aliqua agnitione iræ Dei aduersus peccatum, quicq; dolores nullos propter peccatum sensit, omnia enim hæc in uoluntate & corde necesse est præexistere, & ab ipso Deo feriente corda & uoluntates iræ suæ sensu, efficiuntur. Cum enim peccatum causa sit immediata inimicitiae inter Deum & homines, Nemo ad thronum gratiæ accedere & petere reconciliationem potest, nisi aliquo dolore propter peccatum adficiatur, & poenitentia non simulata ad Deum à peccato conuertatur. Ideo Baptista tanta seueritate concionem poenitentiae, toto tempore ministerij sui urfit, clamitans, Agite poenitentiam, quoniam appropinquat regnum cælorum.

Ac sine ulla dubitatione uerissimum est, oportere aliquem esse contritionem, seu sensum dolorum, agnita ira & iudicio Dei aduersus peccatum. Nam inmanente securitate contemnente Deum, & furenter in sceleribus perseverante, certum est nullam esse nec conuersionem nec peccatorum remissionem.

Ideo inquit Ilaías: ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito & tremente. sermones meos, Et Moses, Deus tuus ignis consumens



sumens est, id est, uerè & horribiliter irascens peccatis, sicuti hanc suam iram & iudicium statim post lapsum primorum parentum, & uocem suam & poenis horribilibus omnium temporum ostendit, ac declarauit. Et postea uocem legis admirandis & terribilibus testimonijs in monte Syna repetiuit, ut esset iræ & iudicij sui æternum testimonium, & ut doceret mortem & alias calamitates mortem comitantes, commonefactiones esse & testimonia sui iudicij, Et uult in Ecclesia usq; ad diem nouissimum, sua uoce & Spiritu sancto perpetuo argui peccatum in cordibus, sicut scriptum est, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me, Iohan. 16.

Non solum autem iræ testimonia illustria Deus ostendit, sed etiam edita promissione perspicua de Filio suo misericordiam inenarrabilem patefecit. De hac promissione misericordiae gratuita æterna & immota eius uoluntas est confirmata iuramento ipsius, & Filij sui morte, sanguine & gloriosa resurrectione & alijs miraculis, ut certò statuamus, uelle se propter hunc Filium remittere peccata, & per eum dare Spiritum sanctum, iusticiam & uitam æternam omnibus ad Filium fide confugientibus, & in doloribus illis ac sensu iræ suæ uoce Mediatorem illum ac propiciatorem propositum certo detur promissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, Spiritus sanctus, iusticia & uita æterna, gratis fide, absq; operum nostrorum meritis, aut dignitate nostra.

Hæc de promissione uoluntas certa & indubitata est, Ac fides illa quam postulat promissio, est assentiri omni uerbo Dei, & in hoc promissione gratiæ, quæ expressa est in Symbolo his uerbis, credo remissionem peccatorum. Et est fiducia acquiescens in hac promissione & credens non solum alijs, sed sibi quoq; certò remissionem peccatorum dari & adplicari.

Et si uero cœtui Ecclesiæ permixti sunt homines innumerabiles socij confessionis & doctrinæ eiusdem, qui se credere gloriose iactant, Tamen cum perseuerent in sceleribus contra conscientiam, manifestum est somnium fidei & mendacium esse, quodcumq; eiusmodi homines tumidè prædicant. Nam qui sunt tales, non credunt sibi remissionem peccatorum dari, nec expetunt nec accipiunt promissionem, & fugientes Deum & frementes aduersus eum consolationem fidei nullam sentiunt, nec exercitia ulla inuocationis intelligunt. Nec dubium est fidem in Diabolis, de qua dicitur, Dæmones credunt & contremiscunt, esse horribilem sensum iræ Dei & fremens tum aduersus Deum, Et discrimine multiplici distinctam esse ab alia  
tera

tera illa uiuifica & iustificante fide, quæ promissionem Euangelij amplectitur, & est sensus consolationis & læticiæ in Deo, de qua expressa & illustrata sunt Pauli testimonia Rom. 4. ubi multis argumentis ostendit, loqui se de fide adprehendente promissionem, non de sola noticia, qualis est in diabolis aut hominibus perseverantibus in furoribus contra conscientiam. Est igitur fides illa (ut diximus) assentiri omni uerbo Dei nobis tradito & in hoc promissioni gratiæ, Et est fiducia promissæ misericordiæ, qua cor propter mediatorem & per eum liberatur ex doloribus inferorum, & accedit ad Deum & inuocat eum, clamans, Abba pater, & hac uera consolatione acquiescit per filium dato Spiritu sancto.

De hac fide loquitur Esaias, & Paulus Rom. 10. Verba Esaiæ allegans, Qui credit in eum non confundetur. Estq; uerissimum non posse corda ullo alio modo ad Deum accedere aut remissionem peccatorum accipere nisi in solo illo & unico nomine filij Dei, sicut scriptum est, Nemo uenit ad Patrem nisi per Filium.

Spiritus autem Sanctus hoc ipso modo & non aliter in corda effunditur, cum in uera conuersione audita & accepta uoce Euangelij sese erigunt ac consolantur, Sicut inquit Paulus Galat. 3. Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Et datur Spiritus sanctus ideo, ut in accendenda consolatione & uita noua sit efficax & uirtutes necessarias inchoet & confirmet, quales sunt, fides & inuocatio accedens ad Deum, timor Dei, Dilectio, bonum propositum, spes & aliæ similes, Tales autem qui sunt domicilia Spiritus sancti, & in quibus accensa est fides & fiducia filij Dei, dilectio, spes & aliæ uirtutes, hæreses sunt uitæ æternæ propter solum mediatorem filium Dei & per eum, gratis, non propter accensam & inchoatam à Spiritu sancto nouitatem, Sicut expressè inquit Paulus, Donum Dei est uita æterna per Christum Iesum Dominum nostrum.

Cumq; inde usq; ab initio generis humani, postquam recepti sunt Adam & Eua immensa bonitate Dei, collecta sit & conseruata uera Dei Ecclesia, cui uocem promissionis de uenturo Mediatore tradidit, etiam hanc ipsam sententiam & doctrinam nostram de remissione peccatorum gratuita in ea sonuisse & conseruatam esse nullum est dubium.

Esti uero in magna generis humani parte hic intellectus promissionis sæpissimè obscuratus est, quorum alij proprijs operibus ac meritis remissionem peccatorum quæsiuerunt, alij perpetuis dubitationum fluctibus oppressi perierunt, quales fuerunt apud Ethnicam multitudinē innumerabiles, apud quos memoria promissionis tandem

dem prorsus extincta & amissa est, Tamen Deus immensa bonitate intellectum promissionis perspicuum & illustrem scriptis Prophetarum & Apostolorum tradi & conseruari uoluit, & huc in Ecclesia saepe repetitum ipse illustrauit, ne in genere humano noticia & honor filij sui prorsus extingueretur, & ut æternam Ecclesiam sibi in genere humano colligeret, & subinde multos uitæ & salutis æternæ hæredes faceret.

Adfirmamus igitur falsum esse & mendacium horribile, quod dicunt aduersarij, dubitandum esse an habeas remissionem peccatorum, & in hac dubitatione perseverandum esse. Est enim mandatorum omnium summum & immutabile hoc præceptum, ut filio Dei & promissioni gratiæ credamus, & fide eam amplectamur, Sicut inquit Paulus: Ideo ex fide gratis ut sit firma promissio. Et Iohannes, Qui non credit Deo, mendacem eum facit. Et consideretur seueritas uerborum Iohannis, quod tanquam fulmine horribili uocem illam damnat, quæ dicit, non credendum sed dubitandum esse de remissione. Est uerò pijs omnibus illa ipsa uox consolatio dulcissima, quod certò sciunt uelle Deum & seuerissimè præcipere, ut quisq; sibi dari remissionem peccatorum certò credat & in hac promissione acquiescat.

Quod uero obijcitur promissionem conditionalem esse, Et solum Deum intelligere, qui sint digni remissione, qui indigni, Id eorum oritur ex profundissimis tenebris ignorantium, quod sit discriminem Legis & Euangelij.

Propter hanc ipsam causam factum est decretum admirabile maxime de mittendo filio, & edita per filium promissio gratiæ, quia sumus indigni, Et uoluntatem erga nos benignissimam, ideo uoce promissionis Deus ostendit, ut in genere humano immensæ illius misericordiæ noticia & intellectus extaret, & ne dubitatione perpetua Ecclesia opprimeretur, quemadmodum opprimuntur Ethnici, qui etiam habent particulam legis de aliquibus externis officijs ciuilibus, Tamen prorsus ignorant filium Dei & Euangelium, Et dubitant an curet eos Deus, an recipiat, exaudiat aut iuuet eos, Deniq; nihil intelligunt omnium eorum, quæ in genere humano à Deo geruntur in collectione & saluatione Ecclesiæ.

At in Ecclesia Dei utrumq; conspici & intelligi oportet, & tanquam ueritas æterna & immota sine hæsitacione ulla recipi ac credi, Primùm irasci Deum horribiliter omnibus ruentibus in scelera contra conscientiam, & perseverantibus in his, sine poenitentia & conuersione ad Deum, certo propositas esse poenas & exitium æternum.

Et alia

Et alterum, in uera conuersione uelle Deum & seuerissimè præcipere, ut promissioni gratiæ credamus & statuamus certo recipi nos, non propter dignitatem nostram, sed propter mediatorem gratiæ & sic receptos placere Deo & habere remissionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam, & certo exaudiri, & iuari à Deo.

Ac quod iterum obiicitur mirandam hanc concionem esse, quia singuli apud sese intelligunt quanta moles dubitationum de Deo naturaliter sit in omnium animis & pectoribus, uideri igitur immutabilem esse dubitationem, quia naturalis sit, ut nunc quidem nascimur. Sed respondeo, Concedo esse immutabilem in hac deprauatione, sine uoce Euangelij & sine auxilio diuino. Manet enim tristis fuga & trepidatio et multiplex infirmitas in omnibus etiam summis hominibus, Estq; infirmitas illa ac deprauatio peccati originalis effectus proprius ac proximus.

Sed ut infirmitati ac deprauationi naturali Deus mederetur, immensa bonitate promissionem gratiæ tradidit, ut cogitatione eius omnes sese erigerent ac sustentarent, & dubitationi eam opponerent et fiducia eius ad Deum accederent.

Quod autem Paulus inquit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum, id nequaquam confirmat dubitationem de remissione & reconciliatione cum Deo, Sed utrumq; quod ante diximus ostendit, Conscientia non sit polluta delictis enormibus. Et tamen sciat reliquam esse tristem immundiciam & infirmitatem. Ideo statuatur fiducia mediatoris se iustificari, hoc est, placere Deo, & ab eo recipi, sicut de hac ipsa consolatione rectissimè inquit Augustinus, Totius fiduciæ certitudo esse debet in præcioso sanguine Christi.

Est & hæc ueritas æterna & immota, Quotiescunq; cor accepta remissione peccatorum & reconciliatione cum Deo fide erigitur, Simul accipi & dari per fidem Spiritum sanctum, & hunc in credente efficacem esse in accendenda inuocatione, dilectione, spe & alijs uirtutibus. Ac prorsus necessarium est simul lucere in conuerso bonum propositum seu *αγαθησων* rectè faciendi & bonam conscientiam, sicut inquit Paulus, Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam, Et Ioannes, Qui non diligit manet in morte.

Omnia hæc uerissima & indubitata sunt, Et tamen ut sæpe iam diximus, necesse est simul intelligi reliquam esse in hac uita magnam & tristem *δυσχαια* & confusionem appetitionum pugnantium cum lege Dei, multiplicem ignorantiam, dubitationes de Deo diffidentiam et alia mala infinita, De quibus inquit Paulus Romano. 7.

Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.

Et Psalmus, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Daniel, non in iusticia nostra, sed in misericordia tua magna propter Dominum exaudi nos.

Ex illa igitur naturali infirmitate & immundicie, etiam in sanctis & renatis subinde oriuntur ingentia & multiplicia peccata ignorantie, securitatis, diffidentie & dubitationum de Deo, stultae spes, fiducia iniusta propriae sapientiae, iusticiae, potentiae & rerum similitum, denique & alia innumerabilia peccata arcana & ignota maxime parti hominum.

Est igitur inchoari obedientiam oportet, Tamen non est cogitandum propterea hominem habere remissionem peccatorum, & mundiciem nouitatis tantam esse, ut umbraculo remissionis peccatorum & auxilio & intercessionem mediatoris non indigeat, Imo sic agnoscendus est filius Dei, quod sit mediator & propiciator, perpetuo intercedens & interpellans pro nobis in arcano consilio diuinitatis, & horribilem aeterni patris iram in se deriuans, ne in nos tota effundatur.

Nec satis dicitur, cum inquirunt reliquias peccati non imputari à Deo, quia adfingunt horribile mendacium, personam esse sine peccato. Hoc impudenti mendacio confirmatur falsa illa persuasio & fiducia iusticiae propriae seposito mediatore. Ideo distincte haec teneamus, Necessariam esse iusticiam bonae conscientiae & inchoatae nouae obedientiae, Et tamen simul intelligamus, postulari etiam illam non simulatam humilitatem et fidem confessione sordium nostrarum agnoscentem & ueris gemitibus deplorantem reliquias peccatorum, & subiicientem se Deo, & in poenis reuerentia debita ei obedientem, Sicut inquit Daniel: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei &c. His omnibus necesse est praelucere hanc consolationem, quod placeat persona & sit accepta Deo propter filium mediatorem, Estque fides illa seu fiducia mediatorem in ueris doloribus conscientiae intuens & adprehendens, perpetuum umbraculum, quo reliquae uirtutes omnes, in illa magna infirmitate teguntur & obumbrantur.

Ideo cum disputat Paulus, Fide nos iustificari, gratis absque operibus, perpetua & natua eius sententia consideranda & retinenda est, nec adfingendae sunt interpretationes alienae à Paulo, Fidem tantum preparationem esse seu confessionem ut loquuntur, ut postea alia re persona iusta sit, uidelicet iusticia infusa, dilectione, spe & alijs uirtutibus, quos dicunt fide accipi.

Huic corruptelae opponamus perspicuum & irrefutabile uocis diuinae testimonium, oportere filio Dei honorem suum tribui, & agnoscere,

agnosci, quod sit æternus ac perpetuus intercessor, mediator & saluator. Et necessariam esse hanc non simulatam reuerentiam & humilitatem Deo debitam, ut agnoscant corda reliquam esse in nobis tristem molem peccatorum & hanc perpetua & indefinente remissione ac misericordia indigere, Et certo dari remissionem peccatorum & reconciliationem cum Deo omnibus, qui se recipi propter filium Dei gratis, absq; operibus suis statuunt. Hanc consolationem necessariam & dulcē esse pijs, necesse est fateri eos qui exercitia ueræ inuocationis intelligunt & rectē instituti sunt. Omnes cum sumus in ueris doloribus experimur quantæ sint cordium trepidationes & querelæ, quod sentiunt & uident suam immundiciam & indignitatem. In illa lucta & trepidatione animorum non sunt ita docendi homines anxij ac pauefacti, ut existiment ideo se iustos esse, hoc est acceptos & placentes Deo, quia multum meritorum ad Deum adferant & mundi ac digni sunt, Sed sic docendi sunt, ut ad filium Dei confugiant, & huic iuxta promissionem credant, Sicut inquit Dauid, Non in iusticia nostra, Sed in misericordia tua propter Dominum exaudi nos. Dominum nominat illum ipsum mediatorem & Messiam promissum. Estq; hæc uera sententia, perpetuus consensus Catholicæ Ecclesiæ Dei expressus in uoce diuina & in præcipuis scriptoribus, & his qui ueræ pietatis & inuocationis exercitia intelligunt, haud dubiè notus & gratus est. Ita Paulus exemplum Abrahæ uniuerso generi humano proponit, ut in persona eccellente uirtutibus summis ijsq; multiplicibus ostendat, quomodo fides omnibus imputetur ad iusticiam. Id exemplum Abrahæ eiusmodi est, ut impossibile sit intelligi iusticiam fidei tantum de præparatione ad iusticiam infusam seu inhærentem, qua persona postea placeat. Proponit & Dauidis exemplum, qui cum sit Rex & Propheta populi Dei, multis uirtutibus & operibus bonis excellens, tamen testatur sibi remissionem peccatorum necessariam esse, Et ita se iustum esse, si peccata remittantur ei & tegantur, & hæc remissio peccatorum accipitur fide.

Ac ut dictum est, nullum est dubium hunc promissionis intellectum, subinde in uera Ecclesia Dei notum fuisse, Et quanquam alicubi improprie & dissimiliter scriptores loquuti sunt, Tamen præcipui sic loquuntur in enarrationibus huius articuli, ut manifestum sit dulcem esse inter nos & ipsos consensum.

Augustinus in enarratione Psalmi 88. sic loquitur, In æternum regnabit Christus in sanctis suis, Hoc dixit Deus, hoc promisit, Si parum est hoc iurauit. Quia ergo non secundum merita nostra,

sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare de quo non potest dubitare.

Ex his omnibus perspicuum est oportere inchoari nouam obedientiam. Et tamen fidem & fiduciam nostram nisi perpetuo mediator filio Dei, & hac se consolatione perpetuo erigere ac sustentare, quod propter hunc filium mediatorem, Deus nobis peccata remittat & nos recipiat. Hac fide amissa aut extincta impossibile est existere dilectionem aut inuocationem accedentem ad Deum, Quia fides illa intuens mediatorem fons est, & efficax causa, ueræ consolationis, dilectionis, & inuocationis sicut dictum est, & nunquam est sine dilectione. Inchoatæ uirtutes autem ac bona opera, in renatis & iustificatis, etiam nominantur iusticia, sed non illo sensu, quod propter eas persona remissionem peccatorum accipiat, aut quod in iudicio Dei prorsus munda & sine peccato sit, Sed hac ratione quod Deus immanensa bonitate illa tenuia initia inchoatæ obedientiæ, contraminata multis sordibus & infirmitate multiplici propter filium in credentibus sibi placere adfirmet, eaq; acceptet. De hac iusticia operum Iohannes loquitur, cum inquit: Qui facit iusticiam iustus est. Estq; uerissimum ubicunq; opera cum Deo pugnant, ibi esse contemptum Dei, & nullam cordis ad Deum conuersionem factam esse, Qualis arbor est, tales sunt & fructus. Sicut mox dicemus copiosius.

### DE BONIS OPERIBVS.

DE hac quoq; parte doctrinæ nostræ, prorsus non dubitamus sententiam Ecclesiarum nostrarum consensum esse uniuersalem uocis diuinæ & Catholicæ Ecclesiæ Dei, cumq; extent scripta nostra, quæ ostendunt quid sentiamus, non est opus proluxa commemoratione: Sed tamen ut certa aliqua norma sit & regula huius partis perpetua, adfirmamus sola hæc opera bona & necessaria esse, quæ præcepta sunt in Decalogo, cuius enarrationes passim repetitæ sunt in scriptis Apostolicis. Hac norma discerni oportere conscientiam bonam ac malam manifestum est. Ac sicuti antea dictum est, seruerissimum Dei mandatum est, ut conscientiam bonam retineamus, iuxta dictum Pauli, Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Perseuerantes igitur in sceleribus contra conscientiam, non sunt conuersi ad Deum, & sunt hostes Dei, Et nisi conuertantur, manet ira Dei super eos. Hæc certissima sunt, sicut testantur dicta, Galat. 5. De his prædixi uobis & adhuc prædico, quod qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Et iuramentum diuinum, quod copulatiua

tua oratio est completitur utrunq; Quod necessaria sit conuersio, & quod remissio peccatorum fide accipienda sit. Vt ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Vbiunq; igitur nulla est conuersio, ibi etiam remissio & misericordia nulla est, id norunt omnes rectè instituti, nec hic proluxa declaratione opus est.

Est porro uerissimum & hoc alterum, Etiam hi qui uerè fuerunt ad Deum conuersi & iustificati, cum ruunt in peccata contra conscientiam, contristant & excutiunt Spiritum sanctum, & amittunt remissionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam, & denuo reuertuntur iræ Dei, & nisi iterum ad Deum conuertantur ruunt in mortem & pœnas æternas, sicut perijt Saul & alij innumerabiles. Estq; hoc manifestè expressum, Rom. 8. Debitores estis, ut non secundum carnis uiuatis, si enim secundum carnem uiuetis, moriemini, id est, si prauis cupiditatibus & inclinationibus contra conscientiam obtemperabitis, his polluti in pœnas æternas ruetis.

Nec tantum sequuntur eiusmodi scelera contra conscientiam, pœnæ æternæ post hanc uitam sed etiam in hac uita atrociter delicta puniuntur atrocibus pœnis, quibus & autores ipsi & cum his alij simul opprimuntur, sicut puniuntur adulterium & cædes Davidis.

His causis consideratis potest intelligi, quod necessaria sint bona opera. Quia sunt à Deo mandata, & cum his committitur contrarium, cum excutitur Spiritus sanctus, iusticia, & uita æterna, Et persona fit rea iræ & condemnationis æternæ. Placet autem obedientia inchoata seu opera bona in renatis, quia persona fide, propter Mediatorem se placere & acceptam esse statuit, Propter hunc ipsum Mediatorem acceptat etiam Deus opera personæ placentis & reconciliatæ ipsi.

Suntq; uerissima utraq; hæc, Primò, Quod donum Dei gratuitum est, uita æterna propter Christum Iesum Dominum nostrum & per eum. Secundò, Quod soli illi hæredes sunt uitæ & salutis æternæ, qui ad Deum conuertuntur, et fide remissionem peccatorum & Spiritum Sanctum accipiunt, Et tamen in his noua obedientia & bona opera adeo sunt necessaria, ut si nulla sit obedientiæ inchoatio, uel si oppositum detur, hoc est, si conscientia sciens ac uolens mandata Dei uiolet, certissimum sit nullam esse conuersionem, nec à tali beneficium promissa accipi. Necesse est autem ut beneficia proposita accipiantur, Et sensus consolationis in ueris doloribus non est somnium aut res inefficax, sed uiuificatio talis, quæ est liberatio à doloribus



inferorum quos describit Ezechias, inquit Isaiæ 38. Tanquam Leo contriuit omnia ossa mea, Tu autem liberaſti animam meam ab interitu, quia proteciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. De hac non ſimulata uiuificatione, loquitur & Paulus, inquit ad Corinthios, Superinduemur, ſi tamen non nudi reperiemur. Et Iohannes in Apocalypſi cap. 2. Eſto fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ. Hæc dicta duo oſtendunt, quorum primum eſt, in hac uita oportere initia uitæ & ſalutis æternæ inchoari, Alterum eſt, In his initijs ſeu exordijs uitæ, ita perſeuerandum eſſe ne ante mortem corporalem, amittantur aut excutiantur.

Ipa etiam regeneratio & uita æterna per ſe eſt, noua lux, timor Dei, dilectio, læticia in Deo cum uirtutibus ſimilibus iuxta dictum: Hæc eſt uita æterna, ut agnoſcant te ſolum uerum Deum & quem miſiſti Ieſum eſſe Chriſtum.

Vt igitur hanc lucem nouam agnoſcentem filium Dei accenſam eſſe in mentibus oportet. Ita ueriſſimum & certiſſimum eſt, oportere ſimul inchoari & cæteras uirtutes, fidem, dilectionem, ſpem & alias, & has ad ſalutem eſſe neceſſarias nullum eſt dubium.

Hæc intelligi & iudicari poſſunt, à pijs quærentibus conſolationem & intelligentibus ueræ conuerſionis exercitia. Cumq; obedientia & bona opera ſic inchoata placeant Deo, ut dictum eſt, habent etiam præmia huius uitæ ſpiritualia & corporalia, iuxta conſilium Dei, ſed præcipua differuntur ad uitam æternam.

Nequaquam autem confirmamus aut probamus ſomnia Monachorum, cum ſingunt bona opera eſſe meritum & cauſam uitæ æternæ, & quidem merita talia, quæ adplicata & communicata alijs, etiam eos liberent & ſaluent. Quod enim ſupra diximus, ueriſſimum eſſe iudicamus, oportere omnes agnita ſua infirmitate ad filium Dei fide confugere, & ſic ad eum confugientes, propter ipſius obedientiam ac meritum, iuxta promiſſionem, & diuitem ſuper abundantiam gratiæ certò accipere remiſſionem peccatorum & uitam æternam, & hac ſe conſolatione perpetua in ueris doloribus erigere ac ſuſtentare. Et ſcit hæc fides in omni conuerſione deberi Deo hanc ſummam obedientiam, ut promittenti & offerenti ſuam miſericordiam & conſirmanti eam iure iurando credamus, eumq; & iuſtum & ueracem eſſe ſtatuamus. Et dubitationem ac deſperationem illa ipſa fides tanquam peccatum omnium maximum, & contumelioſum aduerſus Deum fugit ac deſectatur.

Sunt & alia bonorum operum præmia corporalia et encomia dulciſſima, ſæpe recitata ſcriptis Prophetiſis & Apoſtoliſis, quæ & in  
noſtris

nostris scriptis alibi fideliter repetuimus, & omni tempore Deo  
iuuante repetituri sumus. Scimus enim uelle Deum ut ipsum & bo-  
norum corporalium autorem & datorem esse agnoscamus, & præ-  
lucente fide & conscientia bona ea petamus & expectemus.

De reliquis autem operibus non mandatis à Deo, quæ no-  
minant Episcopi & Monachi opera indebita, & tamen ea cultus Dei  
esse clamitant, nota sit regula ad quam pertinent, Frustra colunt me  
mandatis hominum. De his necesse est extare ac retineri ueras senten-  
tias, ut intelligatur, qui sint ueri, necessarij & Deo placentes cultus,  
qui non necessarij, displicentes Deo & serio damnandi, ut postea co-  
piolius exponemus.

*His ita descriptis venit in mentem aliquibus consul-  
tius fore, si simpliciter absq; vllis disputationibus aut scri-  
ptis, quæ libro opponerentur ad Imperatorem supplices lite-  
re mitterentur, quibus peteretur ne ad vllam mutationem  
doctrinæ aut Ceremoniarum Ecclesiæ nostræ adigerentur,  
neq; enim verisimile videri futurum, vt Caesar oppositam  
libro confessionem approbaturus esset, sed postulaturum il-  
lum potius vt præscriptam à se & suis formulam, sequeren-  
tur, neq; eum formulas sibi præscribi æquo animo laturum,  
qui illo tempore alijs quod præscriberetur, approbasset &  
mandasset, & simul informatum est exemplū literarum ad  
Cæsarem, quæ omnia vt melius cognoscantur, Theologo-  
rum de hac re scriptum ad politicos ordines subiecimus, cu-  
ius hæc est sententia:*

**G**enerosi, nobiles &c. Honesti, prudentes & beneuolentes do-  
mini &c. Esi coepimus explicationem doctrinæ scripto com-  
prehendere, & caput de Iustificatione quàm discretè & dilucis-  
sime à nobis fieri potuit descripsimus, Tamen re amplius considera-  
ta, Primum commodius fore iudicatum est, ab Imperatore simplici-  
ter absq; disputatione & contrarijs articulis submisisse peti, ut has Ec-  
clesias in præsentis statu manere sinat, quale aliquid ciuitates etiam ali-  
quot subiectè responderunt, & uenit in mentem nobis de tali quo-  
dam

dam exemplo literarum, quale uobis hie una tradimus, non tamen hoc consilio, ut de hac re nobis præscriptum uobis uelimus, Sed hæc omnia uos ipsi ut consideretis, & ipsi de re statuatis. Facile autem cogitari potest Imperatorem petitionem si sine articulis oppositis fiat benignius accepturum.

Deinde de omnibus capitibus ex fundamentis differere longi sane operis res est.

Tertio, Si de omnibus capitibus disputari deberet, esset ea noua confessio futura, de qua prius peculiari & magna deliberatione opus esset, quo usq; procedi oporteret, et in quibus ad extremum usq; durandum, ad eamq; deliberationē plures ordines assumendi essent.

Ad nos autem quod attinet, sententiam nostram uobis explicamus, hoc nos maximè uelle, has Ecclesias in præsentī statu manere, nam mutatio magnas perturbationes & scandala allatura esset. Volumus etiam, largiente gratiam Deo, in doctrina consensum inter nos tueri, & in præsentī doctrina nostra, quæ uera & Christiana est, manere, atq; potius feremus, quicquid diuinitus acciderit, quam ut ueteres & manifestos errores, quos liber de interiecto tempore confirmat instauremus, Et de doctrina si quid amplioris explanationis à nobis postulabitur, debita cum humilitate, quantum Deus gratiæ largietur, ex fundamentis & plenas declarationes edemus.

Omnipotens Deus pater Saluatoris nostri Iesu Christi has regiones & Ecclesias benignè gubernet & custodiat.

*Hoc consilium non improbatum fuit & de exemplo literarum ad Cæsarem collatæ sententiæ, post multas tamen Theologorum & cæterorum ordinum inter se collationes & deliberationes, tandem mutato hoc etiam consilio, tertium secutum est, quo inter hos conuenit, ut Princeps Elector ipse Cæsari ordinum regionis nomine scriberet, & quid scribi cuperent simul significaretur, idq; de exemplo epistolæ ad Cæsarem informatæ, totaq; res in Principem conuersa & translata. Itaq; ad ea de quibus à Principe Electore relatum fuerat, responsum communiter est eo scripto, quod subiecimus, in quod & cætera plerq;*

pleraq; & Epistola quàm ad Cæsarem informatam fuisse diximus, sunt transcripta. Sed scripti sententia hæc est quod & ipsum à Theologis est compositum.

**I**lluſtriffime Princeps &c. De quibus Imperator &c. ueſtræ Celfi, mandauit, ut ad nos referretur, ea ſubiectè accepimus. etiam de religione conſulta legimus & perpendimus, Sed ueſtra Celfi, ſibi in memoriã reuocare poteſt, benignam promiſſionem his regionibus ante hæc tempora factam, religionis præſentem ſtatim uſq; ad liberum & Chriſtianum Conſilium mutatum non iri, Hæcq; promiſſio mandato V. C. de ſuggeltis ſacrarum concioꝝ num proclamata, & typis expreſſa, per orbem terrarum edita fuit. Cuius tamen promiſſionis mentionem non faceremus, ſi de doctriſua dubitaremus, Sed cum ſciamus doctriſam & ceremonias in harum terrarum Eccleſijs, uera & pia eſſe utraq; petimus ſubmiſſe Imperatorem, promiſſionis eius cuius mentio facta eſt, admoneri. Cumq; ad Imperatorem multi inconſentanei ſermones de religioꝝne harum terrarum, contra quam res habet, afferantur, ſubmiſſe petimus Imperatorem de ueritate doceri, Nimirum hoc certum & uerum eſſe, doctriſam Eccleſiarum noſtrarum priſcam, ueram, integram, & Chriſtianam doctriſam eſſe, quam Deus per diuinas ſcripturas ſuas tradiderit, quæ comprehenſa eſt Symbolo Apoſtolico, Niceno, Athanaſiano, & omnibus in capitibus religionis cum uero intellectu, quem omnia ſana Eccleſiæ Catholicæ membra omni tempore habuerunt, conſentit. Eſſi res poſtulauerit de ſingulis capitibus ex fundamentis docebitur.

Præterea manifeſtum eſt omnibus quid de Ceremonijs fiat, hoc nimirum, ſingulis diebus dominicis & feſtis alijs miſſa cantionibus uſitatis, & ornatu, & alijs honeſtis ceremonijs adhibitis celebratur, & adefſe ſemper mediocriſ frequentia eorum qui communicatorem expetunt, qui iam ante & confeſſi de peccatis apud Sacerdotem, & ab his abſoluti fuerunt. Ad hanc & concio ſemper ad neceſſariam populi inſtructionem habetur, & hortationes ad preces fiunt, atq; hoc modo publicæ preces cum omni decentia celebrantur: Ita Pomeridiano tempore ueſpertina ſacra adminiſtrantur, & tum quoq; concio habetur, & cõmunes preces fiunt. Cæteris diebus hebdomados ſingulis cõuentus ſacri in templis fiunt, tam à puerili ætate, quam adultis, & accinuntur Pſalmi, & aliqua capita ex nouo & ueteri teſtamento recitantur, & tum quoq; publicæ preces fiunt, in maioribus

oppidis quotidie conciones habentur, in cæteris minoribus, & pagis, aliquot saltem diebus hebdomados, una cum litanij & publicis precibus. In collegialibus & magnarum urbium templis aliquibus adhuc etiam horæ Canonice accinuntur. Præterea puerilis ætas in Catechesi Christianæ doctrinæ diligenter exercetur & in pagis singulis diebus dominicis Pomeridiano tempore recitationes huius audiuntur, Sed in urbibus alia magis idonea tempora ad hanc rem sunt constituta. Baptismus cum exorcismo & omni decencia administratur, & homines de Baptismo infantum recte sunt instituti, & multiplices Anabaptistarum errores utiliter refutati, ut Dei beneficio nostræ ecclesiæ erroribus illis non sint pollutæ, neq; factum fuit ut Anabaptistæ ferrerentur.

Doctrina etiam de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi, in nostris Ecclesijs magna cum contentione propugnata est & obtentum ueram adesse Christi præsentiam & exhiberi in Sacramento uerum corpus & Sanguinem Christi. Etiam confessio & priuata absolutio conseruata est, quod multipliciter ualet ad instructionem & consolationem. Audiuntur enim homines de singulis capitibus religionis quid intelligant, & de peccato, de remissione huius docentur, atq; in seipso absoluuntur, & consolationem accipiunt, & Dei beneficio tota doctrina de poenitentia in nostris Ecclesijs bene est & dilucide explicata, & integra conseruata. Manifesta etiam scelera à magistratu & consistorijs puniuntur, & si quis à talibus absoluitur, fit hoc ad exemplum ueteris formulæ poenitentia publicæ. Festa laudabiliter pro ueteri more celebrantur, singulæ dominicæ, Natalis Domini, Stephani, Ioannis, Circūcisio, Epiphania, Conuersio Pauli, Purificatio Mariæ, Annūciatio, dies Coenæ domini, Passionis, Resurrectionis, cum ferijs secundis & tertijs, Festa singulorum Apostolorum, Ascensio, Pentecoste cum secundis & tertijs ferijs, Iohannis Baptistæ, Visitatio, Festum Magdalænæ, Festum Angelorum, Aegroti diligenter uisitantur & postquam de peccatis & incredulitate sua confessi sunt, absolutionem & Sacramentum corporis & sanguinis Christi accipiunt, & simul communiter pro ægrotante præces fiunt ab omnibus, qui tum adsunt. Sepulture turæ honestæ sunt, est mediocris frequentia deducentium funera, & usurpantur in his piæ cantiones & distribuuntur Eleemosynæ.

Cum igitur nihil dubitemus doctrinam in nostris Ecclesijs ueram esse, & cum intellectu ueteri & uero Catholicæ Ecclesiæ congruentem, & Ceremoniæ quas exposuimus, non tantum pietatem Christianam habeant, sed speciosæ etiam seruentur, Jamq; per annos triginta senes in hac instituti sint, & iuuenès in hac educati, qui hanc unicam inuocationem Dei, tanquam lac à matribus acceperunt. Petimus subiectissimè,

iectissimè, ut C. V. de hac nostra petitione ad Imperatorem nostrum  
omnium benigniss. Dominum referat, hoc nos Cæsaream Maiestatem  
rem ipsius subiectiss. & propter Deum orare, ne ipsi qui de nobis  
aliter narrant locum relinquat, aut fidem habeat, Et harum terrarum  
Ecclesias propter commemoratas iam causas, in quo nunc sunt statu  
benignissimè manere, neque quietem harum turbari ut patiat, & be-  
nigne ut consideret quanta conscientiarum perturbatio, ueræ inuo-  
cationis impeditio, quæ discordia in his terris & Ecclesijs, & quam  
multa alia scandala, & quantæ dissipationes Ecclesiarum, talem  
mutationem essent secuturæ. Nam de V. C. non est dubium, ad-  
hibituram illam hunc respectum, ne ulla alia noua doctrina in-  
troducatur, & ne seditiosi, infamantes, aut contumeliosi libri in  
his terris typis exprimentur, & nos similiter ipsi sic Dei beneficio  
animati sumus, ut in uera & Christiana doctrina, & uera Catholica  
Ecclesia Dei perpetuo manere cogitemus, sicut scriptum est Iohan.  
13. Manete in me & ego manebo in uobis, neque ullam doctrinam  
quæ Symbolis & intellectui Catholicæ Ecclesiæ contraria est recipere  
uelimus. Omni etiam tempore omnem debitam obedientiam Cæs-  
ariæ Maiest: & V. C. obnoxie præstabimus, Expectamusq; ab Im-  
peratore submisse, Cæsaream Maiestatem huius, cum subiectionem  
animi nostri senserit & perceperit, ipsi qui secus de nobis loquantur  
neque locum daturam neque fidem habituram, neque aduersus nos ut  
non benigne affecta sit, commoueri se passuram esse, Sed Cæsarem  
nobis & Dominum benignissimum futurum & permansurum, etiam  
benignissimè sibi in memoriam reuocaturum de quibus ante  
hæc tempora benignissimè nobis spem fecerit, & quæ scripserit. Spe-  
ramus enim ab omnipotenti Deo negocium religionis, cui Christiana  
na in meliorem formam reductione summe opus est, tandem ali-  
quando ad liberi & Christiani concilij cognitionem deuenturum,  
cuius pro nostra parte à multis iam annis cupidissimi fuimus & ad  
huc sumus, Inque hoc omnipotentem Deum Spiritum sanctum suum  
largiturum esse, ut falsa doctrina & abusus tollantur, & Ecclesia ad  
piam & pacificam consensionem, ad gloriam Dei & cognitionem  
ueritatis Christianæ reducat, Id quod cupidissimis animis spera-  
mus, & Deum ut gratiam suam largiatur, Orare uolumus, & ope-  
ram dare diligenter ut in Ecclesijs harum terrarum ab omnipotente  
Deo hoc oretur. Etiam pro Cæsarea & Regia Maiest: & V. C. ut  
seriæ preces fiant, & apud populum, ad timorem Dei, disciplinam,  
& obedientiam semper ut hortationes fiant, Cels. autem V. obnoxia  
opera nostra parata est.

Ex his planum fit, Theologos & quæ mala ex mutati-  
one secutura essent, si qua susciperetur, non minus intellex-  
isse quam alios, vel plane potius prædixisse ea quæ accide-  
runt, & illis grauiissimis de causis non tantum ab hac toto  
pectore abhorruisse, sed & submissè deprecando, & gra-  
uiter & uehementer dissuadendo, auertere studuisse, quod  
ex sequentibus magis patebit. Principi tamen alterum  
malum quod metuendum esset, si nullus conatus quan-  
tumuis periculose, modo non impie mutationis suscipe-  
retur, maius etiam visum fuit, & ab hac parte has  
terras grauius periclitari, neq; illo tempore aliter ius-  
dicari potuit, itaq; multis ille serijs & grauibus admo-  
nitionibus, de ijs quæ tali tempore & negotio tali consi-  
deranda essent, ad Theologos & ceteros sæpe vsus est,  
de quibus mox referetur. Quod autem scripto proximo  
à conuocatis ordinibus petitum fuit, vt Princeps ad Impe-  
ratorem agere vellet, hoc ille iam dudum ita egerat, vt  
nihil fieri maiore cum fide & diligentius vel etiam per-  
tinacius potuerit, sicut docent ea quæ suprà ex Augustia-  
nis cum Cesare actionibus retulimus. Nam & Cesaris  
& suas promissiones, repetendo vere inculcarat, etiam  
de Ceremonijs suorum vt acta docent in genere significa-  
rat, Sed tam pertinaciter atq; minaciter, & ita pericu-  
losè vrgeri assensionem, & sic agi omnia animaduerte-  
rat, vt nihil aliud à diuina & humana sapientia ipsi  
subyiceretur, quam vt in omnibus quæ pie fieri possent  
obedientiam promitteret, de quo alias disputabitur, quod  
igitur

igitur Princeps quantum sibi cum Cesare negocij fuisset, minimè esset oblitus, neq; per vllas vllorum literas aut Legatos melius eam rem agi posse sciret, quàm ipse coram egisset, & quin petitione tali nihil proficeretur dubitare non posset, his inquam de causis ab eo consilio nequaquam sibi recedendum iudicauit, quo piam, & quæ cum bona conscientia fieri posset, concessionem à se Cesari promiserat, & eandem de suis quoq; spem fecerat. Ideò tum id de quo initio retulerat vrgere cœpit, ne in ijs quæ salua veritate & sine læsione bonæ conscientiæ fieri possent, concedere recusarent, præsertim cum hoc etiam ipsum vt à suis obtineret laboraturum se, quod acta Augustana docent, recepisset, itaq; secundum hæc vt Cesari responderetur postulauit. Sed cum ex vniuersa ditione ordines non essent conuocati, vt diximus, delecti ij, qui tum conuenerat statuendum sibi de re quæ ad vniuersos pertineret non censuerunt, & res amplius deliberanda visa, neq; de responso quod Cesari daretur in præsentia constitui potuit, atq; ita Conuentus dimissus est cum durasset fermè octiduum.

De illo autem breuiori scripto contra librum Augustanum ante hunc Conuentum proxime & Vuitebergæ composito, & altero copiosiore, quo de eodem libro in hoc Conuentu Theologi responderunt, de his igitur vtrisque quid iudicet Flacius cognoscatur, & ne quid fingi existimetur de libro Flacij Germanico locum, quod supra nos facturos promisimus, conuersum subiecimus.



Sic igitur ille, vt conuertimus, de Adiaphoristis scribit, quod librum Imperatoris de interiecto tempore cum illo primo ignauo atq; inerte scripto rationum de hoc suarum, Carolouicianis Epistolis, & alijs futilibus scriptis, quæ Anno XLVII. & in initio XLVIII. Augustam ad Comitia miserint, his igitur quod librum illum in Ecclesiam DEI illexerint atq; introduxerint. Sed contra illum librum, quod postea prorsus nihil typis expressum ediderint, & addit, Nam illa duo scripta rationum ipsorum quæ typis expressa sunt, & inscientibus ipsis & contra voluntatem ipsorum, ego exprimenda curauim cum meo magno periculo, cum adhuc Vuitebergæ essem, idq; miseris Christianis ad institutionem. Hoc igitur Flacy iudicium extat de scriptis, quæ hæcenus inseruimus vniuersis. Sed illa duo scripta qualia sunt, cum extent vtraque, non videtur faciendum vt à nobis disputetur in præsentia, sed lectoribus iudicium permittimus. Prima quidem hæc sunt, quæ de his rebus legit Germania, & fieri potest vt non tantum nostri homines, sed posteritas etiam de his vt melius sentiat. Malitiæ tamen & improbitatis hac in parte incogitantiam indicandam obiter putauimus, Scribit enim vtrumq; & inertia & futilia illa scripta esse, & se ideo ea contra autorum voluntatem edi curasse, vt de corruptelis libri Augustani quam plurimi docerentur, Si enim futilia scripta sunt quid explicare illa, aut docere vtiliter legentes potuere, sin doctrinam & explicationem vtilem complectuntur, quomodo

modo futilia & putida appellabuntur? Hæc igitur ipsa se arguunt, neq. de his plura vt dicatur res meretur.

Nunc ad narrationem de ijs tractationibus, quæ conuentum Misnensem proximæ secutæ fuere accedamus.

DE IIS, QUÆ A THEOLOGIS NOSTRIS CVM MISNENSI ET NEVPVRGENSI Episcopo Pegauiæ acta fuere 23. Augusti Anno XLVIII.

CVM in conuentu Misnensi ea quæ descripsimus acta fuissent, paulo post diuulgatis rebus, Imperator per literas postulata sua de libro ad Principem repetit, & moras quas neceret Mauricius Elector, & quibus declarationem sententiæ, ac voluntatis suæ ac suorum duceret, suspectas esse, & speciem tergiuersationis vel potius detrectationis habere, & publicè nocere plurimum, quod exemplo ipsius, in quod ordines cæteri intuerentur præcipuè, & quo sese ac cessationes suas, & cunctationes tuerentur atq. excusarent, impediretur consensionis concordia, de qua tantopere laborasset Imperator, & infringere paulatim ac conuelleretur autoritas decretorum Imperij atq. ipsius Imperatoris, & præberetur occasio nouis conspirationibus, quod ex Principe Mauricio nouis spebus pendere plurimos non esset obscurum,  
harum

barum Imperatorem non fore spectatorem diutius. De eadem re Rex admonet.

Episcopus etiam Moguntinus ad nostrum Principem, propemodum minaciter scribere illo tempore ausus fuit, quem tali responso compescuit Mauricius Elector, ut posthac ei molestus non esset amplius. Non autem hi tantum, sed & eiusdem religionis professione nostris coniuncti aliqui hac eadem de re non minus urgere, & de periculis inculcare non dubitarunt, & extant Epistolæ quorundam ex præcipuis Principibus contra Theologos nostros scriptæ inclementissimè & atrocissimè.

Illustrissimus igitur Princeps Mauricius Elector, ut simpliciter dicamus, pertinaciam Imperatoris in urgendo de receptione libri & coram Augustæ experitus esset, & absens in dies fermè singulos magis experiretur, & quo res tenderent intelligeret, vel potius non intelligere non posset, collationem fecit denuo eius mali quod impenderet, si nullum obsequendi studium appareret, cum incommodis ijs, quæ mutatio in Adiaphoris, res tentata doctrinæ veritate secum traheret, atq; consideratis denuo omnibus, multò etiam magis in consilio sibi perseverandum iudicavit, quo constituerat in omnibus quæ piè & cum bona conscientia fieri possent Cæsari obsequi, ut quicquid periculi & malorum postea secuturum esset, de eo constare posset omnibus, vel manibus etiam, ut dicitur, comprehendi, non attracta sibi & suis non necessarijs de causis, sed propter æternæ & immutabilis veritatis  
in re

in religione Christiana professionem & usum, & fidem Deo & hominibus debitam. Eaꝫ in re suã pro subditis curã & sollicitudinis documentum dedit egregium, cum eo loci res ipsius essent illo tempore, vt defensionem his aduersus externam potentiam præstare, aut arcere conatum omnis coactionis à suis minimè posse videretur.

Quod igitur & ante hac, & multo etiam magis de scripto in Conuentu Misnensi à Theologis composito didicisset Princeps, quæ in libro vitiosa essent, & quæ & quomodo ferri possent, idq; à Theologis tum demonstratum ab ordinibus approbatum cognouisset, de his quidem quæ Adiaphora sunt obsequendum sibi iam dudum statuerat vt diximus. Impietatem autem quæ complectebantur, ea an tolli & emendari possent sollicitè cogitabat. Hanc ob causam cum respondendum omnino esset Cesari quid vellet aut nollet facere, neq; de responsione, in conuentu habito constitui potuisset, & huius causa mox vniuersi ordines conuocandi essent, explorandas prius voluntates suorum etiam Episcoporum putauit, quibus cum absq; hoc vt ageretur propter mandata Imperatoris de restituenda his Iurisdictione res flagitabant, de quo in fine narrationis de his tractationibus contra Flacianas insectationes docebitur.

Re igitur deliberata, ad Episcopos harum regionum agi ita voluit, vt exploraretur, an apud hos obtineri posset, vt quæ vitiosa in libro essent emendarentur, & de Adiaphoris constitueretur, quibus consecutis re-

Sponsio ad Imperatorem expediretur. Itaq; de hac re post  
solutum Conuentum Misniensem, ad Theologos quosdam  
de Consilio suo, tractationum earum quæ cum Episcopis  
susciperentur, retulit, & à Principe Anhaltino peculiariter  
postulatum, vt ante illas tractationes cum Neupur-  
gense de corruptelis libri conferre studeret, Atq; hæc om-  
nia secreto deliberata fuere, neq; de his quicquam, vt & de  
tractationibus sequentibus vniuersis, emanare voluerunt,  
quod ipsum inquietorum hominum suspiciones auxit, &  
calumnias confirmauit. Theologis autem etsi minimè erat  
difficile cogitare, quas suspiciones & quas voces commo-  
tura res esset apud ignaros negociorum, si cum Episcopis  
tractationes, susciperentur, præsertim de quibus enuncia-  
re non liceret, & quæ secuta mox fuere ea, illi & præui-  
debant & metuebant, tamen quod postulabatur com-  
modè & honestis rationibus detrectare non potuere,  
cum scriptura iubeat nos esse paratos debere ad responsio-  
nes reddendas, de spe nostra singulis qui hoc poscunt, cumq;  
ante illa tempora Colloquia cum aduersarijs multiplicia  
iustituta nemine reprehendente meminissent, & exemplo-  
rum antiquitatis hac in parte non essent ignari, præsertim  
cum Princeps summa contentione hoc ageret, quodq;  
maximum est omnium, nulla impia mandata darentur.  
Sed Flacius postea & Flaciani quod plausibilem hæc in-  
primis ad vulgus, & ad seditionem commouendam per  
idoneam exagitationem suppeditarent, neq; iræ neq; vo-  
cibus pepercerunt, neq; sibi neq; machinationibus suis  
desi-

desuere, sed in clementissimis interpretationibus, & mendacissimis narrationibus rem inuoluerunt, & calumniarum teterrimarum ingente quasi mole, has tractationes ita obruerunt, ut nisi acta extarent euolui res illae & explicari non possent. Ad criminationes quidem atq; calumnias ipsorum infinitas, ne disputatio quidem vlla suscipi potest. Itaq; discatur quid actum sit, & quo concilio, Et sic de re vnusquisq; statuatur & pronunciet, neq; enim ad calumnias tantas & tam multas aliud fieri potest.

Cum igitur literis & petitionibus suis impetrasset ab Episcopo Misnensi & Neupurgensi, Dux Mauricius Elector, ut ad 10. Calend. Septemb. quae est 23. Augusti in oppido Pegensi se conuenturos condicerent. Ex Theologis conuocauit isthuc Principem Georgium Anbaltinum, D. Caspa. Crncigerum, & Philippum Melanthonem, Sed D. Cruciger morbo impeditus adesse non potuit. Itaq; adduxit secum Prim. Anbalt. Huius loco D. Forsterum, qui tum in Ecclesia Merespurgensi docebat. Philippus Melanthon, Paulum Eberum. Quibus ita curatis, delegit ex ordine equestri viros quatuor, & vnum Iurisconsultum, etsi & inter equestres vnus Iurisconsultus erat, quibus Legatis ad illas tractationes uteretur. His igitur quinque viris quid mandatum sit ut ad Episcopos & Theologos nostros, Principis nomine agerent, scriptum docebit, quo, ut fieri solet, hos de ijs quae fieri vellet instruxerat, hoc quod vniuersum negocium

*èxplicetur, conuersum illud ex Germanico hoc loco ad  
verbum subieciimus.*

**N**Os Mauricius Dei benignitate Dux Saxoniae, Sacri R. Imp.  
&c. Hos praefectos consiliarios & dilectos fideles nostros  
uniuersos & singulos ablegauimus cum mandatis, ut ad 22.  
Augusti in oppidū Pegauium ueniant & postridie cum Illustri Prin.  
D. Georgio Principe in Anhalt &c. Coadiutore in Ecclesiasticis Mes  
respurgi nostro dilecto propinquo, & cum doctissimis nostris dilec  
tis & fidelibus Domino Philippo Melanth. & D. Casparo Cruciger  
ro Sacrae Theologiae Doctore, & postea cum nostris amicis Episcopo  
Misenensi & Neupurgensi, de libro Interim colloquium instituant.

Nostro propinquo nostris uerbis amicitiae officia à nobis de  
ferant, & gratias agant quod beneuolentia ipsius rogatu literarum  
nostrarum eo se contulit, cum promissione debita, &c.

Et quia persuademus nobis beneuolentiam ipsius ante diem  
conuētus illius cum nostro amico episcopo Neupurgensi collocutum  
esse de ijs, quae in libro interiecti temporis uitiosa sint, & sententiae  
& uoluntatis Episcopi declarationem quod acceperit, debebunt con  
siliarij nostri Philippum Melanth. & D. Crucigerum assumere, & ex  
propinquo nostro Anhaltino cognoscere, quid declarationis ad indis  
cata in libro uitia ab Episcopo perceperit.

Et postea inter se communiter conferant & constituent, quae  
uitia declaratione illa sublata, quae non sublata iudicent. Item de quib  
bus capitibus tandem prorsus, aut modo quodam concedi, & con  
tra in quibus nullo modo concedi possit.

Vbi ita ea capita quae adhuc inexplicata sunt consignata fue  
rint, Tum noster propinquus Anhaltinus, nostri consiliarij, & cum  
his Philip. Melanth. & D. Cruciger, de ijs cum amicis nostris utroq  
Episcopo Misnensi & Neupurgensi, quos & ipsos ad diem postridie  
anam in oppidum Pegarum literis conuocauimus, inter se con  
ferent.

Primum gratias his agant, quod beneuolentia ipsorum pro  
eo ut scripsimus eo loci se contulerit, & simul amicitiae officia ipsis à  
nobis deferant, cum promissione qua decet.

Postea de explicatis illis capitibus amplio rem sententiae ipso  
rum declarationem petant & quaerant, eamq; ex his cognoscant, Et  
de quibus tum capitibus satisfactum nostris fuerit, & tanium expli  
cationis acceperint, ut recipi ea, & cum Episcopis conueniri possit, de  
ijs nimirum acquiescat, & haec singuliter consignentur.

De quibus uero capitibus nulla eiusmodi explicatio fiet, VT  
SINE OFFENSIONE DEI ET LAESIONE  
CONSCIENTIARVM recipi & tolerari possint, Ad ea  
Episcopis ex firmis fundamentis scripturae sacrae indicari oportebit,  
quare in illa consentiri non possit, cum ampliore explanatione, quae  
pericula inde metuenda essent, si talis conatus susciperetur.

Possent & tum commonefieri, ut cogitarent etiam si capita  
illa per se plana & sine uitio essent, tamen contrarium usum longo  
iam tempore ita in his regionibus radices egisse, ut tam celeriter tolli  
ille aut mutari non posset. Tanto igitur grauius iam esse, & minus  
fieri posse, cum absurditas quorundam ante oculos sit & omnibus  
nota. Et si de explanatione res ita caderet, magnopere admonendi  
Episcopi essent de salute patriae huius, & hoc agendum & orandum,  
ut negotium quale sit ipsi considerare, & hoc considerato, eas res ne  
urgere uellent, quae nullo modo perfici, neque sine magnis turbis &  
exitiosis motibus, facile commoueri, ne dum obtineri possint, Sed po-  
tius & suae & communis quietis causa, atque ad auerendas illas quae pro-  
ponerentur difficultates, de capitibus his quorum mentio facta est, ut  
in praesentia patienter acquiescerent, & contenti essent eo, quod ipsis  
Episcopalis potestas & autoritas in posterum cedi, & defensio huius  
& protectio ipsis praestari deberet, **QUATENVS HAC IL-  
LI AD PERSECUTIONEM CHRISTIANAE  
DOCTRINAE ET VERI CULTVS DEI NON  
ESSENT AVSVRI**, sicut & ab ipsorum beneuolentia hoc  
minime expectaretur, Et tum in capitibus de quibus conuenissent om-  
nem debitam obedientiam, aut reuerentiam ipsis praestitum iri.

Quod si iam illi ad haec bonam spem de se facturi essent, pos-  
set amplius ab his peti posset, ut ipsi consilijs suis nos adiuuarent, in  
commune conferentes, quid Imperatori iterum responsionem de li-  
bro interiecti temporis poscenti hac in parte respondendum cense-  
rent, quo acquiescere ille posset, & haec regiones quietae manere.

Si uero praetensuri forte essent Episcopi, se quidem suo loco  
propensos esse ad patienter ferendum, sed Imperatorem his non ac-  
quiesciturum, &c.

Tum igitur ad ipsos hoc agendum, ut patriae salutis causa, &  
ad auerendas multiplices difficultates & pericula, coniuncta nobis  
cum & cum ordinibus regionum nostrarum opera, ad Imperatorem  
scribant, & de difficultate, quidque de illis capitibus apud subditos  
in his terris (quorum longe sit alia quam caeterarum regionum con-  
ditio) fieri non possit, subiectissime significent, & de obsequendi in



cæteris capitibus studio nostro testari uelint. Sin nulla responsio, quæ  
satisfaceret aut recipi posset ab Episcopis, quorum mentio facta est,  
de capitibus uiciosis acciperetur, neq; quod expeti uoluimus, ut pa-  
tienter acquiescerent, neq; cætera imperrari ab his possent, Tum Cõ-  
siliarij nostri una cum propinquo nostro Anhaltino, Philip. Melan.  
& D. Crucigero, nihilominus inter se conferant, & de rationibus cogi-  
tent, quas rationes suas scripto comprehendant, quomodo nos &  
regionum nostrarũ ordines amplius nos in hac re gerere debeamus.

In primis autem quid responderi Imperatori de hoc negotio  
debeat, ut Maiestatis huius abalienatio uitetur & auertatur, ne quid  
amplius ab hoc mandetur, Et tamen simul PIETATI ET  
CONSCIENTIÆ caueatur,

Cumq; sæpe de una & eadem re plures rationes in mentem  
uenire soleant, quarum una sit altera commodior, melior, opportu-  
nior, etiamsi ad unum finem dirigantur uniuersæ, ideo ut facilius  
decernendi & delectus copia nobis suppeteret, commodum iudica-  
remus propinquum nostrum Anhaltinum, Theologos, & Consiliari-  
os nostros, de hoc negotio non unum, sed plura consilia sua propo-  
nere, scripto comprehendere, & ad nos mittere.

Quantum nos iudicare possumus, de hoc cogitandum, ut  
Episcopi, Pastores in nostris regionibus ferant cum uxores habeant,  
& Sacramentum coenæ dominicæ integrum de institutione Christi  
Saluatoris nostri exhibeant.

Et ut ordinent quos nos & regiones nostræ ad ipsos hac de  
causa miserimus, eosq; Sacerdotes creent, neq; obstare sibi patiantur,  
quod uxores habeant, & Sacramentum integrum præbeant.

Et qui non habent uxores, ij in ordinatione ad malum & ini-  
quum uotum de celibatu ut ne adigantur, nisi hæc explicatio diserte  
adhiberetur, ubi se ex humana imbecillitate non idoneos ad cælibat-  
um senserint, promissione castitatis matrimonium contrahendi pos-  
testatem ipsis non præcidi.

Item qui ordinandi sint tempore ordinationis & in ritu huius  
ius, ut ne adigantur ad usum Sacramenti Coenæ mutilum, qui est  
sine poculo Domini, sed ut absq; tali communionem ordinentur, aut  
Sacramentum ipsis integrum præbeatur.

Præterea non inconsultum nobis uidetur, & quod bene sine  
scandalo fieri posset, ut singulis diebus uel tribus saltem diebus heb-  
domadæ, in celebrioribus & populosis urbibus, eæ cantiones acci-  
nerentur, quæ in missis de tempore accini solent, usq; ad consecra-  
tionem, & tum si essent communionem usuri aliqui, adderetur etiam  
consecratio,

consecratio, sin minus, omitteretur. Hoc utile esse posset iuuentuti  
& Scholasticis, ut hoc exercitio ad cultum Dei & recordationem hu-  
ius adduceretur, & ut nostra fert opinio, plures futuri essent, qui  
communicatione uterentur quam nunc existimatur.

Et ad Carnium esum quod attinet die quinta & sexta hebdo-  
mados, & ieiunio quadragesimæ, ut tanquam de politici magistratus  
mandato denuo constitueretur, Ita tamen, ut discerneretur inter eos,  
qui iustas causas haberent cur carnibus uterentur, & ut concionato-  
res de suggestis explicarent, non ut cultum Dei hunc introduci, aut  
legem ad salutem facientem statui, sed ut politicam constitutionem,  
in quibus rebus Magistratui constituere liceat, cum nullum extet in  
scriptura immutabile mandatum huic rei contrarium, sed res sit me-  
dia & in nostra optioe posita, simul indicantes, qui tales constituti-  
ones transgrediatur, eum quod odedientia Magistratui debitæ con-  
trarium sit, facere, cui Deus obedientiam præstari præceperit, & ta-  
le facinus Deo displicere.

Cum igitur non simus ita animati, ut nos aut nostri obstina-  
te & pertinaciter nostræ aut nostrorum laudis causa, & ad celebratio-  
nem comparandam, in nostra sententia permanere, & quam speciem  
habere uidentur ea quæ aliqui faciunt, potius regionem bello inua-  
di, uastari, & perdi uelimus, quam ulla in re, quæ tamen sine offen-  
sione Dei & læsione conscientia fieri possit, concedere.

Ideo consiliarij nostri propinquum nostrum Anhaltinum &  
ambos Theologos admoneant, ut considerent hoc consilio his terris  
opem ferri, & res impeditas harum explicari posse, & hanc ob cau-  
sam nos petere & cupere, Beneuolentia ipsius & ipsi ne à quibusdam  
pertinacibus, qui de quorum amissione periclitari possint non ha-  
bent multa, quicquam se moueri, aut his se quicquam perturbari  
ut patiantur, sed consulere ut uelint quo concedatur in ijs in quibus  
**SINE VIOLATIONE MANIFESTAE ET SA-  
CRÆ ET DIVINÆ SCRIPTURÆ** id fieri possit.

Ita enim sumus animati, ut cupiamus dare Deo quæ DEI  
sunt, & Cæsari quæ Cæsaris, ut à Deo constituto magistratui, &  
concedere in omnibus, in quibus **SINE OFFENSIONE**  
**DEI** id fieri potest, & res potius ad concordiam quam dissidia dis-  
rigere, ut regiones nostræ fidelesq; subditi incolumes, & tamen nihil  
lo minus uerbum Dei his conseruetur.

Item ut considerent, utrum melius sit, in omnibus, quæ ullo  
modo sine offensione Dei fieri possint, concedere, ut ea concessione  
fundamentum ueræ religionis, quod est pura doctrina de nostra  
justifi-

iustificacione conseruetur, quam doctrinam omnipotens Deus nullo tempore, ut semen bonum, fructus expertem esse sinet, An uero melius sit; pertinaciter ad ea quæ uolumus, & autoritatem nostram obtinendam, negocia hæc ita agere, ut belli fortunæ exponantur, quod tandem uniuersa religio (quod Deus benigne auertat) opprimi & extingui possit.

Atq; pro his ita se ut gerant ut potius ad gloriam Dei & auertendum exitum harum terrarum res deducatur, Id quod à beneuolentia ipsius amanter expectamus, de cæteris benigne nobis persuademus, & erga beneuolentiam ipsius amice promerebimur, cæterorum autem benigne rationem habebimus. Hæc mandata, faciendæ fidei causa, nostro secreto signo obsignauimus, quæ data sunt Rosentalæ 19. Augusti Anno 48.

Mauri. Elector  
manu prop. subf.

Hæc mandata fuere Princip. Mauricij, ex quibus studium pium huius & sollicitudinem de suis paternam non prorsus inhumani et iniqui cognoscere poterunt. Nunc ad hæc quid factum sit exponamus.

10. Calend. Septemb. quæ est 23. Augusti, cum conuenissent in Oppido Pegensi Princeps Anhaltinus, D. Forsterus, Philippus Melanthon & Paulus Eberus, agere cum his Consiliarij Electoris cæpere, secundum mandata præscripta, quæ ipsis exposuerunt, accumulantes, ut sit, suis & explicationibus & hortationibus. Et primum cognouere ex Anhaltino, quod cum Neupurgense Episcopo collocutus fuisset, & quod ipsi duo de nulla re inter se decreuissent, sed Episcopum Neupurgensem de re amplius cogitandi spaciū sibi sumpsisse. Postea in quibus concedi posset, in quibus non posset, quæsitum fuit, & responsum à Theologis scripto huius sententiæ.

QVorum

*QVORVM CAPITVM VERAM SENTENTIAM VERVMQ; VSVM COMMUNITER VNIERSOS CHRISTIANOS CONSERVARE & RETINERE OPORTEAT.*

**M**ulta sunt in libro Interim, de quibus doctos ueras explanationes tenere oportet, & suo periculo etiam alios illi, suo quisq; loco, docere debent. Etiam multæ crassæ & Ethnicæ Idolatriæ insunt, quas & ipsas non oportet confirmari, tales sunt consecratio olei, & processionum Pompæ cum Sacramento.

I. Maxime autem oportet, una cum Symbolis, huius capituli doctrinam discretam & non obscuratam in Ecclesia conservari & retineri, quomodo homo peccatorum remissionem consequatur, & coram Deo iustus & uitæ æternæ hæres fiat, Nam hoc caput in corpus Symboli insertum est in uerbis quibus dicitur, Credo remissionem peccatorum.

Iam uerò Maluenda aut alij in libro Interim quædam in hoc capite assuerunt, quibus uera sententiæ & consolatio obscuratur, quod si quis etiam illas lacinias inter se consuere tentet, tamen sicut pugnantia, & inæquables sententiæ existent, quomodo & Sydonius ipse gloriatur, non esse eam sententiæ libri, quæ in nostris Ecclesijs docetur. Ideò ante hoc tempus de hoc capite submisisse monuimus, & adhuc iudicamus, necesse esse ueram sententiæ in nostris Ecclesijs conservari & retineri.

II. Secundo loco, totam doctrinam de poenitentia necesse est puram conservari cum singulis partibus huius, itemq; de confessione & satisfactione.

III. Tertium caput est de Missa priuata sine communicantibus, & de Canone, & Missis pro animabus.

Hi manifesti abusus nequaquam sunt confirmandi aut instaurandi. Et Canon manifeste pugnat cum doctrina de remissione peccatorum per fidem. Quod autem commodiusculis explicatiunculis res palliatur, is lusus talis est ut cum Iudæi Christi oculos obnubentes interrogabant eum, quis te percussit? quod si laudandæ essent tales explicatiunculæ, fortassis aliquanto magis scitas comminisci possemus quam aduersarij, sicut omnes intelligentes deprehendunt, quod multas illi explicatiunculas suas ex nostris scriptis sint mutuati, item ponamus hæc etiam recipi, & pastoribus proponi, tamen hæc à multis pijs & doctis Pastoribus non recipientur, quod si tum horum causa persecutio institueretur, grauis ea res esset futura.

IIII. Postremo, Inuocatio Sanctorum etiam non debet approbari, de quibus tamen sæpe diximus, uelle nos historias sanctorum populo diligenter proponere, quæ ad multas res utiles sunt.

Hæc quatuor capita communem & publicum statum Ecclesiarum, & populum attingunt.

Quod uero toties monemur, ne quid contumaciter faciamus & salutem harum terrarum & hominum nostrorum consideremus, oramus propter Deum, ne existimemur ij esse, qui publicis & proprijs nostris calamitatibus delectemur.

Quod si pax fieri potest his conditionibus, ut nos remoueamur aut tollamur, lubentibus animis cedemus, aut feremus quæcunque erunt. Hactenus fidelem operam dedimus ad quarundam necessariorum rerum explicationem, Alij approbent, recipiant, res pudient, pro sua quisque intelligentia, arbitrio & rationibus, nos nemini quicquam præscribimus, sed nostram sententiam simpliciter edicimus, & multas magnas controuersias prætermittimus, Etiam hæc res, de quibus loquimur, non sunt adeo obscuræ, unusquisque doctrinæ Christianæ intelligens, quæ fundamenta sint uidere potest.

*Hæc quatuor capita Theologi tum notarunt, in quibus concedi nihil posset, & de quibus tam auditores quam doctores, id est, singulos Christianum nomen professantes homines, respondere scire oporteat, de cæteris controuersis ad doctos pertinent. Ad hæc igitur quatuor capita si assumatur dno, quæ permittit liber INTERIM, de Sacramento Cænæ integro, & coniugio Sacerdotum, fient sex capita, quibus obtentis, & quorum obtinendorum causa, pleraque quæ ab aduersarijs tum in libro Augustano postulata fuerint, non intoleranda esse iudicatum fuit, præsertim cum superstitiosa & Idolatrica de consecratione olei & artolatria, supra, diserta mentione, simul exclusa sint. Et quid D. Lutherus ad librum Ratisponensem à se promiserit, & quid pactus fuerit minimè ignoratur.*

Ex

Ex scripto tamen quod proximè inferuimus, quæ in fine huius clausula extat his verbis: Et multas magnas controuersias prætermittimus, eam Flacius & 5. subscriptores huius argumentum haberi volunt, quod veritatem nostri sceleratè prodiderint, quod de libro Flaciano cognoscere poterit qui voluerit, ad quem lectores in præsentia remittimus. Sed quo sensu, quauè occasione illa inferantur, & iam diximus, & per se manifestum est, Nam cum scripti illius scopus sit, vt exponantur ea, quæ confessionem singulorum hominum attingunt, reliqua quæ ad doctorum disquisitiones pertinent, hoc non comprehenduntur, & talia præteriri in præsentia ista clausula significat, Cum absq̃ hoc, & mandata scripta Principis, & hæc ipsa confessio de quatuor capitibus expositis, & quæ antè & post acta fuere vniuersa, impietatis crimen Flacianum luculentè refutent, sicut & reliqua quæ in libro illo partim falsa, partim deprauata, calumniosissimè autem omnia collecta sunt, vt res arguet. Quæ tamen præterea in libro Augustano nostri Theologi in tractationibus Pagensibus requisauerint nunc subijciemus.

Postridiè igitur quæ fuit 24. Augusti ad Episcopos de mandatis Princip. Electoris Consiliarij retulerunt, vt Colloquium inchoaretur, ibi tum Episcopi consignari sibi voluerunt ea capita ex libro INTERIM, in quibus aliquid desideraretur, de quibus deinceps colloquerentur. Ita igitur à Theologis hæc vt de capitibus in explicatis notatio proposita fuit.

De Iustificatione.

De potestate Ecclesiastica offertur obedientia, si curent & sinant ueram doctrinam doceri, quod ut faciant optamus.

De Ordinatione dicatur qualis futura sit, ne præsens forma mutetur.

De Sacramentis.

De Baptismo.

De usu integræ Cœnæ Dominicæ.

De Confirmatione concedi potest, si superstitio excludatur.

De Confessione potest commodius intelligi liber.

De extrema unctione, ne ipsi quidem Episcopi consecrabunt oleum, si considerauerint, quales sint consecrationes & quam absurdæ.

De Missa agendum ne præsens forma mutetur, cum omnia substantialia contineat, consecrationem & exhibitionem corporis & sanguinis Christi, Recordationem passionis Domini, Gratiarum actionem, petitionem ut propter filium detur remissio peccatorum, Applicationem quæ fit fide. Hæc omnia complectitur oblatio, quia oblatio, non est proprie externus aliquis gestus, sed hæc ipsa in corpore de recordatio, gratiarum actio, petitio ut propter filium detur remissio & applicatio.

Ne onerentur Canone.

Nec onerentur Inuocatione Sanctorum.

In ritibus Adiphoris elegantur utiles communi deliberatione.

Potest institui ut singulis Septimanis pluribus diebus celebretur missa in oppidis, quum ibi adsunt communicaturi.

De esu carniū & ieiunijs nihil litigamus.

*Hæc simplex notatio, etsi plura capita complectitur, tamen res tota directa tum fuit ad ea, quæ publicum statum Ecclesiarum attingunt, & communiter pertinent ad scientiam & confessionem uniuersorum & singulorum, de quo agebatur, cum Princeps sibi & populo consilium expeteret. Ea supra quatuor capitibus proponuntur, pœnitentia autem & satisfactio ad articulum Iustificationis*

ificationis referuntur, quo explicato nihil in his corrupte-  
larum adhaerescere aut consistere potest. De confirmatione  
quomodo concedatur, & scriptum Misenenſe docet & ma-  
gis explicabitur infra in Cellensibus actionibus et cæteris.  
De Baptismo & Cæna Domini mentio similiter de popu-  
lari usu fit, Nam quæ ad disquisitiones doctorum perti-  
nent, de ijs tum non fuit disputatum, Et Flacius tamen  
cum 5. Subscriptoribus transubstantiationem à nostris ap-  
probatam scribere audeat, cuius rei cum argumentum esse  
uelint ea quæ scribuntur supra de Cæna in censura Misenen-  
si, miramur hæc etiam illum non assumpsisse, Etsi hoc ge-  
nus ita est incogitans, & vanum ac leue, ut in vna &  
eadem re simul & superstitionis & profanitatis nostros in-  
simulare, & contraria nobis tribuere non dubitet, cum hæc  
ipsa se refutent. Hanc notationem postea Consiliarij Lega-  
ti Episcopis tradiderunt, de quib. collocutio fieret, quorumq;  
explicatio de instructione Principis quaereretur.

Ita de capite Iustificationis colloquij initium factum,  
& proposuerunt Theologi nostri doctrinam de hac scripto  
comprehensam, hoc modo ut sequitur.

CAPVT DE IVSTIFICATIONE HO-  
minis coram Deo ex formula Mysnica descriptum,  
& Episcopis in congressu Pegauensi  
propositum.

Quomodo homo coram Deo iustus fiat.



**P**ostquam dictum est, quod filius Dei mirando & inscrutabili consilio, Mediator & Saluator constitutus sit, & quod propter ipsum nobis certo donetur remissio peccatorum, Spiritus sanctus, iusticia & uita æterna, postea sciendum est, quomodo hæc summa dona & beneficia accipiantur, & adplicentur, Nimirum hoc modo.

Et si Deus non iustificat hominem propter merita operum suorum, Sed gratuita misericordia, sine nostris ullis meritis, ut non ea nostra, sed Christi sit gloria, cuius unius merito à peccatis liberamur & iustificamur, tamen in homine efficax est misericors Deus, non ut in trunco, Sed ita trahit, ut uoluntatis actionem in adultis accedere uelit.

Nam adulti non accipiunt beneficia Christi, nisi præeunte gratia, uoluntas & cor moueatur, ut expauescat ad sensum iræ Dei, & serio detestetur peccatum. Cum enim peccatum causa sit inimicitiae inter Deum & hominem ut Esaias inquit, nemini ad thronum Gratiæ patet aditus, nisi serio dolore & uera poenitentia se à peccatis auertat. Quare & Baptista Domino uiam paraturus serio clamitat, Agite poenitentiam, appropinquat enim regnum coelorum.

Et nihil dubium est, prorsus oportere in conuersione existere contritionem & pauores iræ Dei. Nec potest ulla conuersio esse aut accipi remissio peccatorum, quam diu manet securitas & propositum perseverandi in peccatis contra conscientiam, Ideo inquit Esaias: Vbi habitabit Dominus? In corde contrito & tremente sermones meos. Et in Mose scriptum est. Deus est ignis consumens. Hoc est, Deus uere & horribiliter irascitur peccatis & hoc iudicium statim post lapsum uerbo suo & poenis declarauit, & legem postea additis certis calamitatibus esse commonestationes de ira Dei.

Vult etiam ministerio uerbi & Spiritus sancti in Ecclesia peccatum accusari in cordibus hominum, donec sub finem mundi fiet integra liberatio, Sicut scriptum est, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato.

Nec tantum iram suam patefecit. Sed immensa bonitate addidit Clementiss. promissionem, Nempe Euangelium de filio Dei, Estq; hæc ipsius æterna & immota uoluntas iuramento, sanguine filij & eiusdem resurrectione ac multis miraculis confirmata, quod certo uelit remittere peccata, donare Spiritu Sancto, recipere nos, res uocare, & facere hæredes uitæ æternæ, propter filium, non propter merita aut propriam dignitatem, si in pauoribus istis & poenitentia uerè

uerè crediderimus, & confissi fuerimus propter filium Mediatorem nobis certo peccata remitti.

Hæc uera fides qua necesse est Deum recte agnosci, adsentitur omnibus articulis Symboli, Et cum alijs omnibus articulis etiam huic, credo remissionem peccatorum, Credo mihi nominatim non tantum alijs peccata remitti.

Etsi enim plurimi eorum, qui perseverantes in delictis contra conscientiam sunt socij confessionis doctrinæ, fidem iactitant, ea tamen nequaquam est uiua & iustificans fides, Non enim credit sibi ipsi remissa esse peccata, nec accipit promissionem, non accedit ad Deum, non est aliquis sensus consolationis, nulla inuocatio.

Nec dubium est, Fidem Diabolorum, qui horribiliter conseruiscunt & expauescunt, iudicium Dei, longe aliam rem esse, quam est hæc uera fides, quæ accipit promissionem, & benignissimam consolationem, sicut clare testatur Paulus Rom. 4. Se loqui de fide accipientem consolationem, quæ non est tantum noticia ut in Diabolis, aut hominibus qui uiuunt in delictis contra conscientiam. Sed hæc fides cum alijs articulis, credit remissionem peccatorum, accipit promissionem, & est in corde uera fiducia filij Dei λόγῳ dicentis consolationem in corde & excitantis cor ad inuocationem, De qua fide loquitur dictum Esaiæ, quod allegat Paulus Rom. 10. Omnis qui credit in illum non confundetur.

Ac certissimum est, non esse aliam uiam accedendi ad Deum impetrandi remissionem peccatorum, & reconciliationem, nisi hanc solam per filium Dei, Sicut scriptum est. Nemo uenit ad patrem nisi per filium.

Et ideo simul datur Spiritus sanctus in corda nostra, cum promissionem diuinam ita fide accipiamus & ea nos erigimus, ut expresse dicitur Gal. 3. ut promissionem Spiritus accipiamus fide.

Et tum quidem efficit Spiritus sanctus in corde firmam consolationem & uiuificat corda, excitat nouas & necessarias uirtutes, auget fidem, fiduciam, spem, accendit dilectionem, impellit cor ad ueram inuocationem, & ad bona opera, & illi qui sic acceperunt remissionem peccatorum & Spiritum sanctum, iam sunt hæredes æternæ salutis, propter hunc saluatorem, sicut inquit Paulus: Donum Dei uita æterna, propter Christum Iesum Dominum nostrum.

Cumq; Deus immensa bonitate Adam & Eua in gratiam receptis & tradita ipsis promissione de uenturo liberatore, Semper in genere humano sibi Ecclesiam collegerit & conseruauerit, Simul etiam hanc sententiam doctrinæ, de remissione peccatorum & fide & eius

eius uerum intellectum omnibus temporibus conseruauit, quæ quamquam in multis, qui peccatorum remissionem proprijs operibus mereri statuerunt & in dubitatione manserunt, sæpe obscurata fuit, ut in Ethnicis, qui ne memoriam quidem ullam remissionis peccatorum retinuerunt, tamen hanc sententiam in scriptura clarè expressit Deus, & subinde omnibus temporibus in Ecclesia declarari uoluit, ne agnitio & honos filij extingueretur, sed ut ipse hoc modo Ecclesiam colligeret, & multos homines saluos faceret.

Et ut breuiter ac summam dicam. Vtrumq; sciendum & credendum est omnibus hominibus, Quicumq; perseuerat in delictis contra conscientiam certo statuat se habere Deum iratum, & nisi conuertatur, in æternas pœnas uenturum esse, Et contra in conuersione, serio uult & præcipit Deus, ut promissionem accipiamus fide & statuamus, Deum, non propter propriam dignitatem, sed propter filium Dei *ἰησοῦν υἱὸν θεοῦ* nobis propitium esse, remittere peccata, uelle nos recipere, exaudire & iuuare.

Et quanquam in hac nostra infirmitate, adhuc hærent multi fluctus dubitationū, tamen Deus ideo promissionē tradidit, ut ea erecti & confirmati uincamus dubitationes & ad Deum confugiamus.

Cum Paulus inquit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Non docet homines dubitare, sed utrumq; uult scire & certo statui. Conscientiam debere rectam esse, & multas esse in nobis infirmitates, & quanquam sine peccato non uiuamus, nihilominus tamen Deum placatum & propitium habeamus propter dilectum filium, ac recte dicit Augustinus, totius fiducia certitudo debet esse in præcioso sanguine Christi.

Estq; diuina & immota ueritas, quod accepta remissione peccatorum, in corde simul Spiritus sanctus inchoat ueram inuocationē, dilectionem, spem & alias uirtutes, ac necesse est, simul adesse bonum propositum & bonam conscientiam, Sicut Paulus coniungit bonam conscientiam & fidem non fictam, Et Ioan. inquit: Qui non diligit manet in morte.

Verissima hæc sunt, Et ut maxime dei gratia & auxilio sine scelere contra conscientiam & mortali peccato possemus uiuere, tamē hoc scire oportet, quod in hac infirmitate uitæ in homine multæ uiciæ osæ inclinationes maneant, & quod homo sine peccato nō uiuat. Sicut inquit Paulus. Video aliam legem in membris meis repugnantē legi in mente. Et in Psalm. dicitur. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Daniel inquit: Non propter iusticias nostras sed per misericordiam tuam propter Dominum exaudi nos.

Quare etiam si noua obedientia inchoata est, & iusticia infusa est in homine, non tamen cogitandum est, quod propter eam persona habeat remissionem peccatorum, & eam mundicem, cui nulla remissione peccatorum, & nullo Mediatore opus sit, Nam filius Dei est & manet perpetuus Mediator, & consistens in arcano consilio Dei intercedit pro nobis, ne seuera & horribilis Dei ira aduersus peccata in nos effundatur.

Nec satis dicitur, cum dicitur Deum reliquam infirmitatem non uelle imputare & fingitur persona esse sine peccato, & inducuntur homines in uanam fiduciam propriae iusticiae, Sed utrumque requiritur in nobis bona conscientia, inchoata obedientia & infusa iusticia, & cum hac ista humilitas & fides, ut confitemur nos habere adhuc peccata, & nos seruo & uero dolore sentire & improbare nostra peccata, Confiteamur etiam nos, si iure suo & iusticiae seueritate nobiscum agere Deus uelit, poenas meritas esse, & in illis Deo obtemperaturos esse, ut Daniel inquit: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei, &c. Hanc uero necessariam consolationem simul adesse oportet, quod Deus certo ac uere personam nostram adoptauerit & ei propicius sit, propter Christum filium. Hanc fiduciam quae intuetur Mediatorem in iudicio Dei, necesse est in huius uitae infirmitate semper coeteris uirtutibus ita praelucere, ut iustus semper sua fide uiuat.

Quare cum ait Paulus: Fide iustificamur, non sic intelligenda est propositio, quod fides tantum sit praeparatio, Sed Christo filio Dei suum honorem tribui oportet, quod sit & maneat perpetuus Mediator, In hac etiam humilitate, nobis consistendum est, ut agnoscamus in nobis esse peccatum, & nos indigere gratia, & uere Deum nobis uelle propicius esse, si in hac humilitate credamus ei firmiter & hanc consolationem teneamus, ipsum nobis placatum & propicius esse propter filium.

Hanc uero consolationem omnibus pijs necessariam esse, sua quemque docet cordis experientia. In omni animi angustia & uera inuocatione, omnes gemimus & clamamus, Ah sum miser peccator, & indignus, quem Deus exaudiat. In hac consternatione homo non eo deduci debet ut fingat, se iam habere multas egregias nouas uirtutes, propter quas mundus sit & insons, nec amplius indigeat Dei misericordia aut peccatorum remissione. Sed confugere debet ad filium Dei, & sciat, se in eo iuxta promissionem debere confidere, sicut Daniel inquit: Non propter iusticias nostras, Sed per misericordiam propter Dominum, id est, propter promissum Saluatorem.

Ex his omnibus utrumq; manifestum est. Verum esse quod in nobis nouam obedientiam & infusam iusticiam inchoari & esse oporteat, ac necesse sit, & tamen fidem & fiduciam semper fixam in filio Dei esse debere, & teneri semper oportere hanc consolationem, quod Deo accepti simus propter filium.

Hac fide amissa, nulla potest esse dilectio, aut refugium ad Deum, nulla uera inuocatio. Sed hæc fides efficit consolationem, dilectionem, Inuocationem, ut dictum est, & non est sine dilectione.

Illæ etiam nouæ uirtutes & bona opera in illis, qui hoc modo reconciliati sunt, nominantur iusticia, ut supra de infusa iusticia dictum est, quod non ita intelligi oportet, quod propter eas persona habeat remissionem peccatorum, aut quod persona in iudicio Dei sit sine peccato, sed quod Deo hæc imbecillis & utcumq; inchoata obedientia in hac misera & fragili natura propter filium placeat. De qua iusticia Iohannes loquitur: Qui facit iusticiam, iustus est. Ac uerum est, cum facta uel opera militant contra Deum, ibi esse Dei contemptum, & nullam conuersionem ad Deum in corde factam esse, Qualis enim arbor, tales sunt fructus, sicut postea uberius dicendum.

### *De bonis Operibus.*

**P**orro de bonis operibus hæc Regula certa est, ea demum opera bona & necessaria esse, quæ Deus præcepit, iuxta Decalogum & Decalogi declarationem in Apostolorum scriptis expressam, Hæc regula est norma discernendi bonam conscientiam & malam.

Et ut antea dictum est, seuerissimum Dei mandatum est, ut uiuamus cum testimonio bonæ conscientiae, iuxta dictum: Milita bonam militiam, serua fides & bonam conscientiam, Qui autem perseverat in delictis contra conscientiam, non est conuersus ad Deum, sed est adhuc hostis Dei, & Dei ira manet super eum, nisi ad Deum conuertatur. Hoc certissimum est secundum dicta. Gala. 5. De his prædico uobis sicut prædixi: Qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Et in iuramento suo Deus utrumq; complexus est, quod & conuersio sit necessaria, & quod remissio peccatorum fide accipienda sit. Viuo ego, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Quare ubi nulla conuersio est, ibi nulla est gratia. Hoc omnes sani sciunt & intelligunt sine longa declaratione.

Porro, cum reconciliatus qui fuit in Gratia Dei, ruit contra mandatum Dei in delicta contra conscientiam, is contristat Spiritum sanctum, amittit gratiam & iusticiam, fit rursus reus iræ Dei, & nisi conuertatur, ruit in poenas æternas, ut Saul & plurimi alij. Hoc

Hoc clarè & expresse dicitur Rom. 8. Debitores estis, ut non secundum carnem uiuatis, Si secundum carnem uixeritis, moriemini, hoc est, Si prauis inclinationibus contra conscientiam indulseritis, ruetis in pœnas æternas.

Ac talia peccata non tantum æternas pœnas merentur uitæ futuræ, sed etiam multas horribiles pœnas in hac uita & merentur & attrahunt, quibus cum autor ipse ac patratior, tum alij homines obruuntur, ut ostendunt pœnæ adulteriij & homicidij Dauidis.

Propter has causas ( ut quàm breuissimè dicamus) facile potest intelligi, Bona opera esse necessaria. Nam & Deus ea præcepit. Et cum committuntur peccata, excutitur gratia & Spiritus sanctus, & sequitur æterna condemnatio.

Bona uero opera in reconciliatis placent Deo ad eum modum, quo supra dictum est: Ac uerum est nos simul filios Dei & hæredes æternæ salutis effici propter Christum, quàm primum ad Deum conuertimur, accepta remissione peccatorum & Spiritu sancto per fidem. Et tamen noua obedientia seu bona opera adeo necessaria sunt, ut nisi in corde excitentur, appareat gratiam omnino non acceptam esse.

Omnino autem accipi gratiam Dei oportet, & ea consolatio non est inanis cogitatio, sed est uita & liberatio ex magna consternatione, ut Rex Ezechias inquit: Esa. 38. Quasi Leo contriuit omnia ossa mea, &c. post tergum proiecit omnia peccata mea.

Sic Paulus inquit: Superinduemur si tamen non nudi reperiemur. Et Apo. 2. Sis fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ. Duo in his dictis comprehensa sunt. Primum initia æternæ salutis in hac uita fieri oportere, Alterum ne ante exitum è uita desiciamus. Et ipsa generatio per se est noua lux, est timor Dei, dilectio & læticia in Deo & multarum uirtutum copulatio, sicut dictum sonat: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te uerum Deum, & me lessum Christum.

Sicut autem hanc ueram agnitionem in nobis lucere oportet, ita uerissimum est has uirtutes, fidem, dilectionem, spem & alias ad salutem necessarias esse.

Hæc omnia intellectu facilia sunt uere pijs, qui consolationem apud Deum quærun & experiuntur.

Cumq; uirtutes & bona opera Deo placeant ut dictum est, merentur etiam præmia spiritualia & corporalialia in hac uita, secundum consilium Dei & maiorem compensationem in uita æterna,

iuxta promissionem. Et hoc ipso nequaquam confirmatur iste error, quod æternam salutem dignitate operum consequamur, aut quod alijs merita nostra communicare possimus. Sed fides agnoscit propriam imbecillitatem, & refugium habet ad filium Dei, & accipit hanc æternam consolationem ex meritis ipsius & plenitudinem, secundum ineffabilem & immensam gratiam promissionis, & scit in conuersione semper Deo fidendum esse promittenti, & iureiurando confirmanti promissionem, & statuit desperationem, tanquam contumeliosam in Deum blasphemiam summum peccatum esse.

Porro bona opera multis promissionibus & magnis laudibus in Scriptura ornantur, quod eruditi Concionatores suo loco semper uberius declarabunt. Vult enim Deus etiam in donis temporalibus sese agnosci & inuocari, & vult illam ipsam inuocationem fieri, fide & bona conscientia.

Quæ autem dicenda sunt de operibus non mandatis à Deo, de illis etiam distinctè, separatim & uberius, quantum opus erit explicaturi sumus.

*In hoc scriptum inquirentes Episcopi, cum reprehendere & improbare verè nihil possent, ne id tamen sine aliqua admonitione approbasse viderentur, verba quædam excerpserunt, quæ disputationem de bonis operibus proximè præcedunt. Vbi sic legitur: virtutes etiam & bona opera in talibus recõciliatis, iusticia appellatur (sicut supra de infusa iusticia dictum est) non tamen hoc sensu quod persona propter hæc remissionem peccatorum habeat, vel quod persona in iudicio Dei sine peccato sit, Sed quod Deo hæc inchoata & imbecillis obedientia in hac corrupta & immunda natura, propter filium in credentibus placeat, de quorum operum iusticia Iohannes loquitur, cum dicit: Qui iusticiam facit iustus est, & cætera, quæ supra videantur. In hac igitur periodo Episcopi hæc verba deleri voluerunt, Sed quod Deo hæc inchoata*

choata & imbecillis obedientia in hac misera, corrupta, et  
immunda natura propter Filium in credentibus placeat,  
Et loco horum sic scribi, & reponi, Sed quòd homo per  
Spiritus sanctum renouatus, hanc iusticiam opere effice-  
re possit.

Theologi cum expositis causis docerent, cur tolli ex  
suo scripto illa quæ notarentur non possent concedere, per-  
sisterunt in sententia Episcopi, & nisi ita fieret, se non  
posse nostra approbare. Ita hæsit res exorta controuersia.  
Quod tamen Episcopi cætera vniuersa, quæ de doctrina  
Ecclesiarum nostrarum in præcipuo capite religionis præ-  
clare exposita essent concessissent, & ex hoc spes bona  
conciperetur de reliquorū explicatione, actum de eo fuit,  
an illa ab Episcopis proposita verba ferre possent Theolo-  
gi, vt retentis suo loco, quæ exprimi vellent Episcopi, hæc  
quoq; Episcoporum verba insererentur in scriptum ex hi-  
bitum, vt fieret periodus talis: Virtutes etiam & bona  
opera in talibus reconciliatis iusticia appellantur (sicut  
supra de iufusa iusticia dictum est) non tamen hoc sensu,  
quòd persona propter hæc remissionem peccatorum habe-  
at, vel quòd persona in iudicio Dei sine peccato sit, sed  
quòd homo per Spiritum sanctum renouatus hanc iustici-  
am opere efficere possit, & quòd Deo hæc inchoata &  
imbecillis obedientia in hac misera & corrupta et immun-  
da natura, propter filium in credentibus placeat, de quorū  
operum iusticia Ioannes loquitur, cum dicit: Qui iustici-  
am facit, iustus est, &c.



Huic etiam cum aduersarentur Theologi, cum alijs de causis, tum præcipuè quod talis insertio coherentiã verborum in contextu orationis turbaret, & perspicuitati eorum, quæ exposita essent, officeret, admoniti fuerunt, vt cogitarent, & vniuersam doctrinam iustificationis per se ab Episcopis approbari, & hanc insertionem magis esse eorum, qui videri vellent corrigere posse aliquid, quam qui quod corrigeretur, reperirent, neq; per se correctionem hanc esse, nam hoc loco, & tali modo, illam insertionem nihil prorsus addere vel demere explicatæ formulæ, aut veritati periculum, aut scandalo occasionem afferre, & de corrigendi cupiditate, non necessitate, testari, quod qui cætera concederent, eos de hoc pugnare, omnes intelligerent quale esset. Item in hoc capite de Iustificatione si hoc modo conueniretur, in promptu esse cogitare, quid de cæteris fieri posset, de quibus Princeps mandasset. Nam omnino negocij explicationem hoc modo sperari posse. His igitur & similibus contentionibus, ne suæ gloriæ aut existimationis, & omnino respectu aliquo, earum rerum quæ ad priuatos ipsos pertinerent, contumaciter quicquam facere iudicarentur, quantumuis inuiti hanc insertionem tolerarunt. Atq; ita hæc deinceps in scriptum à nostris exhibitum assuta, neq; in toto scripto præterea quicquam additum, detractum aut mutatum fuit. Ita igitur descriptum illum articulum, cum Episcopi dicerent se approbare, & quod hoc modo cum doctrina libri INTERIM illa Theologorum formula

mula congrueret atq; concordaret, Tum Philippus Melan-  
thon statim in confessu contradixit, & Episcopis disertè  
indicauit, se minimè posse dicere, doctrinam de Iustifica-  
tione eam quæ formula de qua conuenisset comprehendere-  
tur, cum doctrina in libro Interim concordare.

Capite de Iustificatione hoc modo explicato, cum  
peterent Legati ab Episcopis, vt ad reliqua capita secun-  
dum supra expositam consignationem procederetur, impe-  
trari hoc non potuit, neq; libuit Episcopis amplius de  
vlllo capite quicquam collationum admittere, hac potissi-  
mum de causa, quod in ipsorum potestate non esse positum  
dicerent, in libro INTERIM quicquam mutare, &  
se hoc tantum consilio, hanc collocutionem cum Theologis  
suscepisse, vt de sententia libri explicaretur, & falsæ  
perceptiones auerterentur, & quanquam à consiliarijs Le-  
gatis, de præscripto Principis, sic etiam admoniti fuere  
de multis causis, quibus meritò moueri debuissent vt se-  
cus facerent, & expositis rationibus, quas difficultates  
et quæ pericula res complecterentur, si differretur collatio  
significatum fuit, & petitum vt de reliquis capitibus  
vniuersis cum Theologis, saltem sine vlla obligatione, col-  
loquerentur, & sententiam suam ederent, dum de Cæsa-  
ris voluntate cognoscerent. Hæc igitur etsi ita mone-  
bantur, tamen sic quoq; causas afferebant cur obsequi non  
possent, has fermè posse conueniri de capitibus fermè  
vniuersis, excepta ordinatione & Missa. Ad Missam au-  
tem quod attinet, non posse se concedere in eo ne Canon  
legeretur,

legeretur, & Canonis esse vsum per antiquum. De ordinatione similiter se non posse facere vt Sacerdotes crearent eos qui vxores haberent, & in Sacramento Cœnæ poculo vterentur & ipsi & alijs exhiberent, nisi peculiari concessione hoc ipsis à Romano Pontifice permitteretur, vel, vt loqui solent indulgeretur, idq; Imperatorem in se recepisse dicebant, quod à Pontifice impetraret, hanc se permissionem expectare, quam antequam nanciscerentur, nihil se concedere in hac parte posse, neq; introducere ea quæ liber INTERIM præscribat. Significabat tum etiam Neupurgensis, se nuper admodum ad consiliarios Cæsaris scripsisse, & de permissionis illius impetratione sollicitè monuisse. Cum igitur tentatis omnibus non posset ab Episcopis obtineri, vt conferendo procederent, petierunt Legati vt Consilia sua conferrent, quid respondendum Cæsari censerent. Tum Episcopi consultum forè indicarunt, vt Princeps Elector scriberet, se cum Episcopis colloquium habuisse, & cognouisse, quod in ordinatione hæreretur, & indultum requirere, vt Sacerdotes ipsis creare liceat eos qui vxores habent, & in Sacramento Cœnæ, poculo & ipsi vtuntur, & alijs hoc exhibent, ideoq; se subiectissimè petere vt indultum illud seu concessionem benignè impetret, & ne moram, cuius causa inde extitisset, grauitè ferat, &c. Hæc qualia sint omnes intelligunt. Interea consultum indicarunt, vt doceretur de Iustificatione, ita sicut conuenisset, & constituerentur quæ possent, vt vespertinæ preces, & similia.

Hæc

Hæc tum legatis ita ut diximus ab Episcopis seorsum  
responsa sunt, neq; his postremis actionibus Theologi  
interfuere. Legatis verò cum de Indulto res minimè pro-  
baretur, & non tantum de ordinatione, sed etiam de  
Missâ nihil vellent Episcopi concedere, inculcantes ex-  
emplum antiquitatis, & priscos Patres Canonem &  
alios ritus vsurpassè ante multa secula, &c. His igitur  
de causis non faciendum visum fuit Legatis, vt Theologi  
amplius cum Episcopis ad disputationem committerentur,  
ne acerbiores res fierent.

Ita factum, vt collationem omnem detrectantibus  
Episcopis, consultationes de expedienda ad Imperatorem  
responsione abrumpi, & in proximè sequentes Conuentus  
reyci necesse fuerit, quod concludi ante ampliorem delibe-  
rationem de Adiaphoris nihil posset. Hæc acta fuere 25.  
Augusti, id est, postridiana die à tractatione proxima de  
capite Iustificationis, atq; ita postea discessum.

Antè tamen quàm ad reliqua accedamus, de pro-  
missione Iurisdictionis restituendæ Episcopis explican-  
dum, etsi res iam est explicata scripto mandatorum Prin-  
cipis, quod in harum tractationum narratione supra inse-  
ruimus, vbi eiusmodi conditionibus, restitutioni huic ca-  
uetur, vt qui illis lectis, non acquiescat, ei satis fieri vllo  
modo an possit, dubitemus. Sledanus quidem cum cate-  
ris Principibus vniuersis, tum nominatim Mauricio: nam  
hunc solum nominat: tantum non vt probrum obijcit,  
quòd de restitutione bonorum & Iurisdictionis assensus  
P p fuerit,

fuert, vol potius Cesari non reclamavit, nam hoc verbo  
vritur, qui scriptor, si bonorum restitutionem probrosam  
voluit haberi, in quas difficultates se conyctat, manifestũ  
est, nam erunt, quibus absurda, nonnullis impia, quibus-  
dam iniusta ea sententia videbitur, & quid ius diuinum  
& humanum statuatur, non ignoratur. Iurisdictionis au-  
tem restitutionem si damnat, meminisse debuit concessio-  
nis eius, quæ fit in confessione Augustana, quam Sleda-  
nus, vt minimè dubitamus, piam & Christianam iudica-  
uit. A qua si recessisse Princip. Mauricium Electorem  
comperisset Sledanus, causas habuisset, cur factum huius  
improbaret. Sed Flacius & Flaciani multo atrocius &  
impudentius loquuntur, hac concessione veritatem prodi-  
tam, quod Iurisdictionis & ordinationis restitutio Epis-  
copis delata fuisset, cum conditio supra exposita habeat:  
**QVATENVS HAC ILLI AD PER-**  
**SECVTIONEM CHRISTIANÆ**  
**DOCTRINÆ ET VERI cultus Dei non**  
sint abusuri, Et vt ordinent eos, qui ex nostris Ecclesijs  
ad ipsos mittantur, neq; obstare sibi patiantur, quod vxores  
habeant & Sacramentum integrum exhibeant, Neq; in  
ordinatione ad Sacramenti vsum mutilum eos cogant, etc.  
Celibes ad votum de Celibatu præstando ne cogant, neue  
his matrimonium præcidant. Et exponentur infra eadem  
conditiones à Theologis præscriptæ.

Sed aliqui callidiores vel διαβολικωτεροι obiecerunt,  
Iusum hunc esse, & præstigias, quod in his conditionibus  
ponantur

ponantur ea quæ nunquam futura sint, aut fieri possint, neq; enim Episcopos vnquam tales conditiones admissuros fuisse, Et has tamen conditiones ferri in Augustana confessione, Apologia, Smalcaldicis articulis, & multis alijs locis, ante illud tempus nemo grauius tulerat, à Princip. Mauricio fieri intolerandum iudicarunt. Etiam Paulina præcepta qualem Pastorem Ecclesiæ esse oporteat, recitatur, cum quàm multi tales sint non sit obscurum. Neq; his conditionibus nostrorū quicquam conceditur quod impiū sit aut concedi non debeat, sed officij sui Episcopi admonetur, hoc si non faciunt nihil ipsis est concessum. Sed ad calumnias manifestas pluribus disputandum non videtur, itaq; hoc modo indicatam rem esse in præsentia satis est.

Hæc tota cum Episcopis tractatio, ita mendacijs & calumnijs obruta fuit, & à Flaciana factione, vt superiore anno Flacius & quinq; edito libello scribere ausierint, articulum de Iustificatione in his tractationibus ita miserabiliter excarnificatum, vt quibus rota ossa franguntur in supplicijs publicis, & vt magis odiosa res fieret, illud scriptum quod Augustam missum ad obiectiones certas aduersariorum supra diximus, cuius initium: Quæ vera sunt &c. Illud igitur ad has Pegenses tractationes transtulerunt. Item acerbissimè inculcant & suspiciosissimè de articulo Iustificationis cum Episcopis conueniri potuisse, quod hoc vt rem eiusmodi, quæ sine corruptela doctrinæ veritatis fieri nequeat, haberi velint, neq; recordantur in Comitij Ratisbonensibus Anni XLI. de

hoc capite non cum duobus Episcopis, sed cum vniuersis  
aduersarijs nostris conueniri potuisse, vt notum est. Sed  
quid factum sit optima cum fide exposuimus, & quoniam  
Flacius cum suis quinq; scribit quendam, cuius opera ad  
scriptiones in illis tractationibus adhibita fuerit, excepisse  
& consignasse omnia, etsi nomen huius neq; tacere possunt,  
neq; exprimere audent, sed tres literas tantum, vt in alijs  
etiam multis, malicia & leuitate ridicula edunt. Iste igitur  
scriba & Gallus & Flacius & Flaciani vniuersi, si  
quid eorum quae acta fuere de hoc Articulo à nobis callidè  
omissum deprehendunt, proferant, & fidem nostram accu-  
sari patiemur. Hoc quidem certum est, Flacium hanc ex-  
plicatissimam & rectissimam de Iustificationis doctrina  
formulam, notatiunculis appositis penè scurrilibus, &  
suspicionum falsarum ac violentarum, quibus immixtus  
est maximè, illitis ratiunculis, ita torsisse, confregisse  
ac deformasse, vt sine ingenti commotione animorum  
& malitiæ nefariæ detestatione relegere ea non potue-  
rimus.

Eodem attulerat Philippus catalogum argumentor-  
um partim pro receptione libri, partim contra eundem  
in hunc vsum collectorum, vt suos collegas in vera sen-  
tentia instrueret & confirmaret. Ex qua declaratiuncu-  
la, cum eis sollicitudo de tuenda veritate conspici, &  
praeterea animaduerti possit, quàm proeant abhorruerit ab  
illis fucosis conciliationibus, quas liber Augustanus  
proponebat, & qua constantia confirmati animi in agnitione  
veritatis

veritatis propugnacione perseverare decreuerit, qua pietate solliciti de his Ecclesijs animi consilia, conatus & studia direxerit omnia ad conseruandam doctrinae veritatē, & prohibendam vastationem Ecclesiarum in his regionibus, Etiam illum catalogum huc adscribere libuit.

Tandem de summa rei singulis statuere necesse est. Imperator Carolus nouam formam vult constituere, & constituit dissentientem à nostra in aliquibus articulis magni momenti. Vult uideri medium quaerere inter Papistica & Lutherana. Hanc formam uolumus ne amplecti & adiuuare? an uero ab ea nos seiungere?

Vt amplectamur, causæ hæ sunt:

I. Quia honestum est adiuuare communem concordiam, in qua principalia nobis conceduntur.

II. Quia honestum est adiuuare propagationem Euangelij ad exterarum nationes. Et hoc fit in hac conciliatione.

III. Quia non est pugnandum de paruis rebus.

IIII. Apostoli quædam concesserunt Iudæis, ut abstinere à sanguine & suffocato, Ergo & nos fratribus & cupientibus iuuare Ecclesiam aliqua concedamus, Et omnino speciosum est consilium τοῦ ἀποστόλου, quod uelit opem ferre Ecclesiæ. Sed est uera stabilitio Papatus καὶ ἀετλατρία.

Contra causæ dehortantes hæ sunt:

Qui non fuerit me confessus, nec confitebor eum.

Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit.

Fugite Idola.

Nolite iugum ducere cum gentibus.

Quæ est societas Deo & diabolo?

Si quis non diligit dominum Iesum, anathema sit.

Item, Blasphemia est agnitam ueritatem persequi.

Iam oportebit exercere sæuiciam propter articulos concessos

Non communices alienis peccatis. (Imperatori.)

Si quis pastor non uolet inuocare sanctos, aut probare missas

pro mortuis, aut circumgestare panem, expelletur.

Iam ad contraria.

I. Honestum est adiutare concordiam communem, uerum est, sine ueritatis iniuriâ, sine turbatione nostrarum Ecclesiarum.



II. Honestum est adiuuare propagationem Euangelij, uerū est, si est propagatio Euangelij, & non stabilitio errorum.

III. Apostoli concesserunt quædam, & nos concedimus multa. Sed dictum est: Fugite idola, & iniustam persecutionem.

Tota hæc fucosa conciliatio tantum est Canonicorum stabilitio & impiorum cultuum, & approbatio sæuiciæ in Belgico & alibi, siue iam siue postea talem cōciliationē facient principes. Sed tutius est abesse ab eorum consilijs, & retinere incorruptam ueritatem. Non possunt probare aduersarij, quod placeat Deo ἐπιλασσεσθαι τῶν τοῦ π.

*Hæc argumenta & in hoc conuentu & in præcedentibus etiam ac sequentibus tanquàm consiliorum & actionum omnium normam sequuti Theologi, eodem Spiritu eodemq; conatu, nunquam inflexa sententia, libri fraudulenti atq; insidiosis Sophismatibus sunt aduersati, Sicut tota series deliberationum & tractationum ostendit.*

CONVENTVS TOR  
GENSIS HABITVS MEN  
SE OCTOBRI ANNO  
M. D. XLVIII.

**P**erseuerante Principe Elect. Mauricio in sententia, ut cederetur Imperatori in omnibus quæ piè & cum bona conscientia fieri possent, & quæ Adiaphora essent, de ijs ne sine causa pugnaretur, &c. Delecti ex ordinibus in Conuentu Misnensi responsionem reiecerunt ad vniuersos ordines, quod de concessione eorum, quæ ad vniuersos pertinerent, statuendum sibi non iudicarent. Itaq; soluto Conuentu illo, vniuersorum ordinum conuocatio institienda

stituenda fuit, in qua vt de responsione esset res expeditior, illa cum Episcopis interea tractationes susceptæ fuere, & hoc modo explicatio quæ sita rebus hærentibus, sed quantum profectum sit præcedens narratio docuit.

Cùm autem Imperator finem non faceret vrgendi de libro, neq; hic tantum, sed alij etiam huius nomine, & cùm ex literis certorum hominum & scriptis multiplicibus, tum alijs de argumentis intelligeretur, in maximis periculis has terras versari, differri de responsione consultatio amplius non potuit. Itaq; ad 18. Octobris, quæ est 15. Calend. Nouemb. vniuersos ordines ditionis suæ Torgam conuocauit. Ex Theologis autem Principem Anhaltinum Georgium, &c. & reliquos, qui in Misnensi Conuentu affuerant, qui & conuenerunt, vniuersi, excepto D. D. Crucigero, qui decumbens in morbo trigesima die post ( cum Cella Mysc:um deliberatetur de ijs, quæ in hoc Conuentu inchoata sunt ) ex hac vita, ad Conuentus aliquantò suauiores & minus obnoxios improborum obtrektionibus, euocatus est, pietate, sapientia, doctrina vir præstantissimus. Qua calamitate post Lutheri mortem non accepit res Scholastica & Ecclesia nostra maiorem. Cum ipso autem sanctissimo viro hoc etiam nomine melius actum, quod ereptus morte vulnera collegarum non vidit, quæ Flaciana crudelitas his infligit, neq; condemnari teterrimis modis ex illis actionibus Ecclesias nostras audiuit. Indicata igitur die ad ordines politicos Princeps Elector referri curauit, vt sequitur.

Nos

**N**OS PRINCEPS ELECTOR nuper aliquot ex uobis ad secundam diem Mensis Iulij in urbem nostram Misenam, literis conuocauimus, ijsq; significauimus, quid Cæsaris, nostrum omnium benignissimi domini, Maiestas, nobis imposuerit, de quo uobiscum ageremus. Illi uero cum hanc sibi potestatem sumere noluerint, ut uestrorum uniuersorum nomine aliquid statuerent, causa nobis allata est, ut & huc uos literis conuocaremus, & uobis uniuersis illud ipsum proponeremus, quod cum illis Misenæ conuocatis de scripto recitatum fuit, hoc modo scilicet:

Non potuimus facere, quin uos præcipuos quosdam in nostris regionibus, & ætate grauis, ad nos accerferemus, ad rationes, &c.

*Reliqua assumantur ex Historiola Conuentus Misensis. Talia fuerunt de quibus Misenæ relatum est.*

Cum autem à tempore conuentus illius Misenæ habiti & Cæsarea & Regia Maiestas aliquoties nobis Principi Elect, hoc imposuerint, ut non tantum secundum priora mandata uobiscum agamus, sed etiam ut obtineamus, quo Cæsareæ Maiestatis rationes, & consulta à uobis recipiantur, cum expositione addita, quid, si recusatio usurparetur, sequi ex ea re posset. Hac de causa rem diligenter deliberare uellitis, & in hoc cum uestre ipsorum tum communis uniuersorum regionis ordinum salutis rationem habere.

Nos Princeps El. etiam Cæsarem de ijs, quæ ad uos scripserit, & similiter quæ nos uobis promiserimus, & publico scripto in nostris regionibus edi curauerimus, quorum optime recordamur, subiectissimè admonuimus, neq; diligentia operæ nostræ pepercimus.

Præcipuum caput de Iustificatione sic est conformatum, ut in nostris regionibus adhuc etiam deinceps sincerum doceri debeat. Sacramenti autem Corporis & Sanguinis usus integer in præscriptis rationibus Cæsaris permittitur.

Similiter Coniugium Sacerdotum.

Tum iure nulla difficultas quaeritur in ijs rebus, quæ SINE LAESIONE CONSCIENTIAE, & uerbi diuini seruari possunt, præsertim cum constitutio Imperatoria quædam ex hoc genere sine coactione proponat.

De Carnium usu abrogando tempore Quadragesimæ, quinta & sexta die hebdomados, ita cogitatum est, ut statuatur res esse ad politica constitutionem bonam utilis, & quæ tolerari possit.

Hæc

Hæc omnia diligenter perpendere, neq; ubi necessitas non flagitat, difficultates quærere uelitis, sed uos in omnibus ijs, QV AE PIE ET CVM BONA CONSCIENTIA fieri possunt, obsequentes præstare. Hoc modo uestræ ipsorum salutis, etiam quieti & paci regionum nostrarum consulitur.

Hac relatione facta ordines ad Theologos rem deferri voluerunt, & quod ab his responderetur, ex eo se deinceps, ubi cognouissent, de re proposita constituere uelle. Itaq; dum de reliquis negocijs, quorum causa conuocati erant, agitur, in hoc ad religionem pertinente negotio, hoc fit: Quinq; ex nobilitate præcipui viri, assumptis duobus Iurisconsultis, ut essent vniuersi septem, Hi igitur septem ex quibus maior pars adhuc in uiuis est, in affectione et studio singulari erga patriam & solitudine de salute communi ad Theologos uenerunt, Et repetentes primum commemoratione sua ea, quæ hæctenus in periculosis & difficillimis consultationibus de libro INTERIM facta exposuimus, postea admonuerunt res eò loci esse, quæ grauissima his terris pericula minarentur, & difficultates in horas fermè singulas crescere. Itaq; cum obtestatione sollicita & exquisita & Principis & patriæ & suo nomine petiuerunt id, quod neq; tum primum petitum, & aliquoties, atq; nimis quidem sæpe, deinceps in alijs conuentibus, ut infra cognoscetur, repetitum fuit, Nimirum ut publicæ & communis salutis causa, sepositis omnibus affectibus indicare uellent tam difficili tempore & statu, Quibus in rebus nihil prorsus concedi posset, sed usurpatione constantissimæ

Q 9

confessi.

confessionis atq; professionis, & conseruatione inuiolata,  
vita & salus & regio cum incolis, extremis omnibus pe-  
riculis exponenda essent, quarumq; causa ipsi etiam Theo-  
logi extrema omnia subire vellent, & quibus in rebus  
**SALVA VERITATE ET SINE LÆ-**  
**SIONE** conscientiae bonae concedi posset, &c. Et vt  
explicarent quae essent illae res Adiaiphorae quae pacis cau-  
sa, & conuenientiae alicuius in externis rebus, ferri atq;  
tolerari possent, de quibus semper nostrae partes studium  
suum detulissent, & Principis relatio concessionem non  
difficilem postularet. Dominum enim nostrum Principem  
Electorem et regionis ordines vniuersos cupidissimos esse,  
vt secundum regulam Domini nostri Iesu Christi se ge-  
rant, praestantes Caesari quae sunt Caesaris, & Deo quae  
sunt Dei. Inq; hoc conatu & studio paratos esse ad ferend-  
um quae Deus permiserit, quaecunq; erunt. Contra verò  
etiam hoc se cauere cupere, ne non sufficientibus, neq; non  
necessarijs de causis miseri incolae harum terrarū periculis  
corporis & fortunarum omnium exponantur, aut vox  
verae doctrinae in his prorsus conticescat, neue vlla in re,  
aliqua aduersus Caesarem inobedientia horum notari pos-  
set, sed studium potius & conatus praestandi obedientis-  
am debitam in omnibus probetur.

Atq; haec omnia cum multò pluribus verbis expo-  
suisent & περιστατικῶς exaggeratis omnibus vehementer  
dixissent, postea scriptum Theologis obtulerunt, quo con-  
signata erant, quae salua veritate concedi posse videren-  
tur,

tur, ijs qui professione non essent Theologi, & quæ Ecclesiastica constitutio institui posset, Quodq̄ non dubitare se dicerent Theologos consilium expositum non improbare, vt in quibus SALVA VERITATE doctrinæ diuinæ cedi posset, in ijs cederetur, ne hanc speciem res haberet quod nihil prorsus vlla in re concedi cogitaretur, eaq̄ re pericula his terris accerserentur. Ideò petiuerunt à Theologis officiosè & amanter, vt perpendere quæ scripto illo consignata essent, quod censura ipsorum subiceretur, & significarent, quid ex consignatis capitibus tolerandum aut intolerandum iudicarent, et si quid præterea in libro INTERIM animaduernerent, in quo, salua scripturæ veritate, Cæs. Maiestati obsequi liceret, id etiam vt indicarent. De his igitur vt rationes suas Theologi exponerent, petitum fuit, vtq̄ conferentes operam suam, rem vniuersam & ad gloriam Dei dirigere iuuarent, & vt quies & pax his regionibus conferuaretur, & hoc in primis periculum auerteretur, ne tota in his Christianæ religionis doctrina extingueretur. Quodq̄ tum de nescio quibus fæderibus rumores spargerentur, admoniti illi fuere, ne rumoribus illis quicquam, sed in præsentī deliberatione gloria tantum Dei se moueri paterentur.

Capita scripti ab illis septem oblata fuere.

- De Iustificatione.
- De autoritate Ecclesiæ.
- De ministris Ecclesiæ.

De Confirmatione.  
Pœnitentia.  
Vnctione extrema.  
Ordinatione Ministrorum Ecclesiæ.  
Missâ.  
Vigilijs.  
Ferijs.  
Processionibus.  
Esu Carnium.

*De his omnibus capitibus desinitè aliquid perscribatur, excepto capite de processionibus, de his enim tantùm quærebatur, an & quomodo, & quæ processiones seruari possent, quid autem de reliquis præscriptum fuerit, de responsione Theologorum cognoscetur, ad quorum notationes, illud postea scriptum ab ijs, qui primum obtulerant, correctum fuit, eamq; descriptionem infra suo loco subijciemus.*

*Cum autem hoc loco eæ actiones describi incipiant, quæ maximè, vel crudelissimè potius à Flacio & Flacianis oppugnatae fuerunt, & quarum nomine nunc etiam, edito altero quasi anathematisino, nostræ Ecclesiæ atrociter, & ante quidem cognitionem causæ condemnantur, operæ precium facturos nos iudicauimus, si antequàm quid Theologi ad illud scriptum responderint, describamus, omnia consilia & rationes vniuersas, quas secuti illi cedendum sibi in Adiaphoris putarint, & plerasq; quidem de scriptis antè editis repetentes, hoc loco exponamus, vt nihil ab his vsquam temerè & incogitanter, multò minus assentatione turpi aut impia factum demonstratur, ex quibus quedam Epistolis quibusdam D. Phil. Melantbo. quas*  
*infra*

infra alio loco legendas proponemus, copiosius explican-  
tur.

Ad tam seueras igitur commonefactiones, & ali-  
quoties quidem iuculcatas, omnem curam & cogitationem  
suam in hanc rem conuerterunt, & maxima cum sollicitu-  
dine non paucas horas & dies de hac deliberarunt, atq;  
deliberationum illarum difficultatem auxit, his etiam hoc,  
quod non plures ad has adhiberetur, & sane horum pauci-  
tatem Flaciani postea quidam ita notarunt, vt non obscu-  
ras significationes darent, se ideo etiam illis actionibus in-  
quiiores esse, quod ad eas non fuissent accersiti, & si qui  
hoc tantopere expetere potuerunt ab ijs presentibus, an na-  
uari aliquid potuisset non iniuria dubitari possit. Atq; uti-  
nam Flacij similes & studiosi multi affuissent, sic enim  
impedita fuissent omnia moderata consilia, neq; Ecclesia-  
rum ab Adiaphoris tam tetra distractio existere potuisset,  
quod nunc optare licet, cum euentum illarum de libro In-  
terim tractationum cognouerimus, & pericula à nobis  
hac in parte mirabiliter auersa experti simus, illo autem  
tempore haud scio an impium in Patriam hoc votum fu-  
isset.

Cum igitur nostri ex sacris literis Cesari & Ma-  
gistratui omnem legitimam obedientiam deberi intellige-  
rent, hoc sibi agendum viderunt, vt & ipsi cupide obe-  
dient, & alijs vt idem facerent, hortatores essent. Neq;  
ullo modo sibi committendum esse, vt vlla in parte, inobe-  
dientiae ab ipsis causa introduceretur, & multo etiam



magis cauendum, ne ipsorum culpa & Principes nostri  
& terræ atq; subditi horum, non necessarijs de causis vlla  
in damna aut pericula conijcerentur, quæuis potius exilia  
& mortem ipsam minus intoleranda statuentes, quàm tan-  
ti facinoris veram accusationem, Deinde in sensu humani-  
tatis hanc impietatem aduersus se quoq; & familias suas,  
vxoress & liberos, quorum cura diuinitus ipsis commen-  
daretur, hanc impietatem atq; crudelitatem non vsurpan-  
dam, vt temerè, & sicut scriptura loquitur, tentantes De-  
um, extremis miserijs sese obijcerent.

Contra verò hoc etiam & considerarunt, & intel-  
lexerunt, in his omnibus sibi ad Maiestatem summam  
æterni Dei multò magis respiciendum esse, & huius glo-  
riam & animarum communem omnium, & ipsorum pro-  
priam salutem, tam longè esse præferenda cæteris, vt ne  
collatio quidem horum cum illis esse possit. Hoc igitur  
multò etiam magis egere, neq; quicquam vnquam vsquam  
tergiuersantes, aut sententiam suam edere veriti, omni-  
bus in Conuentibus & disputationibus nihil occultarunt  
eorum, quæ secundum scripturam bona cum conscientia  
recipi, aut consensu vlllo approbari posse intelligerent, ni-  
hil quidem cuiquam præscribentes, quid facere deberet,  
sed indicantes ea, quæ fides & officium flagitaret, ad sua  
am vnumquemq; conscientiam, & scripturæ expressè  
mandata, delegarunt.

Ad Adiaphora autem quòd attinet, primum hoc &  
consideratum diligenter & monitum fideliter, non tantùm

non esse consultum mutari in hoc genere aut nouari aliquid  
tali tempore ( quemadmodum præcedens narratio docuit,  
& demonstrabunt etiam sequentia ) sed ideò etiam peri-  
culosum esse talibus constitutionibus indulgere, quòd facile  
in abusus conuerti soleant, Item, si ijs in locis, in quibus  
Usurpari desijissent, denuò instauraretur ex genere Adia-  
phorarum ceremoniarum aliquid, etiamsi verbo Dei mi-  
nimè illæ contrariæ essent, tali tamen tempore, & his mo-  
ribus, leuissimæ quæq; mutationes vt disputationes multi-  
plices, & periculosas commouerent, futurum esse, Quod  
si qui iam recipere quæ instaurarentur recusarent, aut ijs se  
opponerent, dissensionum hanc & scandalorum causam  
extituram, &c.

His tamen, ab omni conatu vlliùs concessionis quo  
minus abducerentur, obstiterunt, ea quæ contra in men-  
tem venientia ordine subiecimus.

Primum, quod talibus conditionibus ante ea tem-  
pora semper de se promiserint nostri, salua & integra ve-  
ritatis doctrina, concessionem in cæteris, In confessione  
Augustana, Apologia huius, tractationibus & scriptis  
alijs vniuersis. His igitur si contra veniretur, contuma-  
ciæ hoc apud plerosq; & præfæctionis insimulationem pa-  
rituram ingentis, & promissiones nostrorum speciem  
tantum inanem habuisse, quippe qui ne in minimis qui-  
dem quicquam harum præstare se velle ostenderent. Hoc  
igitur, & abalienare posse à nobis multorum animos,  
qui de nobis & partibus nostris, minus honorificè essent  
sensuri,

sensuri, & causam suppeditare posse, cur Ecclesie nostrae amplius vrgerentur ad alia grauiora recipienda, quod fortassis absq; hoc, & si studium nostrum obsequendi in ijs, quae fieri possent & deceret, cognosceretur, non esset futurum.

Adiaphora autem de quibus tum & deinceps quaesitum atq; concessum fuit, eiusmodi esse, vt pleraq; in multis Ecclesijs harum terrarum, quae doctrinam & Sacramenta integra haberent, adhuc usurparentur, neq; vsus earum aliqua intermissione fuisset interruptus, quaedam tamen aliquibus in Ecclesijs, paucis illis quidem, usurpari desis- se, eamq; dissimilitudinem multis offensionibus et difficultatibus causam haecenus praebuisse (de quibus supra in primo conuentu dictum est) Itaq; hac etiam de causa existimatum fuit, non fore incommodum, si ea Ecclesiae, in quibus vsus talium desisisset, ad caeterarum, in quibus adhuc retinerentur, exemplum, se componerent, & collapsa instaurarent, vt similitudo rituum fieret, de qua & ante bellum fuisset laboratum, vt diximus, ita tamen, vt de tota re pro eo vt opus esset, homines docerentur. Hoc modo spem posse concipi, vt sicut antea turbassent in nostris Ecclesijs Adiaphora nonnihil, vt diximus, ita deinceps similitudinis in his conciliationem ad meliorem statum, & conseruationem purae doctrinae & purarum ceremoniarum vsus suppeditaturam. Posse etiam fieri, vt certa his de rebus vniuersis constitutio non tantum his regionibus, sed etiam vicinis alijs vsui esset futura.

Item

Item de *Adiaphoris* in *Ecclesia* ritibus rectè constitu-  
tis, & in vnam certam & piam atq; decentem formam  
horum consentientibus *Ecclesijs*, tantò facilius ad posteros  
rem propagari posse. In confusione enim & dissimilitu-  
dine variorum rituum, si, qui hoc tempore *Ecclesijs* præ-  
sunt, decessissent, metui posse, ne tum deinceps multò  
maioribus cum periculis & detrimentis, similitudinis in  
ritibus conciliatio, susciperetur, etiam vniuersam tum do-  
ctrinam veritatis periclitari posse, quæ omnia in præsen-  
tia, Christo fauente, auerti possent. Ita enim de *Adia-*  
*phoris* constituendum, vt primum & ante omnia funda-  
mentum et caput doctrinæ sacræ diligenter & disertè ex-  
positum proponeretur, & caueretur perspicuis & fideli-  
bus cautionibus, & quasi sepimentis additis, eas Cæremo-  
nias, quæ ex genere τὸν ἑδὶαφοῶν introducerentur, nequa-  
quàm vt ad salutem pertinentes, aut necessarias res impo-  
ni, &c. id quod scripta & confessiones nostrorum testan-  
tur vniuersæ. Neq; amplius abusu, aut aliorum malo-  
rum pericula in constitutionib. de *Adiaphoris* metuenda,  
si fideles Sacerdotes & animarum pastores, populum de  
suggesto hæc cum fide & diligentia edoceant, sicut contra,  
vbi indiligentes illi sunt, neq; munus suum præstant, nihil  
proficitur vllis constitutionibus quantumuis bonis & sa-  
lutaribus. In confusione verò si ne constitutio quidem  
certa extet, ad quam respiciatur, quid expectari aut me-  
tui possit, nihil attinet explicari, cum quale sit, ab omni-  
bus intelligatur.

R r Sic

Sic igitur existimatum fuit, futurum, ut boni & intelligentes Ecclesiarum pastores, ubi ita ut res flagigaret de omnibus edocti essent, quid ageretur, quo consilio, & qua de causa, tum igitur, ut obsequi illi non grauarentur, sed promptos potius se exhibituri essent, si qui contra facerent, & his se opposcentes contendendum sibi vel pugnandum etiam statuerent, argumentum hoc esse posse, tales quæ Christiana libertas esset, ipsos non satis intelligere, nedum alios docere unquam potuisse. Si enim abrogare et omittere in hoc genere aliquid liberum esset, etiam constitui & introduci liberum esse, si res & causa flagigaret, & commodum atq; utile iudicaretur. Atq; illa, quæ à quibusdam Libertas appellatur: cum licentia sit & εὐαγγελία, constituendi in Ecclesia pro arbitrio cuiuscumq;, addendi & demendi constitutis, & de ritibus veteribus inculpatis abrogandi quod libeat, hanc igitur libertatem talem & priorum abusuam causam fuisse, & nostris temporibus multas difficultates & turbas peperisse.

Quare cum occasio tum denuò, et si tristior illa multò & magis misera, his rebus afferretur, cogitatum fuit in bonum hanc conuerti posse, si causa hæc fieret, ut maturo consilio pia quadam constitutione certi aliqui & vnius formæ ritus in quam Ecclesiæ consentirent, introducerentur, quæ res magis ad tollenda scandala, quam, quod à quibusdam metueretur, commouenda hæc, vsum viderentur præstitura. Inquietorum enim & petulantium quorundam causa, qui externam tantum libertatem, vel aliud etiam  
grauius

gravius quærent, nihil vel suscipiendum vel omittendum videri, tali præsertim in re & tali tempore Ecclesiæ & Republicæ. Tales enim homines semper contrarium molituros, quicquid fieret aut constitueretur, id quod nuper res docuit, etiam hac in parte. Nam qui atrocissimè superioribus annis se opposuere ijs, qui Magistratui de rebus Adiaphoris constituenti non repugnandum censerent, illi iam ipsi condemnationibus innocentissimorum quorundam hominum, incognita causa, Principum nomina præscribunt, apud tales igitur, novatio illa scandalum acceptum potius quàm datum habenda esset, ut qui ipsi sibi scandalorum causas fingerent, & quærent quorum prætextu odia & dissidia spargere, & in Ecclesiæ & Rebusp. turbare posset. Quod si etiam bonos aliquos, qui infirmiores essent, ea res offensura esset, qui de Christiana libertate non essent rectè edocti, facile tamen voce doctrinæ publicæ, & concionatorum explicationibus omnis scandali periculum auerti posse, & bonos viros tales, si doctrinam suam atq; integram cognoscerent, usu postea assueturos, ut ferrent cætera. Et multò minus scandali hanc talem mutationem talibus hominibus allaturam credibile esse, quàm peperisset apud multos superioribus annis multarum non inutilium rerum temeraria minimeq; necessaria abrogatio, Quæ scandala potius ij qui scandali nomen intenderent, in mentem sibi reuocare deberent, quàm de eo scandalo disputare, quod moueretur si ab ijs ritibus, quos pro suo arbitrio (etiam contra D.

Martini Lutheri sententiam & confessionem editam) aliqui constituerunt, recederetur, Quos ritus suos illi qui de scandalo obijciunt, tam sanctè, tantaq; obligatione seruandos significant, vt si scripturæ decreta, & fidei capita essent, quippe in quibus si minima in parte aliquid mutetur, maximum hoc scandalum haberi velint. Hæc non est vera de Christiana libertate & scandalo doctrina, veteres & inculpato ritus, & à quibus nihil periculi esse possit abrogare, nouationes superuacaneas & temerarias introducere, ab aliorum formulis sine causa recedere, discrepantiæ nulla necessaria de causa autores fieri, hæc igitur docere liberū esse ita facere, neq; scandalum in talibus esse, aut respectum vel considerationem huius in his moueri debere, Contra verò in ipsorum formula, si quicquam ad discrepantiā tollendam, vel concordie causa, mutetur, aut melius constituatur, si ex inculpatis ritibus aliqui pacis & salutis publicæ causa instaurentur, hæc igitur extrema scandala complecti, & minus liberum esse quicquam horum facere, quàm vnum ex præcipuis mandatis Dei tollere aut violare, & corpora & vitam, regiones et subditos, ac salutem publicam & priuatam, omnibus potius periculis exponi debere, & qui non ita faciant, eos à religione Christiana defecisse. Extabant & argumenta de quibus intelligi posset maximam partem, tam nobilitatis quàm cæterorum ordinum harum terrarum exspectare potius, vt de Adiaphoris constitueretur, & de certa atq; vna quadam forma horum conueniretur, quàm vt à

scandalo

scandalo apud hos periculum esset, Cum in conuentuum  
prouincialium communibus deliberationibus de hoc sepe  
actum esse, vt fieret, & quæ difficultates ex dissimilitu-  
dine atq; discrepantia rituum Consistorijs, & nobilibus  
atq; plebeis obiectæ fuerint, supra in primi Conuentus hi-  
storiola exposuerimus. Itaq; nisi ab inquietorum aliquo-  
rum concionibus de scandalo prætexendo monerentur, à  
veri scandali metu non magnum periculum se ostendebat.  
Cumq; in præsentia spes ostenderetur, si in Adiaphoris,  
pro eo vt omnibus temporibus de se nostri promississent,  
non difficilimos se præbituri essent, eosq; se re ipsa Impera-  
tori & in vniuersum omnibus probarent, vt qui confor-  
mandi sua cum alijs, conatus, in omnibus quæ fieri deceret  
& possent, non detrectarent, hoc inquam si nostri ita de se  
probarent, sperari tum posse crederetur in his Ecclesijs  
Christianæ doctrinæ capita integra, & Doctores atq;  
Pastores harum his conseruari, & quæ in alijs locis con-  
fusiones essent, auerti posse. Hac igitur de causa quoq;  
de scandali periculis, quod obtenderetur, minus metuen-  
dum visum.

Ad talem quendam modum de libertate Christiana  
& scandalo in his deliberationibus nostri cogitarunt, de  
quibus etsi alius locus est disputandi, nunc tamen etiam  
attingi hæc indicatione tali oportuit.

Cum igitur Ceremoniæ nobis seruire debeant, quibus  
ad Ecclesiæ salutem vtamur, existimatum fuit, nunquam  
rectius in his quicquam recipi, concedi, vsurpari posse,



quàm si ad puræ doctrinæ conseruationem, & vt posteritati hæc explicatio traderetur vsum res afferret, præsertim cum ante de hoc semper promissiones factæ essent, & res apud nostros penè decreta.

Quod si nihil etiam his omnibus concessionibus proficeretur, neq; studij talis vlla ratio haberetur, Ita tamen omnia quæ fieri potuissent, & promissiones factas præstari, & tanto meliore conscientia ad ferendum quæcumq; essent vniuersos instrui. Omnino enim in omnibus quæ fieri possent, neq; verbo Dei contraria sint, aut Christianam conscientiam lædant, Magistratui obedientiam debere, Et si quicumq; Magistratus in oppido aut ditione aliqua, nedum Cæsarea Maiestas in Imperio Romano, de Adiaphoris postularet aliquid, quod ad discrepantiam in hoc genere tollendam vsum haberet: quomodo & Constantinus Imperator laudatissimus de die Paschatis & alijs quibusdam conueniri postulauit: tum igitur iure quantum sine læsione conscientiæ fieri possent, obsequendum videri, quo & animi minus abalienarentur, & aliquorum etiam Christo lucri fierent, & nisi fieret, neq; necessariam & culpandam contumaciam eam haberi, quasi difficultates eiusmodi commouerentur, quibus doctrinæ veritati officeretur, & Ecclesiasticæ & Scholasticæ communitates dissiparentur, eò difficiliorem rei excusationem futuram, & animos atq; conscientias ad ferendam persecutionem molliores fore, & in tentationum motibus grauiter periclitaturas.

Itaq;

Itaq; hac in parte non ad se tantum respiciendum  
sibi Theologi putarunt, neq; aliorum imbecillitatem pro  
ea quam ipsi à se sperarent animi firmitate aestimari oportere,  
sed imbecilliorum hac in parte rationem habendam,  
quales fieri posset, vt quàm plurimi reperirentur inter eos,  
qui in præsentia quàm fortissimi & constantissimi sibi viderentur,  
cuius rei Exemplum in Petro proponitur, cuius spiritus promptus,  
sed caro infirma representatur, & Paulus monet stantes vt caueant à lapsu. Theologi igitur  
si hoc etiam tempore, contra multiplices promissiones ante ea tempora factas,  
ad concedendum in Adiaphoris difficiles se exhibituri essent,  
constantia opinionem in re aucupantes, tum igitur si quid violentiæ contra nostras  
Ecclesias susciperetur, & propter recusationem tantum concessionis  
in rebus Adiaphoris à muneribus suis Ecclesiasticis remouerentur,  
atq; ita vastitas in Ecclesijs fieret, fieri posse, vt multi miseri homines  
ita cederent, vt doctrina etiam de capitibus religionis collaberetur,  
tunc igitur hoc etiam secuturum, vt execrationes in hunc ordinem  
ingentes effunderentur, qui sine causa, neq; necessitate  
flagitante, in tantas difficultates et miseras ipsos induxissent,  
& conscientias illaqueassent, peccatum fingentes  
vbi nullum fuisset, & tali tempore postea ipsis non affuissent.  
Illi etiam ipsi qui hæcenus acerbissimè Ecclesias nostras  
hac de re accusant, quiq; accusatoribus istis fauent,  
& succenturiant, hi vniuersi absq; omni dubio, in tali  
euentu negotij, nostros non minus accusassent clamoribus

ribus suis, quod cum mitigare rem potuissent, facere id noluissent. Atq; in horum consideratione fieri non potuit, quin simul in mentē veniret esse hoc tentare Deum videri posse, si persecutio, cuius auertendæ pij & honesti conatus suscipi possent, vltro accerferetur, aut saltem ijs ipsis in rebus non concessum fuisset, à quibus quòd prætexeretur violentis consilijs, duci potuisset. Neq; in tentationibus aliter fieri posse, quàm vt conscientia tum grauius perculsa trepidaret, quod cum necessarijs de causis aliquis, vt verbi causa, propter cationem vnam, vestem aut ritum Ecclesiasticum ἀδιαφοροῦ in miserijs esset, & alios in easdem coniecisset, Posse fieri, vt qui tempore consultationum talium concessiones omnes pertinacissimè detrectarent, y deinceps, aduersis rebus vrgentibus, non tantum in Adiaphoris, sed fortassis multò maioribus de rebus concederent.

Satis esse si necessarijs de causis, & cum piè declinari res non potest, persecutionum miseria subeatur, & firmitas atq; constantia tum vsurpentur, quando & in quibus illa opus est, & vsurpari oportet, & ad hanc apud alios vt hortationes fiant, & precibus suis à Deo quisq; petat, huius enim hoc munus est, non humanæ virtutis opus. Neq; necessitate non flagitante, & ante tempus, sibi & alijs periculum tam corporis quàm animæ accersere debere, Quale est quod in Ecclesiastica historia legitur, accidisse cuidam horribile, qui cum bestijs obiectos propter professionem religionis Christianæ aliquot,  
non

non inuadi à bestijs mirabiliter videret, quod Christianus etiam ipse esset, procurrit, antequam à quoquam postularetur, & se quoq; Christianum esse proclamauit, Itaq; arreptus à Iudice obiectus bestijs & ipse fuit, quæ ei mimimè vt cæteris pepercerunt, sed statim eum dilacerarunt, vt pœna illa temeritatis declararetur, quod crucem ante tempus neq; uocatus vltro sibi accersuisset, gloriam ea re aucupatus.

Quod si verò præter talem in Adiaphoris concessionem, amplius aliquid postularetur contrarium acceptæ puritati doctrinæ, & ab institutione Christi alienum, quodq; ad tetros abusus instaurandos faceret, tum implorandam opem cœlestis Patris, qui propter filium Iesum Christum largiretur sanctum Spiritum, cuius gratia nobis & nostris adesset, & confirmaret animos vniuersorum, ad ferendum potius quicquid vel fortunis vel corporibus, vel vitæ nostræ accideret, quàm ab agnitione Domini nostri Iesu Christi & ineffabili dilectione huius vt disungeremur, aut quicquam faceremus, aut approbaremus, verbo diuino contrarium quod esset, Quod idem & Princeps Elector, & regionum ordines vniuersi semper à se promiserunt.

Ita igitur res flagitare uisa, vt & se & alios ad tales casus præpararent, & perpensis atq; explicatis causis constitueretur, quæ nam illæ causæ essent, propter quas subire omnia ut oporteret, ne persecutionis tempore fortè retrocederetur, & tum etiam in apicibus doctrinæ retinendis

imbecillitas aliquos occuparet, vel vt maximè euafuros se aliqui sperarent, populus tamen misellus ne in miserijs talibus destitutus ab omni consolatione relinqueretur, &c.

His igitur & similibus de causis concessionem in Adiaphoris non detrectandam sibi existimarunt, neq; cōmittendum, vt contenderent aut pugnarent, quo minus Ecclesie illæ, in quibus ritus aliqui huius generis exoleuissent, illæ inquam, quo minus eos instaurarent, & ad eorum formulam, apud quos ritus illi adhuc vna cum doctrinæ veritate, & vero vsu Sacramentorum vsurpantur, se componerent, cum & Christianæ doctrinæ veritas sincera & integra conseruaretur, & huius in posterum conseruandæ causa res susciperetur, & concordie hoc modo cōstitutio, & multorum incommodorum, quæ in Ecclesiastica re hæctenus extitissent auersio speraretur, & ante id tempus de re decretum fuisset & omni tempore à se nostri concessionem talem promississent.

Atq; ita de Adiaphoris consultatio suscepta, de quibus quæ dicta hæctenus sunt accipienda vniuersa, quo verbo significantur, ea quæ uerbo Dei non sunt contraria, nam huic contrarium quod est, id non est Adiaphoron & licitum, sed impium & prohibitum, & quemadmodum queri potest quæ verè sint Adiaphora, ita τὸ ψευδὸς ἀδιαφορὰ seu falsa Adiaphora appellari in Ecclesia ridiculum. Nam falsum ἀδιαφορὸν nullum esse potest, & quod sic appellatur non est amplius ἀδιαφορὸν, sed impium vt diximus, qualia non tantum non instaurari, approbari, introduci, sed omni tempore

tempore abrogari, tolli & exterminari ex Ecclesia oportet, neque quicquam unquam vspiciam tale vel approbatum in his terris, vel postulatum ut approbaretur ab vllis fuit, Christo gratia.

De scripto igitur 18. Octobris oblato, Theologi notationes suas scripto consignarunt, quod de Germanico conuersum subieciimus.

## DE AVTHORITATE Ecclesie.

**H**Oc caput in scriptis rationum nostrarum non magnopere oppugnatum est, cum quidem summa dignitas Pontificis hoc sit comprehensa. Non enim uoluimus auctores esse ut de omnibus pugnaretur, sed quæ necessaria sunt in doctrina Christiana, & ad uerum cultum Dei pertinent, in ijs ueritatem sinceram retineri oportet. Itaque nunc etiam hoc caput de auctoritate Ecclesie sine notatione nostra dimittere possemus, acquiescentes prioribus declarationibus, quæ tamen correctio appendicis loco in scripto nobis apponitur: Quod seruare uelimus omnia quæ Patres seruauerunt, etiam ad iaphora si sint, & in optione arbitraria posita: Hoc à nobis ut polliceamur neque necessarium iudicamus, & nimis esset generale, cum paulo post sigilatim exprimantur ea capita de quibus promittitur. Et ex ad iaphoris multa a ueteribus usurpata fuere, quæ iam in usu esse desiere, qualia sunt uota, Canones satisfactionum, & alia. Multi etiam contrarij ritus apud ueteres in usu fuere. Liber quoque Augustinus ipse correctionem talem suam secum affert, quo loco scribitur, Ecclesiam auctoritatem habere ad ædificandum non ad destruendum. Rectius si sic diceretur, quæ adhuc in usu sunt ex genere ad iaphorum apud alios, neque uerbo Dei contraria sunt, ea nos etiam seruabimus.

De Episcopis & dignitatibus Ecclesiasticis ut idonei homines illi sint ad curationes suas, optanda res esset, & placet nobis hoc caput, nosque à nobis semper promissimus concessuros nos Episcopis libenter auctoritatem & potestatem suam, & obedientiam debitam præstituros, si Ecclesias nostras non persequantur.

## DE CONFIRMATIONE.

**A**D hanc utilem Ceremoniam instaurandam nostra sponte parati sumus.

De Pœnitentiâ, In nostris Ecclesijs doctrina prorsus pura, sincera & discreta est, eaq; seuerè & continenter doceri & conseruari debet, & cum primo articulo de iustificatione hæc congruit.

## DE VNCTIONE.

**D**E hac etiã non ualde pugnauimus, sed indicari simul debet de hoc ritu, in nostris Ecclesijs diligenter seruari, ut uisitentur ægroti, ut post confessionem factam Sacramentum cœnæ cū his cõmunicetur, ut hortationes, consolationes, apud hos fiant, & hoc nos diligenter etiã facturos deinceps. Tam tetras autem in cõsecratione olei idolatrias reperimus, ut miraturi simus, si Christianus Episcopus aliquis hanc sit usurpaturus, Forma etiã uerborum in unctiõne, & Sanctorum inuocatio impia sunt, Per hanc unctiõnem remittuntur tibi peccata, &c.

## DE ORDINATIONE SACERDOTUM.

**H**Oc Caput ualde exaggerari cuperemus, nam ualde necessaria res est ordinatio, & celebratione dignissima, & deplorandum admodum à tot iam seculis tam negligenter hanc rem actam esse, quod neq; examinatio seuera usurpata, neq; institutio adhibita, & obligationibus insuper illicitis, una cum alijs abusibus aggravata fuerit. Itaq; censemus, si de ordinatione aliquid addi placet, ut eius modi illa additio fiat, qua res ualde celebretur, etiã ut indicetur nos cupere, ut ab Episcopis ordinatio fieret, & uero studio illi in re uerarentur. Et satis fuerit in genere monere, de omissione iniustæ obligationis, & aliorum abusuum, de quibus cum Episcopis colloquũ sit instituendum.

## DE MISSA.

**I**N scripto oblato obscurius est quod scribitur, si non absint cõmunicantes accini tamen uniuersa debere, &c. Nam si hæc forte sit uerborum sententiã, etiã Canonem assumendum, & oblationem faciendam esse, atq; hoc modo priuatæ Missæ denuo introducantur, intelligentes Pastores hoc non sunt facturi, & persecutiõnes atq; dissipatiõnes ex hac re existent. Neq; ulla adhuc in Missa in uicinis terris & alijs, qui manifestè de libro recipiendo consenserunt, mutatio

mutatio suscepta est, ut ualde hoc graue sit nostrum Principem tan-  
 to opere urgeri, ut in huius regionibus mutationis alicuius initium fiat.  
 Vtile etiam esset bonos aliquot & doctos uiros sine studio partium  
 ante de fundamentis huius rei inter se conferre & colloqui, Priores dis-  
 putationes planæ fuere & faciles, Missam nõ esse sacrificium pro pec-  
 cato, & manet hoc uerum in omni æternitate, missam non esse sacrifi-  
 cium pro peccato, & conceditur in ipso libro. Postea tamen liber hoc  
 uult, sacrificium hanc esse oportere. Sed de Sacrificio uera sententia  
 est ea, quæ in nostra communione representatur. Totam nimirum  
 actionem esse sacrificium laudis, ad quam hæc pertinent uniuersa,  
 Commemoratio Historiæ, Gratiarum actio, preces ut Deus nos  
 benignè recipiat propter filium & propter sacrificium ab hoc per-  
 actum, & tandem applicatio per fidem in communione, & seria uo-  
 luntas atq; propositum agendi Deo gratias, obedientia uera. Hæc  
 uniuersa sunt illud sacrificium, & non unica aliqua Ceremonia, nam  
 tali opinione opus operatum denuo confirmatur. Et nostræ rationes  
 sic ferunt, plus hoc grauitatis habiturum, si unus aut duo etiam dies  
 per Hebdomadam communioni constituerentur, quam si missa, quæ  
 spectaculo tantum esset, caneretur. Talisq; constitutio eò etiam uales-  
 ret, ut in confessione homines commodius audiri possent. Quod si  
 noui aliquid constituere animus est, bonum esset cum præcipuis Pa-  
 storibus aliquot de re prius amice conferri.

### DE VIGILIIS.

**S**epulturæ hoc tempore decenter & Christianam ad modum ad-  
 ministrantur, tam cantionibus quam preces adhibitis,  
 alicubi etiam conciones ad has habentur. Quod si communis de  
 Vigilijs longis constitutio fieret, quæ per totam regionem & ab om-  
 nibus seruaretur, siue de integris siue de dimidijs præscriberetur, no-  
 tum illud omnes esset tam pastoribus quam plebi futurum, & impe-  
 dimentum esset allaturum alijs necessarijs operis, ut cõcium & sius-  
 diorum.

Notum etiam est ante hæc tempora maximas ceremonias  
 fuisse pro mortuis, & plurimum his temporis impensum, cum huic  
 operæ ceteras omnes necessarias cedere oportuerit. Præterea facile  
 talia in superstitionem abeunt, & si maximè hoc tempore uera de his  
 sententiã in nostris Ecclesijs teneretur, multiplicibus tamen sermoni-  
 bus hæc res tam apud nostros homines, quam ad externos causam  
 esset allatura, &c.

Quando tamen præcipuæ dignitatis aut Dominus aliquis mo-  
 ritur, & ei forte præter iam usitatas Ceremonias, amplius aliquid ut  
 fiat



fiat constituere libeat, cantionibus, concionibus aut lectionibus &c.  
hoc etiam non improbabimus.

Bonum etiam esset communiter mandari de Eleemosynis in  
funeribus certis in locis præstandis, id quod multis in locis in usu est,  
& tales largitiones, quondam oblatio pro mortuis appellari consue-  
vere.

De ferijs quod scribitur, ita illæ seruantur, & licet in his simi-  
litudo ut fiat conari.

Processiones iudicamus impedimentum esse aliarum neces-  
sariarum operarum, & notum est multa turpia facinora in magnis  
processionibus perpetrata fuisse, & potentes quosdam Dominos  
formas foeminas ex processionibus raptas abduxisse. Statim etiam  
cultus factorum simul introducitur. Contra autem uero studio in Ec-  
clesijs ueræ querelæ & preces una cum Litanijs seruari debent,  
Domine non secundum peccata nostra facias nobis, &c. Hæ quon-  
dam stationes fuere.

## DE CARNIVM ESU.

**D**E Carnium esu ueratio bene ferri potest, & tamen simul & des-  
bet & potest de ueris Dei cultibus doctrina usurpari atq; in-  
culcari.

## DE EXCOMMVNICATIONE

*& anathematismo.*

**Q**uoniam uero postulatur, ut quid præterea ad consensum  
& statum meliorem utile iudicemus, significare uelimus.  
Vtile & necessarium esse censemus in Consistorijs excommu-  
nicationem seuerè instaurari & conseruari, nimirum, ut Magistratus  
civilis suam opem conferens, excommunicatum ad honestas fun-  
ctiones seu curationes non admittat, neque in sodalitijs honestis locum  
huic esse sinat. Omnino enim hæc est uoluntas Dei, ut turpitudine puniatur.  
Et si Iudex punire negligit, immittuntur aliæ magnæ poenæ  
totis regionibus & incolis, sicut scriptum est: Non parces eis &c.

In pagis quoq; ad Pastores & iudices cum seueritate hoc agen-  
dum ut Catechismum populo inculcent. Et ne libidines tolerantur,  
&c. In oppidis similiter his opus, & de Catechismo maior quædam  
diligentia in audienda iuuentute præstanda.

Censemus etiam, si hoc agitur, ut in Ceremonijs, feriarum die-  
bus, & cantionibus Ecclesiasticis similitudo constituatur, utile esse,  
ut

ut Pastores conuocentur & Agenda communiter inspiciant, & inter se de his conueniant.

Cumq; optandum sit in omnibus locis, si fieri posset, Ecclesias in ueritate doctrinæ, & ceremoniarum usurpatione conuenire, & particularitas & discrepantia quantum fieri potest fugienda, Ideo petimus ut consideretur quo modo cum uicinis congruentia in hoc genere constitui possit, quantum quidem id fieri potest, ut in harum terrarum Ecclesijs tam in doctrina quàm ceremonijs consensus sit ad gloriam Dei, pacem communem, & exemplum bonum externis nationibus, Ad quam rem gratiam suam Deus largiatur.

Item ut uisitatio per superintendentes, & examinatio plebis suo tempore usurpentur,

Item de Synodis & examinatione Pastorum, ut constituatur.

Hæc de quibus admonuimus uniuersa, & ad gloriam Dei facere, & ad pacem conferre, & re ipsa constitutioni Imperatoriæ nõ esse contraria iudicamus. Et manifestum est multas disputationes pacis causa à nobis præteriri, & conseruationem à nobis quæri præcipuorum tantum, & maxime necessariorum capitum, Et cupemus etiam ipsi pacem & concordiam esse, & his frui.

*Hæc cum monuissent ad talem modum de scripto oblato & rationibus suis Theologi, Postea illi 7. de quibus diximus ex his notationibus horum quædam in eo scripto, quod obtulerant mutarunt, quod retextum ab ipsis, hoc loco, ut supra promissimus nos facturos; subiecimus, ne quicquam desideretur, aut fides nostra ulla à parte accusari possit. Est igitur tale.*

## DE IUSTIFICATIONE.

Hoc caput maneat tale quemadmodum Pegauia de hoc conuenit.

## DE AVTHORITATE Ecclesie.

*Quicquid*

**Q** Vicquid uera & Christiana Ecclesia, quæ in Spiritu sancto congregatur, constituit & docet, & ueteres pij doctores seruauerunt, atq; apud alios in usu est, ex ijs rebus, quæ sine uiolatione Scripturæ seruari possunt aut omitti, ea ut in concionibus proponantur & usurpentur.

### DE MINISTRIS ECCLESIAE.

**V**T deinceps docti homines ad præbendas in Collegijs Ecclesiasticis producantur & cooptentur, qui in sacris literis tantum profecerint, ut ad Episcopale munus, & curationem Archidiaconatus, & Iurisdictionem Ecclesiasticam, idonei sint, & his curationibus recte præesse possint. Neq; ipse ea statuta atq; consuetudines, quæ in quibusdam collegialibus Ecclesijs sunt, de recipiendis tantum ad canonicatus ijs, qui Qualificati appellantur, id est, dignitatis alicuius prærogatiuam & ornamentum habent. Ex illis igitur statutis piorum hominum receptio, qui ad Episcopale munus gerendum idonei sunt, ne impediat, præsertim cum talia statuta, & consuetudines tales, etiam in Pontificio iure sublatae sint & abrogatae, Et experientia docuit, hac ipsa re factum esse, ut collegia illa ab ociosis & indoctis hominibus occuparentur, & talibus ea ut complerentur.

Similiter Pastores etiam Ecclesiarum, & administri constituantur eiusmodi, qui docti sint & idonei ad uerbum docendum, quicq; populo piè præesse possint.

A talibus Episcopis qui Episcopale munus suum de mandato diuino administrant, & qui uerbum Dei recte docent, doceriq; sinunt, ordinari debent, & his subijci, atq; obedientiam præstare, ceteri uniuersi Ecclesiarum ministri, Qui secus faciunt, & in primis eos sacerdotes qui inhoneste uiuunt, aut falsam doctrinam usurpant, puniendi illi ius habeant, ordinato modo nimirum, ut à muneribus suis tales remoueat, tandem etiam ut excommunicent.

### DE CONFIRMATIONE.

**V**Tiliter hoc institui existimarem, ætatem eam, quæ iam Sacramento communicationis corporis & Sanguinis Christi uti uult incipere, ab Episcopis aut pastoribus sub quibus uiuit, audiri de fide sua, & hanc ut profiteretur atq; ederet, & quæ testes baptismi pro hac spondissent, & renunciationem factam Diabolo, ut confirmarent & quasi ratam facerent, atq; ita hæc ætas in fide sua confirmaretur impositione manuum & pjs precibus,

De

## DE POENITENTIA.

**D**E hac diligenter ex suggestis sacris doceri, & ad populum de hac hortationes fieri debent. Etiam ad preces, ieiunia & Eleemosynas, item ad confessionem & absolutionem petendam hortationes præstandæ, neq; ad Sacramentum corporis & sanguinis Christi quisquam admittendus, qui non prius confessus absolutionem acceperit.

## DE VNCTIONE.

**V**Nctio ex Euangelio Marci 6. et Iacobi 5. seruari potest, Cumq; nihil aliud hæc sit, quam pro & super ægrotis pliarum precum & consolatoriarum ex sacris literis sententiarum recitatio, pro concionibus sacris, populus de hac ad talem modum doceri debet.

## DE ORDINATIONE SACERDOTUM.

**Q**ui administrationis Ecclesiasticæ munus subire uolunt, ij ab Episcopis ordinationem petere, & ab his ordinationem accipere debent, ea quidem conditione, si ordinare eos uoluerint sine iniustis obligationibus, & omisis alijs abusibus, de quibus cum Episcopis colloquium instituetur. Item ne Ordinandos cogant ad usum Sacramenti coenæ mutilum, sed ipsorum arbitrio permittant, aut sine communicatione tali, ordinationem accipere, aut cum usu Sacramenti integri. Et omnino ut ordinatio etiam communicetur ijs, qui Sacramento integro & ipsi utuntur & alijs integrum exhibent.

Hoc si ab Episcopis obtineretur, olei usus in ordinationibus Episcoporum nihil mouere debet, modo ne oleo tribuatur ulla efficacia doni aut gratiæ diuinæ, quæ per hoc contingat.

## DE MISSA.

**I**n oppidis singulis diebus Missæ fiant, & ad populum communicatio, quod si nulli sint qui communicent, ita tamen uniuersa, quæ in Missa pie solent, accinenda, excepta consecratione. Hoc ita & in pagis & minoribus oppidulis feriarum diebus fieri debet, horæ etiam canonicæ in ijs oppidis in quibus antea hoc fieri consueuit, accinendæ.

Legenda & Historiæ de sanctis, item Hymni & Sequentiæ de tempore & sanctis recognoscantur, & ex his quæ pura sunt, utilia  
T c & cons

& consentanea scripturæ, eæ Historiæ populo proponantur, eæq; cantiones accinantur. Vnus etiam earum quæ Casulæ & Albæ & Di- aconorum & Chorales tunicæ appellantur, & reliqui ornatus Ecclesiæ astici, qui pleriq; in locis hætenus non est abrogatus, retineatur. Sic rniliter & aliæ ueteres & honestæ Ceremoniæ, quæ in usu sunt, æra increpando, accensione candelarum in altari, & imaginum usus &c. retineantur.

Honestum etiam & consultum existimatur, ut pastores Ecclesiæ & administri tam in cultu quam moribus, & uita uniuersa honeste se gerant, & sicut sacerdotes decet. Atq; inter se constitutis: itit assumpta opera & consilio uel Episcoporum uel consistoriorum, itq; præsent ut ex cultu inter Ecclesiæ ministros & cæteros ordines eliscerni possit, & Sacerdotum ordini reuerentia debita, sicut par est, præstetur. Et obseruare singuli pastores suos cõcionatores & Ecclesiæ ministros debent, etiam ad horum doctrinam & uitam attendere, & si quid fortè desideretur, Episcopo aut Consistorio significare, à quibus quod à recto recedit ut tollatur curari debebit.

### DE VIGILIIS.

**C**um uigiliæ maiori ex parte puras & Christianas cantiones de resurrectione & alias ex sacris literis habeant, deberent illæ his, qui hoc forte peterent, concedi, & commonestationis causa de morte, & promissione resurrectionis certæ, & ad confirmationem atq; incrementa fidei nostræ usurpari. Cumq; responsoria quædam in illarum uigiliarum cantionibus non sint pura, recognoscenda illa essent, & ut scripturæ consentanea fierent, sananda.

### DE FERIIS.

**D**ies Dominicæ & aliæ usitatae feriæ præcipuorum festorum, Natiuitatis Christi, paschatos, Pentecostes, cum biduis festi- quentibus, Circumcisionis, Epiphaniæ, Mariæ festa Euange- lica, dies Coenæ, dies Passionis, Apostolorum, Conuersionis Pauli, Ascensionis Domini, Ioannis Baptistæ, Magdalenæ, Decollationis Ioannis, Michaelis & Angelorum, & cætera in his terris usitatae feriæ, concorditer seruentur piarum cantionum, concionum, & cæteræ moniarum usurpatione.

### DE CARNIUM ESV.

**Q**uinta & sexta die Hebdomados, in ieiunio etiam Quadragesimæ, à carnibus abstinendum, & hanc ut politicam constitucio- nem seruandam, non quod cultus ille Dei sit, aut opus merito- rium

rium, & de hoc ut populo ex suggestis concionum sacrarum disertè significetur, deq; hoc ille ut doceatur. Si tamen ne obligentur quos necessitas excusat, quales sunt operarij graues, peregrinatores, grauidæ, nutrices, pueri & senes, ægroti.

Hoc scriptum ad talem modum retextum, cum denuò Theologis offerretur, & ita an ferri posset quæreretur, tum igitur Theologi, cum ab ijs, quæ antè responderant non recederent, hæc ferme addiderunt, non scripto comprehendentes, sed coram exponentes. Monuerunt autem necesse esse, vt Adiaphora de quorum receptione promitteretur, quantum fieri posset, singula & speciatiim exprimerentur, Itē de ordinationis capite vt cum Episcopis ageretur.

Item, cantiones Ecclesiasticæ, quæ apud veteres in vsu fuissent, vt Hymni, Sequentiæ, &c. vt emendarentur quantum necesse esset & res flagitaret, similiter, & historia & Legenda Sanctorum.

Item, de forma publicæ pœnitentiæ vt cogitaretur.

Et monendos Pastores vt diligenter hortentur populum ad preces, pœnitentiam, sobrietatem & ieiunia, confessionem & absolutionis petitionem, & Litaniam crebrò vt vsurpentur.

Ahortandos etiam Pastores ad honestatem & modestiam in vita præstandam, & exemplo suo vt populum instruant. Et Superintendentes vt inspectioni suæ attributos Pastores moneant, vt suum quisq; populum sæpe adhortetur ad desistendum à vitijs, & eos qui vitam degunt in peccatis & facinorosam, siue manifesta ea sint seu minus, primum ad se vt vocent solos, & hoc si nihil

proficitur, postea in presentia Diaconorum tales ad se accersant, eosque resipiscere iubeant, & vitam emendare, addita comminatione, nisi ita faciant, velle se ad Episcopum aut Consistoria nomina horum deferre, & anathematis-  
mo à Christiana communitate excludere.

Cogitandum et de hoc diligentius an et quomodo cationes in missa usurpandæ sint, si nulli adsint qui cōmunicēt.

Postremo, cum has res vniuersas, de quibus ad se delatis, & antea scripto respondissent, atque monuissent, & tūm coram id facerent, eiusmodi esse dicerent quibus iusta deliberatione opus esset, neque illo tempore, neque à paucis de his definiri posset, Monuerunt diligenter vt & plus temporis talibus deliberationibus daretur, & cum præcipuis Ecclesiarum pastoribus alijs de his rebus, vt communicaretur.

Hæc cum ita acta fuissent, neque ad ordines conuocatos de Theologorum rationibus, quod res adhuc hæeret, referri posset, de sententia Principis Electoris primum aliud tempus, & locus alius, deliberationibus his constitutus est, nimirum vt ad 16. diem Nouembris Cella Mysorum conuenirent ex Theologis illi vniuersi, qui tūm Torgæ conuenerāt, postea ordinibus significatum, de Theologorum sententia vt cognoscerent alio tempore curatum iri, cum in presentia quod de hac proponeretur absolui non potuerit, & res amplius deliberanda fuerit, atque ita hic quoque Conuentus dimissus fuit, & ordines quod ad ipsos attineret, hac in parte, re infecta, & adhuc etiam non minus quam Misena hærente discessere.

ACTA

ACTA CELLÆ  
MYSORVM MEN-  
SE NOVEMBRI.

**H**IC Conuentus habitus est, vt communi consensu  
constitueretur de ijs, quæ Adiaphora essent, &  
quatenus ac quo vsu, salua veritate, & sine læsione con-  
scientiæ in nostris Ecclesijs institui atq; vsurpari possent,  
& si quæ præterea ad disciplinam Ecclesiasticam, & or-  
dinem & decus facere viderentur, ea vniuersa vt config-  
nata scripto comprehenderentur, de quibus deinceps  
ad regionis ordines referretur, & re communiter ap-  
probata Cæsari responderetur, & rei Ecclesiasticæ in his  
terris constitutio eiusmodi susciperetur, qua et concedere-  
tur postulanti Imperatori in quibus sine impietate id fieri  
posset, omnibus, & per se ordini & disciplinæ consulere-  
tur, & conatus legitimæ obedientiæ declararetur, atq;  
auerterentur pericula, hisq; vniuersis conseruationi veri-  
tatis doctrinæ seruiretur, ad quem finem vltimum omnia  
directa, cuiusq; causa vniuersæ tractationes susceptæ fue-  
runt. Quod cum in conuentu Torgensi à politicis ordinibus  
agi ceptum esset, ad Theologos de hoc referentibus, neq;  
perfici res tum potuisset, hic conuentus Cellæ Mysorum ha-  
bitus est, vt diximus, die 16. Nouembris. Conuenerunt  
autem ibi omnes illi, qui Torgensibus actionibus interfue-  
rant, & accersiti insuper fuere D. Bugenbagius Pome-  
ranus, D. Georgius Maior, & Superintendens Fribur-  
gensis



gensis & Pirnensis, & alij. Ex Academia etiam Lipsensi Ioachimus Camerarius eodem euocatus fuit. Ab his igitur primum postulatum ut librum Agendorum, temporibus ducis Henrici & c. compositum & propositum, cuius supra aliquoties mentio facta est, hunc igitur ut in manus sumerent, atq; considerarent quid adhuc addi pie & utiliter posset, aut in hoc per se mutari, corrigi, morderi, atq; ita rei Ecclesiasticæ constitutionem describerent, qua Adiaphora, sicut in Torgensibus deliberationibus Theologi monuerant, speciatim exprimerentur.

Atq; in hac parte quibus rationibus Theologi moti fuerint, ut postulationibus de Adiaphoris non amplius repugnarent, in Torgensis conuentus historia exposuimus, cum quidem hoc ipso tempore aliquanto maiore diligentia omnia considerarentur, quod et plus temporis ad deliberationes tales suppeteret, & cogitandi etiam mensurum iam spacium, quod à Torgensibus actionibus ad has Cellenses tractationes intercesserat, accessisset. Agitur autem his de Adiaphoris Theologorum responsionibus vniuersis hoc, ut doceatur quibus in rebus concedi possit, & in quarum constantissima & confessione & conseruatione, subeunda sint extrema omnia, ut supra dictum est, & hæc tota res deliberationum atq; actionum omnium eo dirigitur, ut doctrinæ veritas, & vsus huius, concessione tali his terris conseruetur, de quibus omnibus iam diximus. Ad illa igitur postulata primum hoc scriptum Theologi in Cellensi Conuentu composuerunt accommodatum

tum formulæ rituum & Ceremoniarum, quæ temporibus  
Ducis Henrici descripta fuit, quod ex germanico con-  
uersum subiecinus.

AD POSTVLATA CONSILIARIO-  
rum Illustriss: Principis Mau: hæ sunt Princi-  
pis Georgij Anhalt: & ceterorum Theolo-  
gorum de agendis rationes.

### DE BAPTISMO.

**S**alis usus in baptisinate concedi potest, modo non exorcisati fa-  
lis, nam illi exorcismi falsi blasphemix sunt horribiles, & magicæ  
quædam, quales prohibentur in primo præcepto.

Præterea aliæ etiam orationes in Agendis Pontificijs ad bap-  
tismum usurpantur, quæ non sunt puræ. Optimæ tamen orationes  
ex latinis agendis, iam pridem sunt in usu apud nos Germanico &  
patrio sermone translatae.

Ad Chrisma quod attinet, non potest hoc propter idolatricas  
conjuraciones, quibus uirtus atq; efficacia sancti Spiritus & salutis,  
sine uerbo & mandato Dei, attribuitur, ad talem modum usurpari,  
Sed indusoliti usurpatio iam dudum in usu est. Cereus etiam usurpari  
possit, etsi hic apud nos in usu non est. In nostris agendis ea admo-  
nitio, quæ incipit dilecti in Christo audimus in hoc breui Euangelio,  
&c. propter prolixitatem omitti potest. Altera admonitio in his, cu-  
ius initium est, Mei & meæ uos, infantem hunc, &c. omittenda est  
ideo, quod anadochi & testes Baptismi nimis grauius & rigide obli-  
gantur. Ad interrogaciones etiam quæ ad hos fiunt non sola tantum  
affirmandi particula responderi debet, sed tota interrogatio repeti,  
nimirum ut dicatur ita, ego credo, ita, ego contradico.

Symbolum etiam Apostolorum integrum recitari debet.  
Re peraeta, sub finem talis hortatio fiat. Dilecti uos audiuitis iam  
quid iste infans per os uestrum promiserit, nimirum de capitibus si-  
dei Christianæ, creatione, redemptione, & sanctificatione, quod hæc  
omnia credere & confiteri uelit. Secundo quod de institutione &  
mandato Domini nostri Iesu Christi, laus Deo, Baptisatus sit. Horti  
omnium uos testes estis. Quod si qua de re ad uos aliquando agetur,  
quæ ad horum commonestationem, & ad institutionem infantis fa-  
ciant, in eo beneuoles uos exhibeatis, a Domino & Deo nostro mer-  
cedem expectantes.

Antequam

Antequam subiiciamus cætera, hoc loco de Salis usu breuiter significandum putauimus, retentum hunc fuisse in Ecclesia Vuitebergenſi D. Luthero permittente, & anno primura ſuperiore, id eſt 58. uſurpari ſalem in Baptiſmo apud nos deſiſſe.

## DE BAPTISATIONE, QUÆ FIT neceſſitate urgente :

**M**Aneat formula in noſtris agendis de hac præſcripta, Oratio tamen Dominica & capita Symboli Chriſtiani noſtri, ut ſæmul recitentur.

## DE CONFIRMATIONE.

**D**E hac in Pontificum conſtitutionibus nihil puri ſit, atq; inſuſper hæc nudum tantum ſit & inutile ſpectaculum apud Pontificos, ideo peculiaris forma huius præſcribenda, quæ in Eccleſijs ſeruari poſſit.

Multæ bonæ cauſæ ſunt, propter quas optandum confirmationem non tantum, ut ocioſum & nudum ſpectaculum, ſed præcedente auditione de omnibus capitibus Chriſtianæ doctrine, & cum publica & diſerta confeſſione fidei, & promiſſione in uera fide & uerone precum ex intimo pectore, grauiſſe & decenter ſeruari. Hoc enim ad institutionem pueritiæ, ad pietatem, diſciplinam bonam, & bonos mores faceret. Itaq; mandandum omnibus patribus familiaribus, ut liberos ſuos diligenter ad Catecheſin doctrine Chriſtianæ cogant, & in hac exerceri curent, & eos qui decimum quartum ætatis annum attigerunt, ad paſtorem adducant, qui eis uel dominicam uel aliam diem aliquam conſtituat, qua publice ante altare unum aut plures ex pueris aut puellis ſit auditurus. Et tum uel parentes uel alij ex cognatis puerum aut puellam ad altare adducent, qui puer aut puella ante hoc aſtans primum ipſe ordine recitare debebit Symbolum Apoſtolorum, Decalogum, Orationem Dominicam, poſtea paſtor, aut cui hoc mandabitur, ordine interroget doctrinam Catechiſmi.

De tribus perſonis in diuinitate.

De duabus naturis in Chriſto.

Quod ſit diſcrimen inter Chriſtianam & Ethnicam inuocationem.

Quod ſit diſcrimen inter legem & Euangelium ?

Quid ſit peccatum, & de poenis peccati ?

Quomodo

Quomodo remissio peccatorum impetretur, & quomodo  
coram Deo iusti simus ?

Quæ opera fieri à nobis oporteat ?

Quæ peccata gratiam expellant ?

Quæ sit efficacia seu uirtus Baptismi ?

Quid præbeatur in Sacramento corporis & sanguinis Chris-  
ti, & qua de causa perceptio illa fieri debeat, & quomodo cum fide  
fieri debeat ?

Quid sit Christiana Ecclesia ?

De his capitibus singuli uel à parentibus uel à ludimagistris  
instituti esse debent. Post hanc auditionem factam, pastor puerum aut  
puellam ad constantiam in fide, precibus, & cæteris uirtutibus, co-  
hortari debet.

Ad quam cohortationem puer aut puella hanc promissionem  
facere debet, talibus quibusdam uerbis, quæ pastor ei præeat.

Ago gratias Deo ex animo, quòd me ad ueram agnitionem  
sui, & ad agnitionem unigeniti filij sui Iesu Christi Saluatoris nostri  
benignè uocauit, & membrum me fecit Ecclesiæ suæ, quam exaudire  
uult & salutem æternam ei largiri, eumq; oro, ut mihi propter filium  
suum Iesum Christum, Spiritum sanctum suum dare uelit, ut in recta  
& uera fide & uero timore Dei omni tempore & constanter uiuere &  
manere possim. Et promitto, estq; hæc seria uoluntas & animi sen-  
tentia atq; propositum meum, adiuuante Deo, me in hac uera &  
Christiana fide, quam iam in recitatione capitum fidei confessus sum,  
omni tempore mansurum esse. Post hanc orationem, Pastor in pueri  
aut puellæ caput imponat, & uniuersi qui assunt, serias pre-  
ces pro Ecclesia Christiana in communi, & pro personis adductis fa-  
cere debebunt, & poterit simul accini: Veni sancte Spiritus, Pastor  
autem talibus quibusdam uerbis pro puero oret: O Domine Iesu  
Christe, fili Dei, qui dixisti: Quantò magis Pater cœlestis Spiritum  
sanctum dabit petentibus, oramus te, miserere pueri huius, & cor &  
mentem huius Spiritu sancto tuo semper regas, eiq; ueram fidem &  
inuocationem atq; timorem Dei, dilectionem & spem, unà cum cæ-  
teris uirtutibus augeas, & membrum utile Ecclesiæ tuæ facias, & ad  
æternam salutem perducas, ut te æterna gratiarum actione celebret.

Postea pueri aut puellæ, unà cum parentibus suis ad commu-  
nionem accedant.

Numerum tamen annorum non ita accipi uolumus, quasi  
ante etiam id tempus, & minore ætate cum sunt, pueros qui in Cas-  
teches

techesi Christiana mediocriter sint instituti, ad confessionem & Sacramentum à parentibus suis adduci nolimus, Qui hoc potius operam dare debent, ut maturè ad confessionem & Sacramenti usum liberos assuefaciant, secundum dictum: Sinite pueros ad me venire, quoniam talium est regnum cœlorum. Confirmatio uero ea ætate fieri debet, quæ plus habet intelligentiæ, qua ætate fidem & promissiones suas melius intelligunt.

## DE INTRODVCTIONE

*Puerperarum.*

**Q**uæ à ministro Ecclesiæ preces aut gratiarum actionem petunt, ijs opera talis negari non debet.

## DE CONFESSIONE ET ABS

*olutione.*

**M**anent de quibus docetur & monetur in formula præscripta tempore Ducis Henrici, Modo ut Pastores admoneantur, ut in confessione audienda diligentiam adhibeant neq; obiter & strictim in re uersentur, & ad emendationem & studium Christianæ uitæ homines adhortentur & instent. Et usurpent unam de formulis absolutionis, quæ in agendis præscriptæ sunt, cumq; absolutionis formulam recitant, ei qui confitetur, manum imponere ne omitant.

**Q**UID AD ÆGROTOS FIERI, ET HI  
*quomodo instrui & confirmari debeant.*

**N**ihil mutetur in pristina formula, saltem ut Sacerdotes pro conditione ægrotorum se gerant, & ad hos se accommodent.

## DE VNCTIONE.

**V**isitatio ægrotorum diligenter apud nos & hoc modo præstat, ut post Christianas admonitiones & consolationes factas audiantur confitentes, & communicent, & ut consolationis causa absolutio aliquoties apud hos reperatur. Item ut apud ægrotos & pro his seriæ preces fiant à Sacerdotibus & ægrotorum parentibus aut liberis, qui ex animo orant. Hæc uniuersa & Deo placent & ægrotis consolationi sunt, & non inania. Vnctio autem ante hæc tempora cum inuocatione Sanctorum facta est. Item addiderunt præterea hæc uerba, per istam unctionem expietur quicquid deliquisti per uisum, auditum, Item, & sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad pug

ad purificationem animæ & corporis, & ablutio omnium culparum.  
Talia uerba manifestè sunt Euangelio contraria, & omnibus pijs audi-  
ditu horribilia. Cumq; formulæ sint multiplices, & Euangelio ma-  
nifestè contrariæ, planum sit, hunc morem ab Apostolis non esse in-  
stitutum.

Præter hæc omnia considerandum, quod fieri non possit, ut  
usurpetur, cum in consecratione olei tam horribiles uoces usurpen-  
tur, ut non existimemus aliquem Episcopum, qui Christianam do-  
ctrinam considerare uoluerit, eiusmodi consecrationes adhibiturum,  
ut sancti Spiritus ei admisceri uirtutem, & uitæ æternæ participes fa-  
ciat. Item, ut fias in adoptionem carnis & Spiritus ihs, qui ex te un-  
gendi sunt in remissionem peccatorum. His uocibus honor proprius  
Deo, tribuitur oleo, nimirum quod filios Dei nos faciat, quod pec-  
cata tollat, quod participes faciat uitæ æternæ, Item quod fuget dæ-  
mones. Hæc Idolatricæ uoces sunt, & seueris edictionibus prohibetæ  
in primo & secundo præcepto legis Dei, ideo nemo has confirmare  
aut stabilire debet.

*DE ADMINISTRATIONE SACRO-  
rum Publicorum in Templis Urbium, & ubi  
Scholastici habentur.*

*DE VESPERTINIS PRECIBVS.*

**I**N his seruetur uetus consuetudo, modo ut impiæ cantiones  
omittantur & loco illarum piæ sumantur, Et quod ex biblijs ca-  
put recitari solet, uel puer recitet, uel prouectiori ætate aliquis de  
Pastoris sententiâ.

*DE MISSA.*

**P**rimus Sacerdos qui Missam celebraturus est, unâ cum admi-  
nistro recitet, Confiteor, id est, piam & religiosam orationem  
flexis genibus ante altare.

*POSTEA SEQUATUR*

Introitus.

Kyrie eleison.

Gloria in excelsis Deo.

Et in terra.

Collecta, Latine & Germanicè.

V u z

Epistola

Epistola à celebrante Missam ad Altare latinè accinatur, postea Diaconus germanice recitet ad populum.

Alleluia & Sequentia. Aut si dominicaliter canitur sine sequentia, accinatur loco sequentiæ Cantio Germanica.

Euangelium ad altare accinatur latinè.

Credo cum Symbolo Niceno.

Symboli cantio Germanica Wir gleuben &c.

Concio, & Euangelium germanicè de suggesto recitetur.

### *Post Concionem.*

Breuis Cantio germanica pro pace, aut alia.

Præfatio, latinè, præsertim in præcipuis festis.

Sanctus.

Pater noster.

Breuis cohortatio ad populum cuius initium, Hortor uos &c.

Verba testamenti Germanicè, cum eleuatione.

Communio.

Sub communionem canatur Ihesus Christus &c. & si multi communicantes sint Agnus Dei.

Collecta seu Ecclesiarum actio, Germanicè, propter Ecclesiam. Benedictio Germanicè.

## ADMINISTRATIO SACRORVM in Pagis.

**P**ost Concionem accinatur, Erhalt vns G E R R bey deinem Wort &c.

Postea Pater noster, & hortatio recitetur huius initium hortor uos &c.

De reliquis fiat, & quod supra præscriptum.

Si nulli assint qui communicent, Pastor post cantiones indicatas recitet Epistolam Germanicè, & postea de Suggesto Euangelium, quod explicaturus est Germanicè de libro recitet.

In oppidis autem non tantum diebus Dominicis communio celebrari debet, sed etiam si assint, qui communicent interfectis diebus hebdomados, uno aut altero publica Missa celebretur, concione habita, eodem prorsus modo quo die dominica. Si nulli assint illis diebus, qui communicent, tum sicut cæteris diebus hebdomados uel Psalmi uel aliæ cantiones purè accinantur latinè, & ex ueteri & nouo Testamento aliquid recitetur.

De Festis

## DE FESTIS.

**D**E his seruentur omnia, quæ in Agendorum formula notata sunt. Hoc loco Magistratus admonendus, ut diebus dominicis & aliorum Festorum, populus ad Conciones & Ceremonias pias cæteras accedat & conueniat, & à comotationibus & alijs similibus rebus abducatur, quod tum eò magis est futurum, si Magistratus ipse hac in parte populo exemplo bono fuerit.

## DE SEPULTVRIS.

**I**N Torgensibus actionibus Theologorum de his rationes sunt indicatæ.

## DE ORNATV ECCLESIASTICO & Choralitunica.

**F**erre possunt Theologi, ut placeat ex dilectione Christiana, & ad auertendam multiplices difficultates, hanc in omnibus Ecclesiasticis administrationibus & muneribus usurpari.

Quod ad cantiones, Agenda, Pontificalia & Missalia attinet, uniuersa & sigillatim sunt recognita, & quæ pura non sunt, speciatim omnia consignata.

Præterea præsto est formula horarum Canonicarum & officiorum Ecclesiasticorum, quemadmodum hæc Meresburgi hæctenus in usu sunt, & quid præterea in Ecclesijs collegialibus hac in parte constituendum sit, de eo cum Collegiorum illorum Dominis, amplius conferri oportebit, ut hoc modo utiliter aliquid etiam his in rebus constitui possit.

Ad ordinationem etiam quod attinet, quæ in hac pura non sunt, similiter in ijs, quorum supra mentio facta est, sunt consignata, & Theologorum de hac rationes antea unà cum alijs Torgæ consiliarijs traditæ.

Omnes exorcismi & coniurationes creaturarum in Agendis ueteribus, qui tamen non sunt unius modi, & uniuersi inspecti, superstitionosi sunt & impij, neq; in his quicquam emendare possumus. Cibus autem, ut cum precibus & gratiarum actione accipiatur, pietatis est Christianæ, & utile, neq; debet neq; potest omitti.

## DE SEPULTVRA.

**D**E hac Theologis in prioribus responsionibus Torgæ factis, indicatum.





partem aduersam res ipsi sit composita, nam qui in contumacia aduersus magistratum & partem læsam perseuerat, is non habet ueram pœnitentiam & nulla respicientiæ aut conuersionis iniicia.

Hæc omnia explorari prius oportet, ut ueræ conuersionis argumenta in illo facinoroso animaduerti possint.

Atq; ita facinorosus ille ad constitutam diem coram Pastore se sistere, & aliquot honestos uiros secum adducere debet, Pastor etiam ex Senatu aliquot & Diaconos suos sibi adiungere debet.

Et primum facinorosum illum Pastor interroget, an facinus à se commissum confiteatur.

Secundò, an peccati eum ex animo pœniteat.

Tertiò, an absolutionem expetat.

Quartò, an serio constituerit adiuuante Deo uitam suam in melius instituere, & hoc an se facturum promittat.

Quintò, an ab Ecclesia, ut sibi agnoscat periturus sit, quam scandalo à se dato grauius conturbarit.

Ad has uniuersas interrogationes, ubi ut decet responderit, tum exploratione opus de Consistorio, si fuit excommunicatus, Item an Magistratui & parti læsæ satisfecerit. De quo utroq; facinorosus testimonia proferre debet.

His uniuersis ita ordine & seuerè exploratis, Pastor in præsentia cæterorum, facinorosum pia oratione commonefaciat de ira Dei aduersus peccatum, & de æternis & temporalibus pœnis, de scandalo, eumq; adhortetur ad seriam pœnitentiam, & uerum dolorem animo concipiendum, atq; simul de remissione peccatorum ex gratia & merito Christi, Saluatoris nostri, & de fide sua atq; intellectu huius eum interroget.

Post cognitionem & explorationem talem Pastor mandet, ut facinorosus ad proximam aut alteram diem dominicam in templum ueniat, ubi post renunciationem publicam eum sit absoluturus. Neq; absolutio diu differri, aut aliæ multæ & longæ Ceremoniæ hominibus imponi debent, quod fecerunt Canones pœnitentiales, qui ueram Christi agnitionem deleuerunt, & conscientias horribiliter in dubitationes, tristitiam & desperationem induxerunt.

Ad illam igitur diem Dominicam, Pastor de suggesto sacro tale præconium faciat, facinorosum istum ad se uenisse, & de peccato suo confessum atq; indicasse ex animo se dolere, & quod iram Dei prouocasset, & scandalo Ecclesiam conturbasset, &c. quod respicienti ad Deum se conuertere uelit, & absolutionem humiliter petierit. Ad quæ ipse Pastor, unà cum alijs, explorauerit an facinorosus iste

Consistorio,

Consistorio, Magistratui, & parti læsæ composito negotio satisfecerit, de quo intelligeretur an hæc seria esset conuersio, & comperisse se de debita hominis obedientia. Tum simul & ad populum orationem Pastor habere debet, qua commonefaciat de ira Dei & de horribilibus pœnis æternis & temporalibus propter peccatum, & publicas etiam pœnas propter uniuscuiusq; priuata peccata accumulari, quemadmodum Dauidis adulterium causam attulit, ut totum regnum puniretur, Et cum his simul doctrina de remissione peccatorum mandatum Dei, ut ad illum nos conuertamus, & quod peccata propter filium suum certò sit remissurus, Et Deum hæc utraq; opera pœnitentiam & fidem pro cultu præcipuo habere, qui à nobis ei præstari possit, & quod publicas atq; communes pœnas ille leniat, si nos conuertamus, ut de Exemplo Ninives cognoscere licet. Postea facinorosi nomine Pastor petere debet, ut tota Ecclesia propter Deum ei ignoscere & pro eo orare uelit.

Hoc præconio facto facinorosus ante Altare in genua procumbat, ita tamen ut prius etiam priuatam confessionem usurparit, in qua de doctrina institutus & ante Deum absolutus fuerit. Et Pastor eum publice iterum interroget, an facinus confiteatur, & peccatorum eum an ex animo peniteat, & absolutionem an expetat? & seriò apud se constituerit, adiuuante Deo uitam in melius instituere, & hoc publice coram Deo & Ecclesia an promittat? Ad hæc respondeat. Ita Postea iterum Pastor de ira Dei & remissione peccatorum breuiter admonere poterit, & deinceps facinorosum illum absoluat.

Formula autem absolutionis in Agendis bona est præscripta. Post absolutionem is, qui absolutus est ad communionem accedat, ut hoc genus ipsum initia conuersionis suæ precibus & usu Sacramenti demonstret, & Ecclesia argumentum hoc ut uideat, eum, qui absolutus fuit, nunc deinceps membrum Ecclesiæ denuò factum. Et pro ratione locorum & causæ, quoquo tempore considerandum, quando Pastori aut Superintendenti hanc operam mandari conueniat, & ex Pastoribus singuli Superintendentibus suis de re significant, ad quam significationem Superintendens constituat, quomodo ad ministrari negotium oporteat, & ex eo Pastori mandet quid sit faciendum.

Quod si in pago talis casus accidat, Pastor oppidanus ad mandatum Superintendentis secundum præscriptam formulam rem in pago administret, ut plebs etiam rustica exemplum uideat, & ad uitam in melius instituendum excitetur.

Hæc

*Hæc cum ita à Theologis perscripta oblata fuissent  
ijs, qui à Principe Electore cum mandatis istuc ablegati fuerant, responsionis loco hoc scriptum quod subie-  
cimur redditum fuit 17. Nouembris, quo monetur &  
significatur vt sequitur:*

Rationes scripto propositas cognouimus, ad quas celare uos noluimus, à tempore tractationum Torgensium multiplicia accidisse, de quibus intelligatur, quantum benignissimi principis nostri, uestra ipsorum, & communium regionis ordinum hæc res interfit. Quas propter & grauibus de causis hæc est Principis nostri benigniss. sententia, Vt quicquid in religione bona cum conscientia fieri possit quod uerbo Dei non sit contrarium, Id ut fiat, neq; quicquam curetur etiam si qui secus censuerint, scripto de se receperint, aut aliud approbauerint.

Quod si enim hac in parte, ut desiderari aliquid posset committeretur, atq; ita grauioris mali causa afferetur, nimirum ut uel religio plus quam hæctenus persecutionis haberet, aut in his terris magis impediretur, Concionatores & Ecclesiarum ministri per uim nobis adimerentur, Monasteriorum redditus, quibus scholæ & uerbi ministri sustentantur, parcius communicarentur, aut auerterentur, atq; hæc terræ alijs modis in Angustias, bella & difficultates conijcerentur, una cum principe, nostro Domino benignissimo, Tum igitur talia damna multo maiora, & pluris facienda essent, quàm si obedientia in ijs præstaretur, quæ piè & cum bona conscientia fieri possent. Huius legitimæ & debitæ obedientiæ non est minor ratio habenda, quàm eius, quod alij hanc male interpretari possent, neq; hoc illi præponi debet, nam qui ita inducit animum suum, eoque dirigit sententiam, ut obedientiam præstare uelit in omnibus quæ cum bona conscientia facere possit, is non curat quid alij loquantur, neq; scire potest, quæ sint aliorum consilia, aut quo dirigantur.

Non iudicamus esse necesse, ut hoc loco commemoretur benigniss. principem nostrum in his regionibus, post tam multiplicia & ab ipso Principe & à consistorijs atq; alijs edita scripta edicta, hortationes, tamen apud quosdam ut obediatur obtinere, non potuisse, neq; adhuc obtinere, ut nihil dicamus de ijs quæ belli tempore proximi deprehensa fuerunt. Ex his uerò omnibus hoc argumentando inferre possumus, ad uniuscuiusq; rationes non respiciendum,

neq; approbationes quorumcunq; expectandas, aut quid quisq; dicere possit uerendum. Nam qui recte agit, neminem ueretur.

Et cum uos sine dubio negaturi nō uideamini Consulta Cæs. Maiestatis, quæ Interim cognominantur, multa in se continere quæ scripturæ consentanea sint, & non falsa, Non dubitant tamen aliqui publice pro concione dicere, nihil prorsus ueri aut boni in illo libro esse, & qui aliquid huius recipiat aut seruet, de eo futurum id quod Adamo accidit, qui uno tantum morsu de pomō assumpto ira Dei se onerauerit, etiamsi totum pomum non comederit, Et quæ alia huius generis multa audiuntur similia, quæ sine dubio ad Cæsarem deferuntur.

Et si autem uos hæc altius considerare potestis quam ut à nobis commemorari necesse sit, Tamen & necessarium & consultum iudicamus, Intelligi ab omnibus, & in primis à Cæs. Ma. uniuersos nos harum terrarum incolas Ecclesiastici & politici ordinis, ad quietem, pacem, concordiam, & obedientiam animis propensis esse.

Hoc igitur & nullo alio consilio ea, de quibus nuper Torgæ colloquium fuit, in manus resumpsimus, & amplius perpendimus atq; additionibus quibusdam breuib; auxiliis, quæ uobis hic una tradidimus. Hæc uos cognoscatis, & quantum fieri potest & uerbum Dei finit, ita corrigatis, ut Cæs. Mai. intelligat, in nris omnibus quæ cum bona conscientia & de uerbo Dei fieri possint, nihil in obediendi studio in uniuersis harum terrarum ordinibus desiderari. Atq; simul & periculorum magnitudinem, persecutiones, damna atq; detrimenta, quæ nisi ita fiat, accidere possit, ut non sint non secutura, consideretis, & de se & suis rebus, de communi salute, hominum nostrorum, tam tenuium quam fortunatorum, summorum & infirmorum, singuli cogitent, & hac consideratione minus aliorum iudicis moueantur, ne dubitent omnia ea promouere quæ ad obedientiam, ut diximus, quietem, pacem & concordiam faciant, in primis autem Deo quæ sint gloriosa, quod idem inclytæ mentionis Dominus noster benignissimus una uobiscum ut operam det propenso est animo, neq; quicquam hac in parte quod Deo aut sanctiss. uerbo huius contrarium sit, ab ipso ut committatur.

*Hæc responsio fuit eorum qui à Principe Legati aderam, sed de rebus ad religionem pertinentibus quid perscripserint & quibus additionibus Torgæ proposita auxerint, infra cognoscetur, loco in his actis ultimo, ubi scriptum*

scriptum ipsorum exponitur. Nam cum Theologi, quorum censura subiecerunt, de illo quedam monuerint, hoc loco, & antequam quid de subiectione horum mutarint, & qua in sententia Legati perstiterint, intelligi possit, non fuit referendum, quod & supra cum alijs fecimus. Ad hæc igitur responderunt Theologi die 18. Nouembris vt sequitur.

Primum quod ad sæpe repetitam adhortationem attinet, de pace & obedientia permittimus iudicium Deo, qui corda cognoscit omnium hominum. Hic scit de nulla re à nobis temere, petulanter, aut contumaciter pugnari, sed à nobis quoq; pacem quæri, & ad debitam obedientiam Cæsareæ Maieſt. & benignissimo Princi. nostro subiectissime præstandam semper nos prompto animo & fuisse & esse etiam nunc. Et Domini ipsi ex scriptis & consignationibus nostris deprehendunt & cognoscunt, quod receperimus de concessione in omnibus rebus Adiaphoris, de quibus nos iudicare potuimus, quod ad similitudinem in hoc genere & decentiam constituendam faciant, ut de festis, cantionibus, ornatu seu cultu, lectionibus, cibis, & multis alijs similibus.

Ad cæteros etiam Pastores & Concionatores hoc agimus pro nostra parte, & quantum nos de rebus aliorum cognoscere possumus, ut ad pacificas conciones usurpandas eos adducere studeamus, & Dei beneficio in Ecclesijs harum terrarum medioeris est disciplina & concordia, qui benigne etiam deinceps turbas & discordias auerant.

Quod uero falsam doctrinam, & manifeste impias Ceremonias non recipimus, sciunt Domini ipsi esse hoc mandatum à Deo, neq; probaturi essent, si ueram Doctrinam mutaremus. Petimus igitur, ne pro ijs habeamur quibus de non necessarijs rebus pugnando benignissimum Principem nostrum, has terras & nosmetipsos in difficultates, & miseras conijcere studium sit. Et quod in hac doctrina & in his Ecclesijs manemus, ideo facimus, ut seruiatur laudi & gloriæ Dei, & maiores disputationes auerantur. Tum fides operæ nostræ in plantatione doctrinæ necessariæ nota est, Ideoq; Ecclesiæ & scholæ in his terris Dei beneficio adhuc quidem magis florent quàm in alijs, & doleremus ex animo, si dissipationes & discordia in his

acciderent, quod subitis mutationibus facile fieri posset. Neq; huic breui excusationi nostræ in præsentia addere aliquid uolumus.

Secundo loco de capitibus nobis traditis etiam breuiter respondebimus. Et quanquam generaliter quædam dicuntur, in capite de autoritate Ecclesiæ, de his tamen non pugnabimus. Apponit tamen necesse est hæc uerba, quæ in Torgensibus capitibus continentur, sacræ scripturæ consentanea & non contraria.

De Baptismo manet quod propositum est & excusant nos de Chrismate hæc uerba ipsa, una cum alijs ueteribus pietatis Christianæ Ceremonijs, nam quod sæpe iam est indicatum, scitur illud oleum à nobis non usurpari, & quod ab huius temporis Episcopis propter impias & blasphemias consecrationes petere illud non possimus.

De Confirmatione, Pœnitentia, Sacramento Corporis & Sanguinis Christi capita, maneant ut scripta sunt.

De unctione dictum est Episcoporum oleum à nobis non usurpari, preces autem de quibus mentio fit in illo capite ita à nobis seruantur.

De Ordinatione Sacerdotum manifesta res est, quod sæpe obtulerimus Episcopis restitutionem potestatis huius, si ueram doctrinam non persequantur. Iam autem hoc etiam his temporibus manifestum, qui nunc sunt Episcopi eos persecutores huius esse & habere uelle, quod si igitur huius capituli sententia hæc sit, ut horum temporum Episcopis subiiciamur qui præcipiant nobis, & nos puniant ut libuerit. Item ut ordinatio ab his tantum accipiatur, magna fiet in harum terrarum Ecclesijs uastitas. Quod igitur hac in parte generaliter dicitur, id est explicandum, Et si sententia ea est ut tum ordinatio ab Episcopis accipiatur ubi Episcopos habuerimus, hoc est, ubi Episcopi de uera doctrina nobiscum consenserint, tum speciatim hoc in illo capite tali quodam modo exprimendum. Episcopi etiam ueræ doctrinæ, uerique usus Sacramentorum, ita ut Ecclesiæ nostræ in præsentia hæc profitentur, conseruationem adiuuent. Et mox. Neq; ordinandos iniustis obligationibus onerent.

Quam diu autem Episcopi persecutores fuerint, & nos in his Ecclesijs manebimus, non est committendum ut nostra culpa in Ecclesijs uastitas fiat, sed oportebit à nobis ipsis ordinationem administrari, quemadmodum Paulus præcipit Tito, Et manifestum est ex Cypriano, Hieronymo & Chrysostomo, Episcoporum & Presbyterorum gradum seu dignitatem unam & eandem esse, unde & Panoritanus in Cap. quarto de consuetudine, similiter sentit quod Presbyteri olim ordinauerint Presbyteros.

De Coniugio, Missa, Imaginibus, Cationibus Ecclesiasticis maneat formula in Capitibus exposita.

De Vigiljs petimus ut acquiescatur ijs, quæ in tractationibus Torgensibus de his notauimus.

In capite de festis non sit mentio festi corporis Christi, in Torgensibus actionibus, præterea minime conuenit hoc nostris Ecclesijs, in quibus est usus integri Sacramenti. Et in hac re præcipuè & maxime considerandum hoc est, Sacramenta extra usum institutum non esse Sacramenta.

De Carnium esu maneat quæ de hoc capite perscripta sunt, atq; insuper rationes nostræ sic ferunt, ut ualde hoc utile fore existis memus, & rem esse Deo placentem, si Magistratus de hoc constituat, atq; ut præstetur seuere operam det, ut luxus conuiuiorum longorū & multorum ferculorum tollatur, & ad moderationem atq; temperantiam res redigatur, & propinationum helluationes atq; ingurgitationes petulantes ut puniantur. In primis autem ut uitetur ne quicquam commestationum talium uesperis feriarum dies præcedentibus agitur. Valde enim turpe est quando mane in templo ad conuersionem & preces ueniendum est, hominibus tum à crapula caput adhuc infestari. Item ad particulam, Et hanc ut politicam constitutionem seruandam: addantur hæc uerba, & à Magistratu ut res edicatur, qui & eos qui contumaciter contra fecerint puniendi ius habet.

*Hoc est alterum scriptum quod à Theologis in Celsensi conuentu propositum fuit. Ad hoc alterum scriptum Theologorum responderunt Legati Principis in hunc modum. Acta autem sunt quæ sequuntur vsq; ad finem huius Conuentus vniuersa, die 19. Nouembris. Sed responsio de qua diximus, hæc est.*

Quod in consignatis rationibus nostris initio mentionem periculorum fecimus, quæ his tetris impendant, nullo alio consilio factum est, quam ut benignitas uestra, & uos cæteri, æque ut nos de illis scire possentis, & persuadebimus nobis, aliter quam pro eo consilio, quod factum à nobis est, uos non accepisse. Esse autem exceptis uobis aliquos quibus nihil fieri possit, quod placeat quantum uis bono consilio suscipiatur, minime est obscurum, quorum sermones & scriptiones ut ne curare uelitis orauimus, & nunc quoq; oramus.



Et quoniam hæc res à uobis & nobis similiter bona cum fide & ex animo agitur, nouit Deus nos scientes nihil neq; querere neq; consulere, quod ulla ex parte Deo & gloriæ diuinæ atq; sanctissimo uerbo ipsius contrarium esse possit. Neq; dubitamus non minorem hanc spem & persuasionem de benignissimo Principe nostro & nobis esse uestram, quam Principis & nostra de uobis est.

Pro his igitur petimus nos doceri, cum uos excusationem hanc usurpetis, non posse à uobis impias Ceremonias recipi, an à nostris illis consignatis rationibus causa aliqua uobis huius rei afferatur, de qua ubi edocti fuerimus, postea ut inter nos conueniat operam dabimus.

Caput de Ecclesia sic accipimus, si in Spiritu sancto congregetur, nihil illam quod sacræ scripturæ contrarium sit, uel constituturam uel decreturam esse. Quod si iam eodem modo à uobis intelligitur, maneat hoc ita ut perscriptum est.

Ad Chrisma quod attinet, petimus à uobis, ut cogitare uelitis, quomodo piæ ad hoc preces usurpari possint, & quæ pietati non sint contraria, ea ut concedantur. Postea cum Episcopis de re amplius conferendum.

Neq; aliam esse sententiam nostram, quam ut Episcopi munere suo non aliter quam de mandato diuino fungantur ad ædificationem non ad destruendum, testantur uerba nostra in capite de auctoritate Ecclesiæ. Ideo consultum iudicauimus, ut docti & piij homines, siue ex nobilitate, siue plebeiij sint, in Collegia Canoniorum cooperentur, & inde Episcopi creentur, atq; de uestris rationibus, ut cum huius temporis Episcopis conferatur prima occasione opera dabitur. Hoc intellectu proposita capituli uerba seruari poterunt.

In Vigilijs cum multæ pulchræ cantiones sint, quæ de morte & uitæ huius miseria & breuitate, in primis autem de resurrectione hominum utiliter admonere possint, doceri nos petimus, quomodo hæc uiuorum commonefactionis causa usurpari queant.

In mentione Festi Corporis Christi processiones & Theatricam circumgestationem nequaquam intelligi uolumus, nam hæc minime usurpanda.

Ut crapulationes, & propinationum ingurgitatio præcidatur, ab edificationibus & poenis ciuilibus, ne quid desiderari possit curabitur. Vos etiam curetis, ut sæpius de suggestis sacris & grauioribus contra has dicatur, & Sacerdotes ipsi ne has usurpent, neq; in Cauternas computationum causa ueniant, quod in oppidis minoribus & pagis sæpe fieri solet.

Cum

Cum etiam communiter formulam precationis publicæ com-  
posueritis, unde & factum ut sacerdotibus mandaretur, eam ut reci-  
tarent, neq; ab hac recederent, Et tamen ab aliquibus hoc ut faciant  
impetrari non possit, Hanc ob causam Benigniss. Princ. noster de-  
creuit se non laturum aliquem, qui dieb. Dominicis illam formulam  
populo præire noluerit. Petimus igitur à uobis ut operam detis, ut  
illa de qua diximus formula, seruetur. Quod si qui ipsi causa sibi fu-  
turi sunt, ut discedere iubeantur, nos extra culpam erimus.

Quod si iam post hanc declarationem à nobis factam, uestræ  
de capitibus propositis sententiæ cum nostris consentiunt, petimus  
nos de hoc & cæteris quæ petimus doceri, etiam opera ut detur,  
quantum id fieri potest, ut cantiones quæ in Missa usurpari solent in  
maioribus oppidis singulis diebus accinantur.

Item ut cogitetur an fieri possit, ut Canon mundetur ad caus-  
tionem de futuro tempore, quo de hoc agi posset.

*Hoc modo cum explicassent sententiam suam Legati,  
& liberè atq; sollicitè de omnibus interrogassent ut doceri  
possent, iterum à Theologis responsum fuit, ut sequitur.*

**Q**uæ oratio hodie habita fuit, eam sic accipimus, exceptis du-  
obus, de Chrismate & Canone, conuenire inter nos de cæ-  
teris capitibus omnibus.

Primum igitur petimus, ut pro eximia sapientiâ uestra consi-  
deretis ipsi, quam non difficiles se Pastores hoc tempore exhibuerint,  
sed faciles potius, & qui tantum concesserint, quantum omnino cum  
bona conscientia fieri potest, neglectis iniquis iudicijs & obrectatis  
onibus, quas sequuturas esse intelligunt, & ut reprimantur difficile  
esse futurum, & nihilo tamen minus tantam concessionem admise-  
runt, ut cognosceretur nos Cæsareæ Maiestati & benignissimo Prin-  
cipi nostro in omnibus, in quibus fieri possit, obedientiam præstare  
uelle. Nostra etiam sponte, non libenter aliquid in nobis requiri pa-  
teremur, quod ad pacem faceret, quantum omnino à nobis fieri  
posset. Petimus igitur, ut Domini hac concessione quâ in omnem  
partem satisfactum, quanquam cum aliqua aggrauatione ipsorum,  
contenti, simul considerare ut uelint, in religionis negocijs moderate  
agendum.

Secundo, quod ad duo capita attinet, de quibus amplius  
queritur, scitis ipsi & in consecrationibus olei & Chrismatis, & in Ca-  
none,

none, tantæ & tam manifestæ impietatis uoces inesse, ut approbati  
nullo modo possint. Ideo nos Pastores petimus, ut nostræ & cætero-  
rum conscientiæ hac in parte parcatur. Neq; de uerbis aut paruis res-  
bus pugna est. In tanta enim re quæ ad cultum diuinum pertinet,  
alienæ à ueritate uoces, & quæ ad confirmationem maximorum er-  
rorum, qui manifesto primo & secundo præcepto & doctrinæ de  
gratia Christi & iustificatione contrarij sunt, faciant, admisceri mini-  
me debent. Nos uero ut formulam præscribamus cogitare ipsi pos-  
testis, quæ à nobis præscribantur non curari. Præterea per se hæc  
formulas præscribendi opera periculosa est, & hærent adhuc in Ca-  
none aliquot ualde difficiles & maximi momenti disputationes. Itaq;  
si de hoc præscribi aliquid deberet, summe esset necessarium, aliquot  
ex utraq; parte pios & doctos uiros adhiberi. Imo hæc in concilio  
legitimo omnium grauissima disputatio est futura.

Tertio, non displicet nobis, ut de his Illustris. Princeps Epi-  
scoporum rationes audiat, Nec nostras declarare rationes recusamus,  
copiosius & de Chrismate & Canone, si adhibebimur. Deniq; quo  
ad possibile fuerit, saluti & tranquillitati harum Ecclesiarum non de-  
erimus.

Postremo petimus, ut pro eximia sapientia uestra ipsi consi-  
deretis, in hoc negotio præcipitanter agi nihil posse, & subitas mu-  
tationes non tantum ad imperitos scandalum habere, sed piorum  
etiam & intelligentium animos his perturbari.

Hac responsione nostra uos in præsentia acquieturos consi-  
dimus.

*Tum igitur Consiliarij qui Principis nomine ad il-  
lum Conuentum ablegati fuerunt, ex ijs quæ Torgæ acta  
fuere, & ex his Cellensibus tractationibus et collationibus  
sententiæ excerpserunt quandam rituum designationem,  
de quibus postea in Conuentu prouinciali ad ordines ditio-  
nis, secundum ea quæ Torgæ hac in parte his responsa fue-  
runt, referretur.*

*Scriptum illud tale est.*

**C**VM Romani Cæsaris nostrum omnium benignissimi domini  
Maiestas, uoluntatem & sententiam suam benignissime decla-  
rante, quod in sacro Romano Imperio quietem & pacem,  
etiam

etiam in religione quantum Deus ad eam rem gratiæ concesserit, consensionem & concordiam conciliari atq; promoueri cupidus sit, ea re subiectissimis animis sumus delectari, Deo pro hac gratias agētes, & precibus nostris hanc ei commendantes, etiam nostro loco, in omnibus quibus id fieri potest, consilijs, opera & administratione nostra hanc rem cupide adiuuabimus.

Postquam uero Imperator Consulta quædam edidit, quid de religione interim dum œcumenicum liberum & Christianum concilium cogatur, fieri debeat, consulta illa cognouimus & diligenter perpendimus.

Et quantum ad doctrinam & sententiam illius Scripti de statu & conditione hominis ante & post lapsum, attinet, nulla pugna est, & illa ad talem quendam modum docenda.

Ad caput de redemptione per Christum, & quomodo iustificetur homo coram Deo, quod attinet. Item de bonis operibus ut fructibus fidei, Non accipimus aliter quæ ibi disputantur, quam per meritum, cruciatus, & mortem saluatoris & Redemptoris nostri Domini Iesu Christi, absq; ullo merito nostro prorsus gratis nos iustificari, propitium Deum, remissionem peccatorum & salutem conferri, qui nobisq; donari, & hoc nusquam apud ullam creaturam in cœlo aut terra nos uel querere debere uel reperire posse, præterquam in solo sanguine & uulneribus huius nostri unici Mediatoris & Saluatoris Iesu Christi si hoc credamus.

Talis fides erumpit & efficax est per caritatem bonorum operum erga Deum & proximum. Hæc similiter ad talem modum, & quemadmodum cum Episcopis harum regionum de hoc conuenit & decretum est, doceri debent.

## DE POTESTATE ET AVTORITATE Ecclesiæ.

**Q** Vicquid uera & Christiana Ecclesia, quæ in Spiritu sancto congregatur, in reb. ad religionem pertinentibus, decernit constituit & docet, ea doceri & in concionibus proponi debent, Sicut & quod sacræ scripturæ contrarium sit, nihil illa constituere debet aut potest.

Similiter & in adiaphoris seruari debent, quæ ueteres p̄i doctores seruarunt, & apud alteram partem in usu esse non desierunt.

## DE MINISTRIS ECCLESIAE.

**A**D præbendas in collegiis Ecclesiasticis deinceps docti homines produci & cooptari debent, qui in sacris literis tantum profecerint, ut ad Episcopalia munera administranda & curam rationem archidiaconatus, & Ecclesiasticam iurisdictionem idonei sint, & his rectè præesse possint.

Neq; per ea statuta & consuetudines, quæ in quibusdam collegialibus Ecclesiis sunt de recipiendis tantum ad Canonicatus ijs, qui qualificati appellantur, id est dignitatis alicuius prærogatiuam aut ornamentum habent, Per hæc igitur statuta piorum hominum receptio, qui ad Episcopalia munera gerenda idonei sunt ne impediantur. Præsertim cum talia statuta & consuetudines tales etiam in Pontificio iure sublatae sint & abrogatae, & experientia docuerit hac ipsa re factum esse, ut Collegia illa ociosorum & indoctorum hominum plena fierent.

Similiter Pastores etiam Ecclesiarum & administrati constituantur eiusmodi, qui docti sint, & ad uerbum docendum, & populo ut piè presint, apti sint & idonei. Et primario & cæteris Episcopis, qui Episcopale munus suum de mandato diuino administrant, & hoc ad ædificandum non ad destruendum funguntur, subijci atq; obedientiam præstare debent, cæteri uniuersi Ecclesiarum ministri, qui & à talibus Episcopis post productionem à Patronis factam, ordinari debent, illosq; Ecclesiarum ministros, ubi deliquerint, in primis sacerdotes eos qui inhoneste uiuunt, aut falsam doctrinam usurpant, puniendi ius habeant Episcopi ordinato modo, nimirum ut à muneribus suis tales remoueant & tandem etiam ut excōmunicent.

### DE BAPTISMO.

**B**aptismus infantum cum Exorcismo, contradictionibus seu Renunciatione, aduocatione & confessione *ἡ δωδεκάημερος*, qui testes Baptismi sunt, & compadres uocari solent, una cum alijs pietatis Christianæ ueteribus ceremonijs usurpari debet, atq; ita de hoc docendum.

### DE CONFIRMATIONE.

**C**onfirmatio doceri & seruari debet, in primis ut aetas adultior ab Episcopo suo, aut quibus ille hoc munus delegauerit, audiatur de fide sua, & hanc profiteatur, & quæ anadochi pro hac cum baptisarentur sponderunt, & renunciationem factam Diabolo, ut confirmet & quasi ratam faciat, atq; hoc modo per gratiam diuinam in fide confirmetur & stabiliatur, atq; simul manuum impositione & piæ preces atq; ceremoniæ usurpentur,

## DE POENITENTIA.

**P**oenitentia, Confessio & absolutio, & quæ his sunt coniuncta diligenter doceri & in sacris concionibus exponi debent. Ad populum etiam ad confessionem apud Sacerdotem faciendam, & ab hoc ut Vicario Dei absolutionem ut accipiat, hortationes præstandæ, simul & ad preces, ieiunia & Eleemosynas hortando instari debet. Neq; ad communicationem corporis & sanguinis Christi quisquam admittendus, qui non prius & confessus ad sacerdotem fuerit, & absolutionem ab hoc acceperit.

## DE SACRAMENTO

### *Altaris.*

**S**acramentum Corporis & Sanguinis Christi, sicut hætenus in his terris fieri consuevit, de institutione Christi exhiberi & accipi debet, & ut modo dictum est, nemo ad hoc admitti, nisi confessione ad Sacerdotem facta, & absolutione ab hoc accepta.

Etiam de hoc simul diligenter populus doceri & institui debet, hoc Sacramento unum nos fieri cum Christo, ut capite, & membris corporis huius, ita, ut in ipso ad omne bonum educamur & aliamur.

Item ut in communione cum sanctis crescamus & augetur, Nam & Paulus dicit: Multi nostrum unus panis sumus & unum corpus.

Moneri etiam & doceri populus debet, Qui hoc Sacramentum indigne accipit, eum sibi iudicium manducare & bibere, eaq; de causa ut à peccatis in uita desistatur, & ad ueram poenitentiam, preces faciendas, eleemosynas, temperantiam & alia quæ ad uitam Christianam pertinent, hortationibus apud hunc instandum, Nam qui uitam accipere & conseruare uult, eum causas mortis uitare oportet, & medico, qui ad omnem uirtutem & bonitatem nos inuitat, & horum exemplum à se nobis præbuit, parere, eumq; sequi.

## DE VNCTIONE.

**Q**uamquam in his terris unctio multis iam annis in usu non fuit, cum tamen in Marco & Iacobo scriptum legatur, A postolos hac usus, ut cum Iacobus scribit. Si quis inter uos ægrotauerit accersat ad se presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit ægrotum, & alleuabit eum Dominus &c. Ideo hanc unctionem post hac

ita ut Apostoli hac usi fuere usurpare liceat, & super ægroto piæ presces fiant, & sententiæ consolatoriæ ex sacris literis pronuntientur. Et populus ad talem modum de re doceatur, ut qualis sit rectè accipiatur, omniqueq; superstitio & sinistra acceptio auertatur atq; caueatur.

## DE ORDINATIONE MINISTRO- rum Ecclesie.

**E**ccliesiarum ministri in posterum à talibus Episcopis qui munere suo ita ut supra dictum est funguntur, ubi à Patronis producti fuerint, pijs Ceremonijs ordinari debent. Neq; ad Ecclesiastica munera, quisquam admittendus, nisi à Patronis ut dictum est productus, & ab Episcopis admittus fuerit, ne quis contra quam decet, ad Ecclesiastica munera se ingerat, aut non legitimo modo in hæc collocari se patiatur.

Episcopi etiam in posterum illas quæ ad speciem tantum habentur examinationes, quibus sit ut multi indocti & nequaquam idonei homines ad animarum curam & Ecclesiastica munera, cum nocente conscientiarum grauatione admittantur, tolli curabunt & omnino Episcopi ipsi assumpta opera & consilio piorum & doctorum hominum, qui simul adhibeantur, ordinandos inprimis eos qui à patronis ad munera Ecclesiastica indicantur & producuntur, seuerè & diligenter audiant atq; examinent, ut & doctrina, ingenio, uita & moribus ij esse explorentur qui apti sint & idonei ad gregem domini uerbo Dei rectè pascendum, & doctrina & exemplo ei præesse, & muneri suo satisfacere possint.

## DE MATRIMONIO.

**M**atrimonium in his terris de institutione Christi omnibus ordinibus permittendum.

## DE MISSA.

**M**issæ deinceps in his regionibus ita celebrabuntur, ut & æra increpentur, & Candelæ, Vascula, Cantiones, ornatus, & ceremoniæ abhibeantur.

Sacerdotes, & ministri horum, in ijs locis ubi ministrorum tantum est, ut hoc fieri possit, cum ulitato Ecclesijs ornatu decenter ad altare accedant.

Initio recitantes confiteor, postea accinantur.

Introitus.

Kyrie eleison,

Gloria

Gloria in excelsis Deo, Et in terra &c.

Dominus uobiscum.

Collecta.

Epistola latinè sicut & hæcenus commemorata uniuersa,  
Epistola autem cum latinè cantata est, postea Germanicè quoq; populo prælegatur.

Graduale.

Alleluia.

Sequentia, aut qui tractus appellantur, pro ratione temporis & festorum.

Euangelium latine accinatur, & populo de libro Germanicè recitetur.

Credo in unum Deum Patrem, & reliqua quæ Symbolum complectitur uniuersa eo modo quo in collegialibus Ecclesijs fieri solet.

In Parochijs ubi non sunt collegiales Ecclesiæ pro Graduali Germanicè cantiones ueteres usurpari possunt, ferijs natalicjs, *Ein Sіндеlein so lobelich*. Paschalibus, *Christ ist erstanden*. Pentecostes, *Vu bitten wir den heiligen Geist*. Et loco Symboli Germanica Pasraphralis accini potest, *Wir gleuben all an einen etc.*

Concio Euangelij.

Dominus uobiscum.

Oremus.

Offertorium.

Præfatio.

Sanctus.

Consecratio, Et

Pater noster Germanicè.

Agnus Dei.

Communio qua Sacramentum præbeatur.

Communicatio seu perceptio.

Collecta.

Benedictio.

## DE IMAGINIBVS.

**I**magines & picturæ cruciatuum Christi, & Sanctorum etiam, in templis conseruari debent, & populus docendus commonefactio- nes illas tantum esse, & his rebus ne diuinus aliquis cultus tribuatur. Non etiam ad imagines & picturas Sanctorum superstitiosi concursus fieri aut permitti debent.



DE CANTIONIBVS EC-  
clesiasticis.

**H**Oræ Canonicae, quæ Psalmos pios complectuntur in Colles-  
gialibus & Oppidorum templis ihs, in quibus ante hoc tem-  
pus in usu fuere, accinantur, de tempore, Dominica, & alijs  
festis celebribus.

Ita etiam ueteres usitatæ cantiones de tempore & Festis præ-  
cipuis retineantur.

Cantiones in sepulturis & post has, si qui sunt qui expetunt,  
usurpentur, ad memoriam mortuorum & promissæ nobis & certæ  
resurrectionis.

DE FERIIIS.

*Feriarum Catalogus hic esto.*

- Dies Dominicæ.
- Natiuitatis Domini.
- S. Stephani.
- S. Ioannis Euangelistæ.
- Circumcisionis Domini.
- Epiphaniæ seu trium Regum.
- Pascatis cum biduo sequente.
- Ascensionis Domini.
- Pentecostes cum biduo sequenti.
- Corporis Christi.
- Festa uirginis Mariæ.
- Apostolorum.
- S. Iohannis Baptistæ.
- S. Mariæ Magdalenæ.
- S. Michaelis & alia quædam festa quibus ecclesiasticæ tan-  
tum feriæ seruantur, concionando, missam & cõmu-  
nionem celebrando, qualia sunt :
- Conuersionis Pauli.
- Decollationis Iohannis.
- Quarta } dies in Hebdomade pascatis diē præcedente.
- Quinta }
- Sexta }

DE CARNIUM ESV.

Quinta

**Q**uinta & sexta die Hebdomados, in ieiunio etiam Quadragesima, à carnibus abstineatur, & hæc ut politica constitutio ad mandatum Cæsareæ Maiestatis seruetur, ij tamen ne obligentur quos necessitas excusat quales sunt operarij graues, peregrinatores, grauidæ, puerperæ, ægrotantes, ætas senilis & puerilis,

## DE VITA ET MORIBVS Ministrorum Ecclesiæ.

**H**onestum & consultum existimatur, ut Pastores Ecclesiarum, & administri, tam in cultu quam uita & moribus, sicut Sacerdotes decet & honeste se gerant, Atq; inter se ipsi assumpta opera & consilio Episcoporum aut Consistoriorum & constituant, & quæ statuta fuerint præstari curent, ut in cultu inter Ecclesiæ ministros & politicos ordines discerni, & sacerdotum ordini reuerentia debita, sicut par est, præstari possit. Et obseruare singuli pastores suos Concionatores & Ecclesiæ ministros debent, Etiam ad doctrinam horum & uitam attendere, & si quid desiderauerint, Episcopo aut consistorio significare, à quibus quod à recto recedit, ut tollatur curari debet.

*Hæc ad hunc modum à Consiliarijs perscripta actionum vniuersarum notatio, seruat ordinem capitum qui est in libro Cæsaris, etiam uerba huius alicubi, quæ res, Flacianæ infamationi causam præbuit, ut de quibus in his scribitur Lipsicum INTERIM cognominaret, nam in conuentu Lipsensi ut infrà cognoscetur de his ad regionum harum ordines relatum fuit. Sed hanc omnem actionem ideò susceptam diximus, ut ex Theologis disceretur in quibus & quantum concedi posset ad extremum, quorum sententia cognita, ex hac ad ordines Conuentu habito referretur, ut, ubi ordines de Theologorum sententia constituisent, responsio tandem ad Cæsarem expediretur. Itaq; ut ordine de singulis Cæsari & explicatè*

explicatè responderetur, quid nostræ Ecclesiæ admittere,  
quid non possent, seriem capitum in libro Cæsaris sequi hu-  
ius scripti autoribus libuit. Etsi autem vbi à supra exposi-  
tis Theologorum formulis recessum fuerit ante oculos  
est, Tamen hoc etiam conclusionis scriptum à Theologis  
cum his offerretur admissum, cum illis tamen singulorum  
rituum declarationibus, quas ipsi præmisissent, à quibus  
etiam suam non discrepare sententiam, Consiliarij volue-  
runt sicut collatio ostendit. Ita tamen vt loco eorum quæ  
de Iustificatione & bonis operibus perscripta fuissent, po-  
neretur formula scripti eius, de quo hac in parte conue-  
nisset in tractationibus Peganiensibus. Etsi postea cum  
in Conuentu Lipsensi de his decretis ad ordines conuoca-  
tos, referretur, & proæmiolum his nouum præpositum,  
& conclusio peculiaris addita est, reliqua vniuersa quod  
ad sententiam attinet, verba etiam eadem, vix quatuor  
aut quinque mutatis, retenta sunt, de quibus ex actis Con-  
uentus illius infrà cognoscetur. Quæ igitur à Theologis  
concessa sint, ea in his Cellensibus actionibus comprehen-  
duntur vniuersa, neq; enim præter hæc quicquam à Theo-  
logis amplius deinceps vel postulatum vel concessum fuit,  
sed de ijs quæ hæctenus perscripta sunt explicationes tam-  
tum editæ quærentibus, non etiam nulla castigatius &  
planius exposita in sequentibus deprehenduntur. Quæ  
verò à Flacio & Flacianis in his accusata,  
notata, & calumnijs deprauata fue-  
rint, de ijs alibi dicetur.

Inter-

# IVTERPOCENSIA.

**P**ost Cellenses actiones eas, quas exposuimus Princ.  
Elect. Mauricius Conuentum indixit, qui Lipsiæ ha-  
beretur, in quo de ijs quæ Cellæ Mysorum deliberata essent  
ad ordines referretur (vt statim iam post hæc Interpocen-  
sia exponetur) Ante cuius diem res & tempora ita tulere,  
vt cum vicino Electore Brandenburgensi conferre de qui-  
busdam necesse haberet, Itaq; conuenerunt Interpoci ambo  
Electores 16. Decembris, & Episcopus Neuburgensis,  
Sed Princeps Elector Maur. euocauit ad se eodem Prin-  
cipem Georg. Anhaltinum, & c. ex Academia autem  
nostra D. Philippum Melanthonem, Ex Lipsica D. Pfef-  
fingerum & Ioach. Camerarium, & præter hos Superin-  
tendentem Dresdensem Danielem Gresserum. Ibi cum  
ambo Principes cum Episcopo Neuburgensi & Consilia-  
rijs peculiariter & soli inter se consultassent neq; quisquam  
ex Theologis ad ulla in eo Conuentu Principum delibera-  
tiones adhiberetur: Postea à Principe Anhaltino & ijs  
quos nominauimus, de Canone quæsitum est, qualis hic es-  
set, & an ita corrigi posset vt tollerabilis aliquis vsus huius  
fieret. Quod meminissent aut qui istuc euocati fuerant, in  
Cellensibus tractationibus promisisse se de Canone &  
Ebrismate, si id postularetur explicationem copiosiore,  
Ideo quod de Canone tum quæsitum iri existimarent, ad  
eam rem se præparabant, & de Canone rationes suas scri-  
pto comprehendebant, cumq; interrogati de emendatione  
huius

buius, ut diximus, non posse aliquam suscipi dicerent,  
& de hoc se rationes suas copiosius explicatu-  
ros recipe-  
rent, nihil postea de hoc aut alia re vlla ad Theologos  
actum, tum quidem, amplius. Ut cognoscatur tamen quæ  
nostrorum de Canone rationes fuerint, scriptum quod in illo  
Conuentu à Theologis ad hunc usum compositum  
fuit, subieciimus.

REFUTATIO ET EXPLICATIO SO-  
phismatum recentiorum, quibus priuatarum Missa-  
rum, & Canonis blasphemix idola-  
tricæ pinguntur.

**I**ngens multitudo Sacerdotum in toto orbe Christiano omnibus  
ferè seculis ueteribus & recentibus Ceremonias Missæ seruauit,  
neq; cogitans neq; intelligens quid ageret, sed propter consuetu-  
dinem illa præscripta fecit, sicut pueri recitant dictata, sicut in suis sa-  
crificijs fecerunt Sacerdotes, Leuitici & Ethnici. Cumq; talis plerunq;  
sit & fuerit & futura sit multitudo, facile intelligi potest, sæpe magnam  
multitudinem in loco ordinario in Ecclesia magnis erroribus & pecc-  
catis pollutam esse. Nec excusanda est multiitudo prætextu huius  
dicti, Ecclesia non errat, Aliqui uerò docti, sed tamen superstitioni  
missam cogitarunt esse sacrificium pro peccato, meriti facienti & alijs  
remissionem. Et sic multi docuerunt & cumularunt errores. Extant  
enim libri præcipuorum scriptorum Thomæ, Scoti & aliorum, qui tes-  
tantur hanc fuisse doctrinam ordinariam temporum multorum,  
Imò sic multæ præcationes & Canonis uerba loquuntur. Tantæ tes-  
nebræ cum essent, & multi tamen uentris & quæstus causa sacrificia  
rent, mota mentione abusuum Ecclesiasticorum etiam de hac profan-  
natione Coenæ dici necesse fuit, præsertim cum extet manifesta com-  
minatio, Qui indignè sumit, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Primum igitur Ethnica inscitia & negligentia taxata est maxis-  
mæ multitudinis, quæ nec curat, nec scit, nec cogitat, quid agat. Quid  
est

est enim indignius, quam adferre tantam negligentiam ad illud mirandum opus, quod uoluit Filius Dei pignus esse suæ præsentiae & suorum beneficiorum.

Deinde euidenter ostensum est, hoc opus non esse sacrificium pro peccato, hoc est, non mereri remissionem peccatorum facientis aut alijs. Quia tale sacrificium est unicum, obedientia filij Dei in passione sua tota & morte, sicut scriptum est: Vnica oblatione consummavit Sanctos.

Hæc sententia adeo euidenter uera est, ut omnes non profani & mediocriter instituti assentiantur. Et liber Augustianus manifestè hanc sententiam recipit. Quare fatendum est latè grassari posse, errores in Ecclesia, cum hæc persuasio, quæ uelut Idolum est, tam diu in magna parte hominum hæserit.

Sed non satis fuit abusus taxare, addi doctrinam & de uero usu necesse fuit.

Et hanc fideliter addidimus, secuti sumus narrationes in Euangelij & antiquæ Ecclesiæ consuetudinem. Manifestum est institutum esse distributionem & sumptionem, & cum sumptio sit Sacramentum, necessario facienda est ad hunc finem principaliter, sicut de Sacramentorum usu in adultis uniuersaliter sentit Ecclesia.

Mens fumentis intuens in hanc sumptionem moueatur, ut credat se recipi propter filium Dei & membrum fieri filij Dei, quia hoc testimonio ostendit filius Dei nos sibi adiungi tanquam membra & nos ablati suo sanguine.

Non meretur tunc sumptio remissionem, nec prodest ipsa sumptio sine fide, & ut loquuntur ex opere operato, Sed multò ante Sacrificium factum est ab ipso filio Dei, quod merebatur remissionem. Nunc testimonium exhibet in hoc ritu sicut & in uoce Euangelij aut in absolutione, quod credens recipi propter sacrificium antea à filio Dei factum, uere recipiaris & uere sis membrum. Et hanc sumptionem uult crebro fieri, ut sæpe commonefacti firmiter statuamus nos esse membra filij Dei.

Hoc modo fit applicatio promissionum propria fide, & consolatio est piæ menti gratissima, in qua consolatione simul Spiritus sanctus in corde est efficax, & accendit nos ut firmiter statuamus nos exaudiri & ardentius inuocemus, &c.

Quod autem ad hunc finem principaliter instituta sit sumptio, manifestum est ex uerbis, quæ iubent sumere, & simul admonent nos de remissione peccatorum, & nobis exhiberi seu applicari beneficia filij Dei testantur, hic est Sanguis noui Testamenti, qui pro uobis

uobis effunditur. In Testamento nobis exhibentur bona. Et quidem institutio pariter pro tota Ecclesia facta est. Idem fructus est ministri fumentis & aliorum.

Accedunt autem ad hunc principalem finem alij, Inuocatio, Gratiarum actio, Confessio. Nam hoc facto in publico coetu ostendis te esse socium huius Ecclesiae, approbare hanc doctrinam, & eundem Deum inuocare. Ipsi etiam fumentes intelligant foedus inter sese fieri & se obligari ad mutuam dilectionem, quia sunt eiusdem corporis membra.

Concurrunt ergo haec opera omnia, concio de beneficijs filij Dei, Consecratio continens recitationem uerborum Euangelij, quibus Coena instituitur, distributio & sumptio corporis & sanguinis Domini, Inuocatio seu oratio ad Deum, petens remissionem propter sacrificium proprium filij Dei, Fides applicans, Gratiarum actio, in qua mens laeta & accedens ad Deum inuocat eum, subiicit se ei, & celebrat eum uoce, confessione & moribus. Hoc modo de pie fumentibus loquitur Cypri, Pietas inter data & condonata se diuidens gratias agit, tam uberis beneficij largitori, Id est, pietas intuetur data & condonata, hoc est, confert inter se magnitudinem beneficiorum Dei, & magnitudinem nostrorum malorum mortis & peccati, & agit gratias.

Haec opera omnia collectiue uocat antiquitas sacrificium seu oblationem. Et quidem non intelligunt sacrificium pro peccato, sed ut nunc aliqui loquuntur, sacrificium commemoratiuum seu sacrificium laudis, Id est opus, in quo Deo tribuimus honorem proprium diuinitati, quo testamur, hunc esse Deum, quem sic colimus. Nam haec est uera definitio sacrificij in genere. Et quanquam Scriptores ueteres saepe improprie loquuntur, tamen constat eos plerumque totam actionem nominare sacrificium.

Ita monstratus est uerus usus coenae Domini, & in concionibus doctrina de uero usu Sacramenti & de Sacrificio saepe repetitur, ut auditores non solum intelligant, quid ibi agendum sit, sed etiam recte & pie utantur Sacramento, id est, petant ibi consolationem in uera poenitentia, & sibi applicent fide beneficia Christi, ac simul sacrificent, hoc est, inuocent & agant gratias.

Horum operum Sacerdos est inchoator *ὁ ἱερεὺς*, Nomine uniuersae Ecclesiae agit gratias Deo, quod miserit filium & mirandum decretum de redemptione patefecerit &c. Postea & bona petit propter filium nomine Ecclesiae. Et populus audiens hanc publicam gratiarum actionem & petitionem adiungit sua uota. Haec sunt conuenientius, quam in Latino aut Graeco Canone, ubi praecipua pars

pars precum consumitur in hac impia & blasphema petitione, ut miserius offerat. Imo petitur etiam ut hæc oblatio sit accepta quasi sacerdos petat pro filio Dei. Item multa miscentur de sacrificio pro peccato. Item uix tenuiter aguntur gratiæ pro principali beneficio scilicet quod miserit filium. Et profecto Canones illi satis confusas & ieiunas recitationes continent, ut postea dicitur.

Cum igitur in nostris Ecclesijs omnia fiant in cœna Domini uera reuerentia, quæ sunt expressa in uerbis Euangelij, & quæ sunt de substantia Sacramenti & sacrificij, nec taxanda est consuetudo nostra nec debet mutari.

Sed hæc quæ hactenus recensuimus nequaquam satisfaciunt aduersarijs, qui clamant nos horribili impietate mutilare diuinum ritum. Principalem partem operis omitti dicunt, *ωσφρα* inquit facitis, *εργον* omittitis.

Tollitis ex Ecclesia Dei iuge sacrificium, de populi communi loquimini non de proprio Sacerdotis opere, quod quidem est principalius, uidelicet, quod Sacerdos dicit, offerimus pro alijs. Hanc oblationem in qua applicari alijs merita filij Dei per Sacerdotis opus dicunt, adeo necessariam esse Ecclesiæ contendunt, ut sine ea negent populo prodesse passionem Christi.

Etsi autem duæ quæstiones sunt, altera de oblatione simpliciter, offerimus tibi filium: altera de applicatione: tamen hæc posterior de applicatione, nunc præcipuus est controuersiæ status, quia quærunr sacrificium alijs profuturum seu applicandum. Et Canon dicit offerimus pro alijs.

Olim docuerunt Missam mereri remissionem alijs etiam nihil agentibus. Id cum nimis absurdum sit, detrahunt Missam hanc personam, & induunt aliam priori uicinam, Sed quæ minus agnosci potest. Fit igitur hæc disputatio obscurior. Sed teneant pij firma & perspicua fundamenta hæc.

Vnica oblatione filius Dei consummauit sanctos, Et ea oblatio applicatur singulis propria fide & usu Sacramentorum.

Hæc manifesta sunt, iam si addunt. Sed non prodest Christi sacrificium, nisi applicet Sacerdos hac oblatione. Quid hoc aliud est, quam præter illud Christi sacrificium & hæc sacrificia Sacerdotum necessaria esse nec unâ oblatione sanctificari electos.

Secundò sumptio singulorum instituta est, ut fide sua quisque sibi applicet. Non igitur applicat Sacerdotis oblatio. Quid est enim propria sumptione opus, si applicatio sit alieno opere?

Tertiò nihil addendum est uel detrahendum testamento filij



Dei. Nulla sit autem mentio & oblationis uel applicationis in ipso Testamento ac potius contrarium præcipitur. Quia ita uult nos membra fieri cum ipsi sumimus. Non est igitur principalis pars huius ritus hæc applicatio, quam in oblatione fieri dicunt. Nam dicere principalem partem non esse institutam expresso uerbo, & tamen de  $\pi\alpha\rho\rho\epsilon\gamma\omega$  tradi expressum uerbum, quanta erit absurditas? Retineamus igitur, quod institutum est, fiat applicatio, sed propria fide & propria sumptione, ut ratio sacramentorum docet. Remoueat opinio, sacrificium filij Dei inane esse, nisi simul accedant sacrificia Sacerdotum. Ne quidem Leuitica sacrificia hac opinione facienda erant, Sed erant, ut postea dicam, signa docentia bonos & malos. Interea per commune facti his signis, applicabant sibi promissiones propria fide & utebantur his spectaculis tanquam Sacramentis.

Quarto certissimum est in nouo Testamento, nullam ceremoniam esse sacrificium, ut uulgo loquuntur ex opere operato. Nam expresse dictum est. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & ueritate. Ac ne quidem Leuitica sacrificia uerè erant Sacrificia tantum ex opere operato. Et tamen cur fieri oportuerit à bonis & malis postea dicitur. Non igitur ceremonia oblationis sacrificium est. Quare nec applicat alijs merita Christi. Nec ueteres scriptores, Irenæus & Augustinus cum oblationem nominant, de applicatione eam intelligunt. Imo & Canon Græcus non applicationem, sed gratiarum actionem intelligit, cum oblationis mentionem facit.

Et considera quid sequatur, Si opus Sacerdotis applicat, Distrahitur fiducia in hæc duo in oblationem à filio Dei factam & in Sacerdotis Sacrificium.

Nunc argumenta consideremus, quæ uidentur nobis aduersari.

Omnibus ætatibus inde usque ab Abel fuit Sacerdotium certum & eius Sacerdotij certum Sacrificium. Sint igitur & nunc certum Sacerdotium & certum sacrificium.

Etsi scimus discerni hic tempora tamen seposita paulisper hac explicatione quid fuerint Typi, Respondemus, Verum esse totum argumentum dextre intellectum. Est enim unicum Sacerdotium perpetuum, & sunt in eo Sacrificia uera, non typica, unius modi, & Sacramentorum usus similis, etiam si picturæ in ipsis Sacramentis differunt. Summus Sacerdos semper est filius Dei, Cæteri Sacerdotes quolibet tempore sunt Doctores Euangelij & custodes Ceremoniarum, ut singulis temporibus ordinatæ sunt & uera Sacrificia offerunt cum Ecclesia, Inuocationem, Fidem, Gratiarum actionem, Dilectionem

nem, Confessionem & omnes uirtutes. Hæc conueniunt omnibus ætatibus. Sed quælibet ætas uideat, quomodo & ad quem finem Ceremoniæ institutæ sunt.

Ceremoniæ Leuiticæ, quia Deus politicam illam uoluit discerni ab alijs gentibus, Seruandæ erant à bonis & malis. Erant enim res politicæ, etli typi & signa erant docendi causa & propter professionem instituta. Nec erant meritum aut applicatio beneficiorum Melsiæ per sese, Sed quia in eo populo erat cura Ecclesiæ Dei, pij commos nefacti illis spectaculis fide sibi promissâ beneficia Melsiæ applicabant. Ita isti Ceremonijs utebantur, ut nos Sacramentis, id est, promissionum testimonijs, quæ exuscitare fidem debent.

Nostræ uerò Ceremoniæ non sunt à bonis & à malis faciendæ, Sed uidendum quomodo sint ordinatæ. Cœnam legimus institutam esse, in qua fide propria & sumptione singuli sibi applicare beneficia filij Dei debent. Non legimus institutam applicationem alieno opere faciendam. Et ut dixi ne quidem Leuiticæ Ceremoniæ erant meritum aut applicatio beneficij Melsiæ per sese.

Et sciunt omnes rectè instituti in doctrina Ecclesiæ prudenter de ceremonijs iudicandum esse, ne deprauentur falsis opinionibus. Et κακοζηλίου ceremoniarum Moyse multos deceperunt.

De Historia Melchisedek respondemus, etiamsi conuiujs um illud typus esset cœnæ Domini, tamen inde non sequi in hoc ritu meritum, ut hic applicationem seu oblationem pro alijs fieri oportere, Sed prior est imago distributioni seu sumptioni, præsertim cum in textu non sit uerbum offerendi, Sed protulit seu proposuit panem & uinum uti conuiujs.

Arbitramur & alios typos ad hanc sacratissimam cœnam accommodari posse, ut adest filius Dei in cœna Abrahamæ, ita huic cœnæ adest, & quidem nos efficit membra sua. Notum est autem prudenter faciendas esse tales accommodationes, ne quid ex typo extruatur, quod sit alienum à re significata.

Erat Melchisedeck uerus Ecclesiæ Dei pastor, & ueros cultus intelligebat, qui etiamsi aliquo ritu gratias agebat, tamen id opus sciebat non mereri alijs remissionem, nec esse applicationem pro alijs, Sed esse gratiarum actionem & confessionem, qua ipse declarabat se eundem uerum Deum inuocare & colere, quem inuocabat & colebat Abraham. Hi fines in Sacrificijs, Inuocatio fide ardens, Gratiarum actio, Confessio uerum Deum monstrans aspiciantur, Et aggregatio ad Ecclesiam,

Remouetur

Remoueat opinionio gestum esse meritum, aut applicationem pro alijs, sed fide sibi quisq; applicet promissiones. Dolendum est autem in mentione sacerdotij Melchisedek de pane & uino tam multa dici, omitti uero principale officium Sacerdotij, quod in textu recensetur, & in Epistola ad Ebraeos illustratur, uidelicet benedictionem. Ideo filius Dei est Sacerdos secundum ordinem Melchisedek, non secundum ordinem Leui, quia benedicit, sonat uocem reconciliationis diuinæ, & reddit iusticiam & uitam, Et in Sacerdotio noui Testamenti hæc benedictio annunciat & distribuitur, & summus Sacerdos ipse est efficax, Semper aliquem coetum sua potentia seruat & colligit, & in hoc coetu tuetur ministerium Euangelij, reddit iusticiam & uitam æternam ijs, qui conuertuntur ad Deum, & ab his uult agnoscere doctrinam uel omittitur uel corrumpitur, cum laudes Ceremoniarum typi cumulantur, sine doctrina de uero usu Sacramenti.

De Malachia cauillationem Sidonij mirati sumus, qui ait: Non posse dictum Malachiae de Sacrificijs cordis intelligi, quia tunc quoq; in omnibus gentibus offerebantur, sed de noua Ceremonia nondum nota gentibus. Hoc Sophisma indignum est huius causae magnitudine. Loquitur Malachias de Ecclesia colligenda ex gentibus, ut loqui solent Prophetæ, de futura gentium uocatione, & completiatur uocem Euangelij ueram inuocationem & alios cultus, Hinc non potest effici oblationem in hoc ritu pro alijs applicandam esse.

In primis uero plausibile est, quod de iugi sacrificio obijciunt. Fuit iuge Sacrificium in lege, ut esset quotidiani ministerij neruus, Sic igitur nunc quoq; tale Sacrificium. Respondemus. Non dubium esse, quin iugi sacrificio uere & principaliter significetur proprium filij Dei sacrificium, Agnus crematus typus fuit mortis Filij Dei, Liba & uini effusio typus erant Euangelij & distributionis. Et uerum est in Ecclesia omnium temporum unicum esse iuge Sacrificium, quod uere fuit precium pro nobis, scilicet sacrificium proprium filij Dei, quod significatur sacrificijs quorumcumq; temporum. Nec tamen displicet nobis typum accommodare, & hanc totam actionem in coena Domini. Nam & ritus ipse est neruus publici ministerij, & oportet ibi fieri reconciliationem, hoc est, doceri Ecclesiam, & fieri ueram inuocationem & gratiarum actionem, confessionem. Et fit applicatio propria cuiusq; fide & sumptione, Hæc omnia sint sane iuge sacrificium in Ecclesia, sed ita, ne proprium sacrificium filij Dei obscuretur. Nec nos abolemus hoc iuge sacrificium, Sed illustramus & retinemus, Aduersarij uero & corruerunt antea & nunc abolent, Primum quia doctrinam

nam de fide deleuerunt & delent, multas falsas & Pharisaicas opinio-  
nes in Ecclesiam inuexerunt & adhuc stabiliunt, defendunt quaedam  
manifesta Idola, Sacrificium uerò quæstus causa, & cœnam Domini  
ad mortuos transferunt. Nunc etiam palam uastitatem in Ecclesijs  
nostris faciunt, expellunt Pastores, ut iam in multis locis prorsus sit si-  
lentium in templis, & nullæ sint ceremoniæ. Hanc uastationem res  
ipsa ostendit, similem esse barbaricæ uastationi, quam in templo Ier-  
osolymorum fecit Antiochus.

Reliquum est ut dicamus de oblatione uidelicet de hac pro-  
positione: Offerimus tibi Filium, uel ut nunc loquuntur, sistimus  
tibi Filium. Nondum audiuimus quomodo hanc Phrasin interpre-  
tentur. Sed si remota applicatione, sic intelligunt, offerimus tibi Fili-  
um, id est, oramus te æternæ Patris, propter Filium, non accensentur nos-  
træ Ecclesiæ, quia & nos in hac tota actione mediatorem & Pontifi-  
cem nostrum stantem coram Patre, & pro nobis deprecantem inuo-  
camus & celebramus, & quidem his uerbis utimur, Oramus æternum  
Patrem, ut propter Filium quem Mediatorem constituit, nos recipiat.  
Oramus te fili Dei Domine Iesu Christe, qui es λόγος & imago  
æterni Patris, & natus ex Maria uirgine, ac sedes ad dexteram æterni  
Patris, & mediator constitutus es, miserere nostri, & intercede pro nobis  
apud æternum Patrem tuum, & sanctifica nos Spiritu sancto tuo &c.

Definitio igitur quærenda est in hac Phrasi, Offerimus tibi Fi-  
lium. Nam Ecclesia nequaq; offert eum, sicut ipse sese obtulit, ut Epis-  
tola ad Ebraeos loquitur, Filius seipsum obtulit Patri, ingrediens in  
sancta Sanctorum. Nouit Filius pectus Patris, scit iram aduersus pec-  
catum, scit mirandum decretum de reconciliatione & causas intelligit.  
Hæc coram uidere, est ingredi in sancta Sanctorum, Deinde & in sese  
deriuat iram æterni Patris, & se subiicit eius uoluntati, ut iusticiæ diu-  
inæ satisfiat. Hæc subiectio est sese offerre, ut in Psalmo scriptum est:  
In Capite libri scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam. Ipsius  
igitur Filij proprium fuit, sese in passione offerre. Nos tantum fiducia  
huius uictimæ petimus, ut propter eam recipiamur & exaudiamur.

Eodem modo de uerbo sistendi dicimus, Filius Dei solus in-  
greditur in sancta Sanctorum, id est, uidet arcanum consilium Patris,  
cum hoc deliberat Pater, hunc audit deprecantem. Nec ulla creatura  
adducit eum ad Patrem, Quare illi qui nunc dicunt, Se filium Dei sis-  
tere coram Patre, quid uelint dicere interpretentur.

Græcus Canon uerecundior fuit, qui correctionem addit. Tu es  
πρὸς πατέρα ἡμεῶν πρὸς πατέρα ἡμεῶν, quasi dicat: Tuæ Maiestatis est in-  
gredi

gredi in sancta Sanctorum. Tu cernis uoluntatem æterni Patris, & es summus Sacerdos & deprecator pro nobis in illo arcano consilio.

Præterea qui dicunt oblationem, non quidem mereri remissionem peccatorum, sed alia multa bona, Rursum faciunt Missam ualde uendibilem, Et non rectè transferunt eam à sine proprio ad alios nos. Si quis diceret Baptismum ualere ad Leporam tollendam, depræuaret Baptismum mutato sine. Ita huius actionis proprius finis est commonefacere nos de Testamento filij Dei, & promissione Euangelij propria, & de remissione peccatorum, ut fide erecti firmiter stantiam nos recipi, fieri membra, abluui sanguine filij Dei, inuocemus & agamus gratias Deo. Nec adfingendi sunt alij fines, quod hoc opus sit meritum profuturum in mercatu aut nauigatione.

Retinemus igitur uerum Sacramenti usum, & ueros fines, & applicationem faciendam esse propria fide & sumptione docemus. Et accedit sacrificij ratio, ut dictum est, quia hic sit inuocatio, gratiarum actio, confessio. Et sic sensisse ueteres eruditiores adparet, qui alias ut de Sacramento, alias ut de Sacrificio loquuntur. Verba in Canone Græco & Latino de sumptione, loquuntur de hac actione, ut de Sacramento, deinde de gratiarum actione, ut de sacrificio.

Synodus Nycena, ut de Sacramento loquitur. Ait enim nobis esse testimonium resurrectionis, quia efficiamur membra resuscitati filij Dei. Eodem modo loquitur Irenæus. Et Epiphanius: Virtus in pane est ad uiuificationem per fidem & spem.

Hæc describunt usum, qui proprius est Sacramenti, Alibi uerò, ut de Sacrificio dicitur, ut Augustinus. In ueteribus figuratio fuit. In hoc Sacrificio gratiarum actio & commemoratio est. Ac manifestissimum est ueteres eruditiores non hoc uoluisse, mereri hunc ritum alijs remissionem, aut opus ipsum applicationem esse pro alijs, nec prodesse Sacrificium proprium filij Dei, sine hoc opere Sacerdotis, Et hoc opus Sacerdotis fieri oportere & necessarium esse Ecclesiæ, etiam si nulli adsint communicantes & crebrò iterandum esse, ut multa bona mereatur Ecclesiæ. Etsi credibile est sic multos semper sensisse, ut hærent, tamen pios & eruditos rectè intellexisse usum Sacramenti adparet, & Sacrificium intellexisse gratiarum actionem, ut & Canon Græcus inquit, Offerimus hanc λογικὴν θυσίαν pro Prophetis, Apostolis &c. Ac profecto optaremus in hac controuersia audiri suffragationem eruditæ antiquitatis, non recentum, qui persuasiones à populo acceptas quoquo modo recitant,

Quod

Quod igitur aliqui dicunt, se consensum Catholicæ Ecclesiæ nobis opponere, His respondemus, nos nequaquam dissentire ab eruditionibus patribus, & retinere in Ecclesijs ea, quæ ad substantiam huius ritus pertinent, Sed accesserunt persuasiones aliæ populi, quæ postea uel superstitione, uel propter quæstum cumulatæ sunt.

Hic etsi magna multitudo eas mordicus retinet, tamen non sunt Catholicus consensus. Adest filius Dei operi quod instituit, uides licet, ut fiat distributio. De alijs operibus & quidem diuersis quid dici poterit, uidelicet, Si cultus instituantur humano consilio. Hæc modestè recitauimus, non ut certamina augeamus, sed ut Ecclesias tot regionum consolemur, & excusemus & ostendamus nos retinere integrum ritum & ueram doctrinam de usu, ne turbetur earum inuocatio, sed ut bona conscientia piè utantur Sacramento, & fide non trepidante inuocent Deum, & agant gratias. Et fundamenta manifesta & firma sunt: unica oblatione consummati sunt Sancti. Item in nouo Testamento certissimum est, nullam ceremoniam seu gestum, Sacrificium esse solo gestu, seu ut uulgo loquuntur, ex opere operato, sed uera inuocatio & gratiarum actio Ecclesiæ in ipso ritu sit sacrificium Deo gratum. Hoc cum ita seruetur in Ecclesijs nostris, oramus ne turbentur.

De Canone constat duas partes in eo præcipue reprehendi, quæ Canonis propriæ sunt.

Primum hanc, quod toties petit, ut Deus recipiat hanc oblationem, & quasi precatur pro filio Dei, imo orat perferri ab Angelis ad Deum hanc suam oblationem.

Deinde inquit: Offerimus pro alijs. Hæc est illa applicatio, quæ taxatur, Imo & meritum confirmat. Vult esse Sacrificium pro peccato, Nam his uerbis utitur, pro redemptione animarum. Item sic Sacrificium propiciabile. Recipere igitur Canonem est confirmare opiniones de Sacrificio pro peccato, uel certè illum cultum, in quo existimatur tale opus applicatio esse.

Quod uero dicitur hæc lenienda esse interpretatione, & extare concinnam interpretationem, hic dicimus, In illo tam graui colloquio cum Deo, non turbendam esse inuocationem Sophisticis sermonibus.

In dubijs & figuratis interpretatio adhibenda est. Sed proprie & perspicue dicta aliter interpretari, est simile protestationi pugnantis cum facto, & est seipsum accusare, aut probare contradictoria.

Præterea mollior illa interpretatio quo usq; procedit, etsi fateatur, hoc opus non mereri remissionem peccatorum, tamen alia absurda retinet.

CONVENTVS LIP  
SENSIS SECVNDVS HA  
BITVS MENSE DECEMBRI  
ANNO 1548.

**D**E quo actum & deliberatum iam per semestre fuisse  
haectenus descripta docent : à Conuentu nimirum  
Misiensi vsq; ad hoc tempus , vt constitueretur de respon-  
sione ad Caesarem de libro INTERIM, id hoc primum  
Conuentu Lipsensi, qui tertius hac de re institutus fuit, per-  
fectum est, Cum neq; tempus neq; ulla rationes alleuationem  
aut mitigationem afferrent , aut harum consultationum  
necessitatem auerterent, frustra conante Principe Electro-  
re Mauricio, & suscipiente omnia, quæ à pietate Christiana  
& humana sapientia ad consulendum tam difficilibus  
rebus suscipi possent. Fuerunt ad hunc conuocati ordines  
vniuersi, etiam Episcopi harum regionum, Misnensis &  
Neupurgensis. Ex Theologis autem ij, qui Interpoci con-  
uenerant, vnà cum Principe Georgio Anhaltino, &c. Et  
quia indictus Conuentus erat ad 22 diem Decembris, ple-  
riq; recta Interpoco Lipsiam proficiscebantur, Ibi cum so-  
licitis animis de communib. reb. religione, patria, publica ac  
priuata salute, in tanta difficultate temporum & negocio-  
rum, ea tum fierent atq; agerentur communibus consilijs à  
Principe & conuocatis, quæ nunc deinceps describentur,  
Flacius in illis miserijs publicis, cum adhuc beneficio Prin-  
cipis & Academiæ nostræ & publicis bonis harum terra-

rum vniuersis vna nobiscum frueretur (degebat enim ad-  
huc in Collegio hic nostro) Tum igitur Flacius per compli-  
ces & emissarios suos hoc egit, vt has terras & Principem  
barum, & Collegas & Præceptores suos Chamica impu-  
dentia & impietate afflictiores & miseriae redderet, &  
Ecclesias trepidantes conuelleret atq; dissiparet. Itaq; ut  
pasceret se & saginaret calamitatibus publicis, συμφοραὶ  
γὰρ ἐθνῶν ἐνωχία φαύλων δαιμόνων, & ea fecit quæ nota sunt,  
& postea quædam ex actis huius Conuentus alieno tempo-  
re, & de rebus alienis, neq; ad ipsum aut alios externos quic-  
quam pertinentibus, typis exprimenda curauit, eo studio  
eoq; consilio, quo res docet & ipse probat quotidie. Quæ  
Flacius igitur & Flaciani de his rebus suspiciosissimè &  
calumniuosissimè et scurrilitate profana scripserunt, ea cum  
nostris his editionibus conferantur, quibus quæ à Theologis  
acta fuerint optima cum fide & plenè, ac planè describun-  
tur vniuersa.

Cum de Theologorum rationibus ad ordines in Tor-  
gensi Conuentu referri non posset, ijs de causis quas supra  
exposuimus, & Cella primùm perscripta illa capita fue-  
rint, de quibus ex sententia horum ab ordinibus deliberare-  
tur, In hoc Conuentu Lipsensi id præstitum est, de quo  
Torgæ ordinibus significatum fuit, vt de Theologorum ra-  
tionibus ad hos referretur.

Primum igitur repetita fuit Torgensis ad ordines  
Principis relatio et iisdem prorsus verbis proposita, quam,  
vt post tam longum interuallum, & quasi in epilogo huius



*partis, in memoriam reuocentur Principis Mauricij actiones & consilia, hoc loco integram ex superioribus expositionibus nostris transcribendam curauimus, cum etiam propter Flacianas calumnias διαβολικωτάτας, quibus in primis huius Conuentus actiones obruuntur, talia hoc loco uti- liter repeti iudicaremus. Relatum igitur sic fuit :*

**N**Os Princeps Elector, nuper aliquot ex uobis ad secundam diem Mensis Iulij in urbem nostram Misenam literis conuocauimus, ipsiq; significauimus, quid Cæsaris, nostrum omnium benignissimi Domini, Maiestas nobis imposuerit, de quo uobiscum ageremus. Illi uero cum hanc sibi potestatem sumere noluerint, ut uestrorum uniuersorum nomine aliquid statuerent, causa nobis allata est, ut & huc uos literis conuocaremus, & uobis uniuersis illud ipsum proponeremus, quod tum illis Misenæ conuocatis de scripto recitatum fuit, hoc modo scilicet :

Non potuimus facere, quin uos præcipuos quosdam in nostris regionibus & ætate grauissimos ad nos accerferemus, ad rationes uestras, de his quæ subiecimus cognoscendum. Neq; dubitamus plerosq; uestrum memoria tenere, quod negocium sanctæ & Christianæ religionis nostræ ante hæc tempora, adhibito consilio præcipuorum in regionibus nostris egerimus, de nobis etiam meminimus, quid uobis & cæteris nostris submissæ petentibus, de nobis significauerimus & benignè receperimus, facturos nos, ut in nostra Christiana religione permanere uobis liceret, neq; ab hac ut per uim depelleremini, Quod & Imperatoris, nostrum omnium benignissimi Domini, Cæsarea Maiestas erga nos & uos de sua sententiâ similiter benignissimè declarauit. Nimirum quod nihil magis cuperet, quam ut dissidia & controuersæ in religione pacificis & amicis tractationibus, uel aliâ ijs modis & eo ordine, quo decet, & fieri fas est pie componerentur, & ad Christianum consensum & concordiam res promoueretur & reduceretur, in qua benigna uoluntate & sententiâ adhuc permaneret. Et quanq; amicis tractationibus, ab ipsa nihil hactenus esset perceptum, tamen uoluntatem aut consilium ipsius nunq; fuisse, neq; nunc esse, ut Christianam religionem & uerbum Dei (sicut aliqui de nullorum argumentorum fundamentis ipsum insimularent, & obtractando, publice spargerent) gladio seu armis deleteret, Sed quod constituisset dijudicationem & discepcionem controuersiarum in religione

religione, pro eo ut in consilio Imperij decretum esset, Oecumenico & Christiano concilio permittere, in quo ante omnia gloria Dei quaeratur, & rei Christianae in meliorem statum pia redactio, quemadmodum & in Augustana confessione similiter ad concilium prouocatio fiat. Sicut haec in Imperatoris ipsius scriptis ad nos & uos missis continentur, quorum Imperator & Rex benignissime meminerunt. Postquam autem de concilio negotium ita se dedit, ut non omnino procedat, neque si maxime procederet, tam celeriter peragi possit, hac de causa inclytæ mentionis Imperator ad ordines sacri Imperij de consultis quibusdam seu constitutione certa referri curauit, quid Interim usque ad Oecumenici & Christiani concilij dijudicationem de religione fieri debeat, & postulauit, ut pontificij in sua religione permanerent, & qui nostrae religionis professione sint coniuncti, si uel suam ad Pontificiorum conformem, uel constitutionem propositam usque ad generale concilium seruare uelint, quae omnia copiosius in scripta Imperatoris relatione exponuntur.

Ad haec significauimus Imperatori, quid nostrarum regionum ordinibus promississemus, ipsum etiam admonuimus eorum, quae illis ipsis ordinibus nostris, & ad nos scripsisset.

Sed perrexit Imperator postulare à nobis, ne illam Caesaream constitutionem de interiecto tempore recipere recusaremus, confidentes, quod reliqui Electores & Principes, qui eandem nobiscum religionem profiterentur, plerique eam recepissent, & ne quid causationum afferre, aut impedimentorum commouere uellemus.

Nos uero perstitimus in eo, nos loco & nomine regionum nostrarum ordinum nihil in nos recipere, neque contra publice editas promissiones nostras & typis expressas, quicquam facere posse. Et hoc toties ad Caesaream & Regiam quoque Maestatem, atque alios, qui hac de re nobiscum egerunt, repetiimus, ut tandem nobis Imperator hoc imposuerit & mandarit, ut cum subditis nostris agere, & operam dare uellemus, quo praescripto eorum, quae & à Caesarea Maestate ipsius, & communi ordinum Imperij consensu constituta essent (huius enim sententiae uerbis de hac re utebantur) omnino se obediētes praestare, & quae constituta essent, seruare uellent.

Quod igitur Caesarae Maestati recusare non possemus, quominus postulata ipsius ad nostros subditos referremus, Ideo uos hac de causa conuocauimus, & benigne cupimus, ut illum de interiecto tempore librum in manus sumere, perlegere & perpendere uelitis, & de responsione inter uos ad ea, quae ab Imperatore postulantur, eiusmodi constituere, qua & praecclare instructi sitis, & Imperator intelligere

telligere possit, nos & uos propensos esse ad obedientiam subiectissimè præstandam in omnibus, **QVAE AD PIAM ET CHRISTIANAM CONSENSIONEM**, quietem, pacem, & concordiam faciant, **ET PIE ET BONA CVM CONSCIENTIA** fieri possunt. Talia fuerunt de quibus Misenæ relatum est.

Cum autem à tempore Conuentus illius Misenæ habiti & Cæsarea & Regia Maiestas aliquoties nobis Principi Electori hoc imposerint, ut non tantum secundum priora mandata uobiscum agamus, sed etiam ut obtineamus, quo Cæsareæ Maiestatis rationes & consulta à uobis recipiantur cum expositione addita, quid, si recusatio usurparetur, sequi ex ea re posset. Hac de causa rem diligenter delibere uelitis, & in hoc cum uestræ ipsorum, tum communis uniuersorum regionis ordinum salutis rationem habere.

**NOS PRINCEPS ELECTOR** etiam Cæsarem de ijs, quæ ad uos scripserit, & similiter quæ nos uobis promiserimus, & publico scripto in nostris regionibus edi curauerimus, quorum optimè recordamur, subiectissimè admonuimus, neq; diligentiae operæ nostræ pepercimus.

Præcipuum caput de Iustificacione sic est conformatum, ut in nostris regionibus adhuc etiam deinceps sincerum doceri debeat.

Sacramenti autem corporis & sanguinis usus, integer in præscriptis rationibus Cæsaris permittitur.

Similiter coniugium Sacerdotum.

Tum iure nulla difficultas quæritur in ijs rebus, quæ sine lesione conscientiae & uerbi diuini seruari possunt, præsertim cum consultio Imperatoria quædam ex hoc genere sine coactione proponat.

De Carnium usu abrogando tempore quadragesimæ, quinta & sexta die hebdomados, ita cogitatum est, ut statuatur res esse ad politicæ constitutionem bonam utilis, & quæ tolerari possit.

Hæc omnia diligenter perpendere, neq; ubi necessitas non flagitat, difficultates quærere uelitis, sed uos in omnibus ijs, **QVAE PIE ET CVM BONA CONSCIENTIA** fieri possunt, obsequentes præstare. Hoc modo uestræ ipsorum salutis, etiam quieti & paci regionum nostrarum consulitur.

*Hac relatione ad hunc modum iterum facta, cum Theologorum rationes & sententiam ordines denuò expecterent, scriptum Cellense his propositum fuit, de cuius capitibus*

capitibus deliberarent & iudicia sua ederent, sed ut ad presentem tractationem res accommodaretur, initium mutatum, & in fine conclusio etiam peculiaris adiecta fuit.

Initium tale fuit:

Nostræ rationes eò diriguntur, ut Romani Cæsaris, nostrum omnium benignissimi Domini, Maiestati, legitima & debita obedientia præstetur, & ita ut agatur, ut & Maiestas ipsius & omnes in unum tertium intelligere possint, nostrum omnium animos ad quietem, pacem & concordiam propensos esse. Quod ut fiat, pro nostra fidelissimè, Etiam nostro loco, quantum omninò fieri potest, opera & hortationibus nostris hanc rem adiuuabimus. Nam quòd aliqui sine ulla probationum fundamentis de nobis loquuntur & scribunt, nostra consilia & actiones nequaquam ad ulla dissidia aut implicaciones negotiorum diriguntur, sed ad omnia illa, quæ ad ea faciunt, quorum iam mentionem fecimus. Huius rei Deum ipsam testem facimus, qui corda nouit omnium hominum, & res ipsa hoc demonstrabit atq; comprobabit. Pro his igitur nostræ rationes sic ferunt, ut censeamus, Primum omnia illa, quæ ueteres doctores seruarunt in rebus Adiaiphoris, id est, medijs illis, quæ sine uiolatione diuinæ scripturæ seruari possunt, & apud alteram partem adhuc in usu esse non desierunt, Hæc igitur deinceps etiam ut seruentur, & in his ne difficultas aut recusatio quæeratur aut prætendatur, cum talia sine læsione bonæ conscientiæ benè fieri possint. Secundò, quod ad doctrinam attinet, primum de statu & conditione hominis ante & post lapsum nulla pugna est.

## CAPVT DE IUSTIFICATIONE.

De hoc in Pegauiensibus tractationibus conuenit.

De potestate & autoritate Ecclesiæ.

**Q** Vicquid uera & Christiana Ecclesia, quæ in Spiritu Sancto &c. ut in Cellensibus. Et clausula quæ in hoc capite de Adiaiphoris legitur in Cellensibus, quæ incipit: Similiter & in Adiaiphoris seruari debet, quæ ueteres &c. ea in his Lipsensibus ad initium scripti est reiecta, quam iam exposuimus.

Reliqua usq; ad finem scripti prorsus eodem ordine & iisdem uerbis fuere perscripta, nisi quod in capite de ministris Ecclesiæ pro his uerbis, ubi in Cellensibus legitur, Cum talia statuta & consuetudines

ner tales etiam in Pontificio iure sublatae, in his igitur aliquanto explicatius & plenius ponitur in Lipsensibus. In pontificijs constitutionibus & decretalibus. Reliqua hsdem uerbis, ut diximus, in Cellensibus sunt uniuersa, usq; ad finem, qui est, a quibus quod a recto recedit ut tollatur curari debet.. Post quæ uerba, postea conclusio subiecta fuit talis.

De cæteris capitibus recipimus nos in sacris literis & ueterum Patrum scriptis diligenter quæsituros, & Episcopis nostras rationes quod significare, & de his cum ipsis conferre uelimus, & Christianum ad modum, ut inter nos conueniat operam dare. Reliqua ex Cellensibus huc assumantur.

*Hæc igitur capita Cellensia ad talem modum ordinibus proposita fuere, vnà cum capite de Iustificatione ex Peganiensibus tractationibus, Et tùm simul Theologi, qui ad Conuentum conuocati fuerant, post illam copiosam de libro Augustano iudicij sui expositionem, quam in Misnensi Conuentu ordinibus ediderunt, breuiter de libro de nudo mouerunt, & de ijs, in quibus concedi & in quibus non concedi posset, & de his ipsis propositis capitibus peculiari scripto consilium & sententiam suam aliquantò explicatius exposuerunt, quod ex Germanico conuersum subiicimus.*

Etsi nemini præscribere possumus aut uolumus, quid in hac tam ardua & graui re quisq; pro se & sua conscientia in consideratione gloriæ Dei, aut bella & uastationes auertendi studio decernere debeat, Nosq; ipsi utrumq; admodum graue esse intelligimus, uel bellum metuere, si nullum obediendi studium Cæsari præsterur, uel perturbationum causas præbere, quæ multæ existunt, si quid in Ecclesijs uel paruæ uel magnæ mutationis admittitur. Tamen cum à nobis petatur, rationes nostras indicabimus, quid à singulis seruari atq; retineri oporteat, & quibus in rebus mutationes non sint intolerandæ, si omnino aliquorum rationes sic ferunt ad pacem has & ordinem atq; disciplinam profuturas.

Et primum de præcipuo capite, nimirum quomodo remissionem peccatorum consequamur & coram Deo iusti & accepti fiamus, de hoc

de hoc igitur nihil prorsus, ne una quidem litera mutari debet doctrinæ puræ eius, quæ Dei beneficio hæctenus in Ecclesijs harum terrarum ab intelligentibus doctoribus consentientibus sententijs pro concionibus docetur, & certo est illa æterna & immutabilis veritas sancti Euangelij, qua doctrina filio Dei suus honor præstatur, & necessaria consolatio conscientijs proponitur. Hæc doctrina ita maneat immutata, cuius summa scripto quodam, de quo Pegauix conuenit, comprehensa est, & de eodem sic responsum fuit, ut doceremur Imperatoris animo talem doctrinæ Ecclesiarum nostrarum sensum & sententiam non esse contrariam. Hoc igitur si assumere libet, facilis est & expedita de hoc capite responsio.

Postea sequuntur capita de Episcoporum & Ecclesiæ autoritate, quæ singula hanc appendicem adiectam habent, quæ in libro Augustano expressa est, Episcopos & Ecclesiam nihil quod uerbo Dei contrarium sit, constituendi potestatem habere. Per se autem certa & uera res est, si Episcopi & Ecclesia nihil, quod Euangelio contrarium sit, constituat, obedientiam ei debent, & utile hoc esset rei Christianæ & bono, eos qui in ordinaria autoritate sunt, munus suum rectè administrare. Ideo de hoc capite cum tali appendice, quæ in libro expressa est, non iudicamus necesse esse ut pugnetur.

Postea de numero Sacramentorum & de Sacramentis liber cum sano intellectu similiter accipi potest. Impiæ tamen consecrationes oleorum à nobis repudiatae sunt, neque recipi possunt.

De Confessione, liber ipse mitigationem suam secum affert, & Dei beneficio confessio & privata absolutio in his terris ad hoc usq; tempus, ad pium & utilem modum conseruata sunt, neq; commodum esset hæc omitti, sicut in quibusdam regionibus & oppidis factum est, neq; ad hoc caput quod attinet, quicquam in nostris Ecclesijs nouatur.

De diuortijs conferendum cum Episcopis uel alijs, qui consistoria administrabunt.

Ordinatio Sacerdotum dependet tota de præcedente capite, quod est de Episcoporum autoritate, & pernecessaria res est de hoc cogitari, ut magna cum diligentia, sed ad pium modum, & seueris examinationibus atq; seria institutione ordinatio administraretur, quod nisi fiat, post non multos annos neq; Pastores neq; Concionatores erunt. Et hanc summe necessariam rem esse omnes intelligentes & pii facile ipsi iudicare possunt.

De Missa, De hoc submisit Imperatorem doceri oportet, in Missa nostrarum Ecclesiarum omnia substantialia, & simul usque

tas cantiones atq; lectiones, etiam ornatum, & alios ueteres ritus decenter, & cum disciplina & reuerentia Christianis digna celebrari. Cumq; manifestum sit Missam communionis causa institutam esse, & in conuentibus sacris celebrari debere, ideo priuatae Missae apud nos non usurpantur, petimus etiam, ne his oneremur, cum hae Ecclesiae Dei beneficio ita ad communionem & preces publicas à multis iam annis sint assuefactae, ut feriarum diebus nunquam desint, qui communicent. Et cum in Canone manifestae falsitatis uoces insint, ideo illae omittuntur. Sed consecratio, inuocatio, & preces per filium Dei, gratiarum actio, & commemoratio cruciatuum & mortis Christi reuerentionis & gratiae Christi, item preces pro prijs Magistratibus & alijs ordinibus ( quae omnia uera Canonis substantialia sunt ) in nostris Ecclesijs seuerè, piè & religiosè fiunt atq; praestantur.

Sanctorum inuocationes & Missae pro animabus, etiam non sunt recipiendae.

Post haec capita, constitutiones sunt de rebus medijs, ut de ferijs, cantionibus Ecclesiasticis, uestitu, cibis.

Quanquam igitur scimus uulgares has uoces esse, Nihil mutari debere, nihil concedi, nam mutationibus multi boni perturbantur, & tristitia afficiuntur, atq; inuocatio his impeditur. Item persecutores ueritatis hoc modo confirmantur. Item mutationes tales accipiuntur ita, quasi initium hae sint ad mutationes, quae fiant in rebus necessarijs & doctrina. Item mutatio ipsa per se est obscuratio doctrinae. Item abalienant hae animos hominum à concionatoribus & alijs.

Tamen censuimus de talibus rebus medijs non esse pugnandum, in primis si speretur, bellum hoc modo posse auerti. Nam doctrina de ueris Dei cultibus, nihilominus in nostris Ecclesijs conseruari debet, nimirum ueros cultus Dei esse omnes uirtutes & omnia à Deo mandata opera, non has res medias, uestem aut cibum, &c.

Et quod in usurpatione talium rerum imbecillioribus apud nos parcere debeamus, neq; hos talium rerum causa periculis exposcere, & Petrus dicit patienter ferendas afflictiones, quas opus est ferri, quando igitur propter paruas & non necessarias causas afflictiones incidunt, sit inquieta conscientia. Ideò rectius est ob necessarias, arduas & firmis fundamentis nitentes causas, afflictiones subire, quam propter leuiculas causas tales se regionem atq; incolas in miserias conuicere.

Quod si Imperatoris Maiestas talium Adiaphorum recessionem nostra acquiescet, est quòd agamus Deo gratias, sin minus, res linquitur

linquitur nobis hæc consolatio, quæ manifesta est, quod propter magnas & graues causas affligamur, quas manifestum est gloriam Dei attingere.

Præterea de quibus nos concessimus, maxima ex parte iam ante in his regionibus in usu sunt, quædam etiam ad ordinem & disciplinam faciunt, ut de Ferijs & cantionibus ipsidem constitutio, &c.

Sunt qui sentiant ad bella & uastationes auertendas, in omnibus concedendum esse, Hoc etiam fieri non potest, quia non sunt facienda mala ut eueniant bona. Quod dicunt autem Imperatorem tacimen hoc per uim ut fiat perfecturum, atq; ita plus malorum fore, quam si iam cederetur. Ad hoc uera est responsio, propterea non debere à nobis falsa approbari, neq; exulari hoc à nobis ullo modo poterit, si quæ uastationes metuuntur, earum nos ipsi autores fieremus, Episcopi ad Rhenum multarum iam Regionum parochias uastant, ita ut multis in locis neq; pastores sint neq; Ecclesiarum ministri, & populus sine usu Baptismi publico uagatur & sine Sacramentis, neq; conuentus Ecclesiasticos habet ullos, neq; conciones quas audiatur, Talis igitur poena si nos etiam manet, quod Deus benigne à nobis auertat, conscientijs nostris tolerabilius est ab alijs hoc fieri, quantumuis id durum sit futurum, quam si à nobis ipsis hoc existat. Quare quæ necessaria sunt ea retineri oportet. De cæteris, quæ Adias phora sunt, licet ut patienter acquiescatur, & institui homines debent, ne in petulantia aut contumacia, non necessarijs de causis se & alios in pericula conijciant, quæ res postea malæ conscientia causa sit futura. Satis nobis erit negocij ab alijs grauioribus causis.

Præter hæc omnia, considerandum & hoc, Imperatorem ipsum etiam aliquid à se concedere, & hanc benignitatem ipsius, qua in rebus præsentibus mitigandis utitur, non ita prorsus negligendam aut abijciendam esse. Tum semper à nobis promissimus, quantum fieri possit, nos concedere uelle & concordiam iuuare. Et uera Ecclesia omnibus temporibus in seruitute est, etiamsi alia tempora alijs sunt mitiora, ideo & hæc similia onera ut ferre discamus, opera nobis danda. Atq; hæc Adia phorum receptio externam tantum & corporis seruitutem complectitur, utinam quæ ad disciplinam facere possent, de ijs serio, sano tamen intellectu, ut constitueretur, eaq; ut seruari, tur. Saluator noster Iesus Christus filius Dei in his Ecclesijs & terris agnitionem sui & ueram inuocationem benignè conseruet & salutarem his gubernationem & pacem largiatur, per scriptum Lipsiæ 22. Decembris.



Hoc scriptum Theologi ad communem instructionem, post cætera illa, quæ in his actionibus multa hæctenus exposuimus, tanquàm auctarium quoddam Consiliarijs tradiderunt, ea die qua deliberationes in Conuentu cæptæ fuere, & capita Cellensia ordinibus proposita, vt cum his coniungi hoc oporteat.

Sed de propositis Cellensibus capitibus ordines, equester & oppidanorum, cum Theologis humaniter & placidè contulerunt, & collaudata diligentia horum, approbarunt prorsus de Iustificatione & bonis operibus capit. Item, de autoritate Ecclesiæ, de pœnitentia, de coniugio, de imaginibus, de cantionibus Ecclesiasticis, de Festis, de Carnium esu, de vita & moribus Ministrorum, de ordinatione, de Missa etiam non pugnare se professi sunt, quædam tamen in his indicatis capitibus de quibusdam monuerunt, de ordinatione in primis & Episcopis. De confirmatione verò & oleo causas indicarunt, cur omittenda censerent, ita tamen, vt si post indicationem causarum illarum, Theologi in sententia perseverarent, vt piè & bona cum conscientia, sine quò scandalo vsurpari posse iudicarent, de his etiam ne controuersia inter ipsos esset, sese perfecturos. De cæteris quid monuerint plerag ex responsione Theologorum cognosci poterunt quam subiecimus, Nam de horum tantum actionibus præsentem narrationem institui-  
mus, neq. de aliorum dictis & factis, nisi quæ res flagitat, vel hæctenus assumimus vel assumemus deinceps, qualia sunt ea, sine quorum insertionibus quid Theologi egerint,

*runt, explicari aut intelligi non potest. Responsum igitur à Theologis ad illam ordinum significationem sic fuit:*

**P**rimum narramus uobis capita proposita, non à nobis solis des libera- & composita esse, sed ab alijs pluribus Pastoribus & Concionatoribus, ideo de his nihil mutare cogitamus. Et sunt illa eiusmodi, ut recipi possint, & pleraq; non tantum scandali nihil habeant, sed instructioni utili, & exemplo bono futura uideantur. Atq; insuper pacem quæri, quantum per conscientiam licet, rectum est.

Quod autem de quibusdam Capitibus sollicitudo incidit, de ordinatione, confirmatione, unctiōe, Missa, de ijs hæc est explicatio nostra:

Primum de Ordinatione expressum est in nostro Capite de hac, Episcopos munus suum rectè administrare debere, de quo nimirum iam amplius cum Episcopis tractationes suscipiendæ serunt, Et à Dei benignitate sperandum, sicut necessitas flagitat, etiam propter posteros, futuros tales Episcopos, qui ordinatione, examinationibus, inspectione, uisitatione, & aliorum Episcopaliū munerum administratione, fidelem Ecclesiarum curam sint suscepturi. Quæ res nititur eo quod in Capitibus exponitur, ut idonei homines, & docti & pijs qui sint, ad talia munera uocentur.

Confirmatio nihil scandali habet, sed utilis potius et laudanda res est, si ad eum modum instituat, de quo sæpe scripsimus, & quo alijs quibus in locis usurpatur, ut duodecim aut quindecim annorum ætate qui sunt, audiantur, & fidem suam profiteantur. Hanc utilissimam rem esse existimamus ad disciplinam, pietatem, & auertendam falsam doctrinam & Sectas. Quod autem Chrisma oppugnat, de hoc Capite suspensa deliberatio est, & pertinet ad illam mentionem in conclusione Capitum nostrorum, ubi scribitur, De cæteris Capitibus cum Episcopis ut conferatur constitutum esse.

Sic etiam de unctiōe Caput accipi debet, quemadmodum & disertis uerbis hæc est appendix addita, ut omnia superstitiosa removeantur. Quo sensu hoc Caput nihil oneris aut difficultatis habet, & hæc sententia disertè est expressa.

Sollicitudo quæ est de Missa sine communicantibus hæc tollitur eo, quod expresse in capite de Missa, de communione & Sacramento præbendo ponitur.

De Feste

De Feflo Corporis Chrifti non eft ea fententia, ut circumgeftatio ufurpetur, fed de Sacramento & uero ufu huius, ut pro concionibus doceatur.

Etiã de Confiteor mentio non eft ita accipienda, ut quæ fit ad ad inuocationem Sanctorum, & confiteor Mariæ, & cæteros abufus confirmandos. Sed pii & intelligentes Paftores atq; Superintendentes quoquo tempore fe & alios de ijs, quæ in Ecclefijs accident & gerentur, ad pium modum inftituere fcient. Neq; enim fieri poteft, ut conftitutio aliqua fic perfcribatur, qua omnia quæ accidere & incidere poffint, exprefse noventur. Et capita propofita non funt hoc confilio conſcripta; ut quibus integra talis conftitutio comprehendere retur, fed ut breuis indicatio ea eſſet, qua ſummatim & moderate ſignificaretur quid poſſet recipi.

Itaq; permanemus in ſententia, cum intelligamus ueram doctrinam & pias Ceremonias in noſtris Eccleſijs conſeruatam iri, & ſpem eſſe, hanc moderationem ad pacem profuturam, ut illa capita ſine diſputationibus amplioribus recipiantur.

De carniũ eſu expreſſa in capite res eſt, ut politicam conſtitutionem hoc ſeruandum eſſe.

Ad ſingula autem capita quod attinet plurimum refert eſſe concionatores doctos & pios, qui quoquo tempore & in ſingulis de uera doctrina & ueris cultibus Dei populũ fideliter inſtituere poſſint.

A nobis etiam promittimus ſtudium & diligentiam noſtram adiuuante Deo, ad piam et Chriſtianam concordiam conſtituendam.

*Post hanc reſpoſionem Theologorum & explicacionem factam, ordines rursus quædam monuerunt, in primis de Episcoporum munere, ut demceps cognosceretur. Ad quæ Theologi ſecundò reſponderunt ut ſequitur :*

**D**E quibus amplius à uobis quæritur, ea accepimus & permagnemus in ſententia de Capitibus propoſitis, quæ nos non ſoli, ſed unà nobiſcum plures alij Superintendentes & Theologi & compoſuerunt & diligenter perpenderunt, idè non poſſumus illa mutare, cum ſine læſione conſcientiæ bene illa & recipi & ſeruari poſſint, abſq; quo ſi eſſet, non propoſita illa à nobis fuiſſent, ſed ab his potius ut caueretur monuiſſemus. Neque dubitamus Deum

Deum gratia sua affuturum, ut Episcopi manus suum rectè gerant, Quicquid etiam à nobis hac in re & omnibus ijs, quæ ad concensio- nem in pluribus constituendam faciant bona cum conscientia præstas- ri poterit, ad ea præstanda, pro eo ut ante de nobis recepimus, prom- pti & parati sumus.

Philippus Melanthon etiam seorsim de proposita formula interrogatus à quatuor delectis ex ordine equestri & ciuitatum Legatis, respondit, Maluisse se quidem Con- siliarios, vt in articulo Iustificationis fecerant, ita in rituum designationibus retinuisse notationes Theologorum: minus enim illæ mouissent disputationum. Sed tamen has quoq; quanquam breues admodum, à planioribus & plenio- ribus declarationibus, quas Theologi descripsissent, re ipsa non discrepare, nec sese eas, si quid impietatis inueberent, aut ab ipsorum rationibus & explicationibus dissentirent, admissuros fuisse, & apparere, non ab vno scriptas, sed de plurium collationibus ac sententijs confectas esse, & nihil continere aliud, quam admonitionem, qua quousq; ad ex- tremum concedendo in ritibus medijs disciplinæ Ecclesia- sticæ et pacis causa progredi salua conscientia liceat, osten- datur & Principi & ipsis, qui huius rei rationes exige- rent. Idcirco diserta mentione excludi & superstitiones & abusus omnes in singulis capitibus. De vnctione monuit, Lutheri verba, quanquam ipsis dehortantibus, notationi suæ quæ mitior sit, explicatio & planior, à Consiliarijs prælata esse, prorsus reiecto & condemnato impio conse- crati olei vsu. De ritibus autem obseruandis in his Eccle- sijs constituendum fore alio tempore.

Ad hunc modum cum ordines cum Theologis de pro-  
positis capitibus contulissent, postea ordines acquieuerunt,  
neque quicquam inter nos controuersiae aut dissensionis fuit,  
& Principi Electori ad ea, de quibus relatum fuerat, ita  
responderunt, ut significarent, cum magna illae res essent,  
de quibus deliberaretur, non potuisse se facere, quin prius  
Theologorum de his rationes cognoscerent, qui & ita has  
ipsis communicassent, ut & submissum Caesareae Maiestati  
obediendi studium ipsorum, & propensa voluntas ad piam  
& Christianam concordiam constituendam, intelligi po-  
tuerit, Neque se illas Theologorum rationes improbare, mo-  
do, ne abusus ulli contra scripturae veritatem introduce-  
rentur. Et se de Principe Electore subiectissimis animis  
hoc sibi persuadere, in tam ardua & graui re illum ita de-  
inceps pro his versaturum esse, ut Caesareae Maiestati sub-  
iectissima obedientia praestetur, quantum pie & cum bona  
conscientia & saluis illis praecipuis capitibus doctrine, de  
quibus iam conuenisset, fieri possit. Et de talis obedientiae  
studio suo prolixè fuerunt testati.

Quod tamen de Episcopis res potissimum haereret, in  
quo & Theologorum & ordinum concessionibus periclitata-  
rentur, cum his, ut Princeps agere vellet, petiuerunt, quo  
his Ecclesijs, ita ut necessitas flagitaret, caueretur, quod  
& in Misnensi de libro Augustano censura Theologi mo-  
nuerunt ut fieret, et postea saepe repetiuerunt, de quo Prin-  
ceps statim promisit, & in illo ipso Conuentu Lipsensi, ad  
quem & Episcopos conuocatos diximus, ut cum his age-  
retur

retur se curaturum esse, quodq; fieri posset, vt in illis cum  
Episcopis tractationibus, ordinum, ipsi rationibus opus  
esset, quas cognosceret, neq; tamen vniuersi vsq; ad finem  
tractationum in Conuentu detinendi viderentur, voluit vt  
deligerent ad eam rem aliquot, qui illis actionibus inter-  
essent, & vniuersorum nomine vbi res postularret, in me-  
dium consulerent. Sed cum deliberatione habita nemo se ad  
eam rem ex ordinibus deligi pateretur, qui in tam difficili  
negocio vniuersorum nomine statueret, Ideo ordines Prin-  
cipi illas tractationes permiserunt & commiserunt, quas  
de Theologorum consilio susciperet, & hos ad easdem ad-  
hiberet, qui his interessent. Et si ad Episcopos fortè nihil  
proficeret, vt Consistorijs & Supetintendentibus ius &  
potestas, quo haëtenus vtuntur integra conseruarentur.  
Ad quæ Princeps Elector de diligentia sua in illis tracta-  
tionibus ad eum modum, quo ordines consulerunt omnia  
procurandum, iterum promisit, cum quidem adhuc signi-  
ficaret se cupere, vt ex ordinibus delecti aliqui adhiberen-  
tur. Significauit autem tum Princeps, se de propositis  
Theologorum rationibus, quas ordines approbassent, vt  
forma constitutionis rei Ecclesiasticæ describeretur, cura-  
turum esse, quam demiceps typis expressam esset editurus,  
id quod ordines ad talem modum & his conditionibus vt  
facere vellet, petiuerunt, nimirum, vt secundum Theolo-  
gorum rationes atq; explicationes horum, & ordinum ap-  
probationem illa descriptio fieret, non aliter.

Cum Episcopis tamen, quo minus in illo Conuentu à  
Principe

Principe ageretur, quid interuenerit, aut quæ res consilium & sententiam Principis hac in parte iam declaratam & ostensam, vt docuimus, mutauerit, aut mutare eum coëgerit, nos dicere non possumus. Hoc tantum contra Flaciana mendacia significandum, cum Episcopis neq; in hoc Conuentu Lipsensi, neq; post hunc vllas tractationes à Principe aut regionum harum ordinibus susceptas, quibus ex Theologis harum terrarum quisquam interfuerit.

Et hoc Conuentu peracto à solis Theologis de ratione constituendæ disciplinæ Ecclesiasticæ, & efficiendæ in ritibus conformitatis, communicatis operis & consilijs deliberatum ac decretum, deq; hac ad Pastores harum Ecclesiarum ab ipso Principe exclusis prorsus Episcopis relatum, & exequutionem huius atq; omnem muneris Episcopalis autoritatem & potestatem, curamq; Ecclesiarum non Episcopis, sed tribus harum terrarum consistorijs, Vuittebergensi, Lipsico & Misnensi, & Ecclesiarum inspectorijs commendatam esse, sicut monuerant Theologi.

Hoc quidem factum fuit, vt cum ordines post approbata à se Cellensia capita, ea de re, more maiorum, ad Episcopos in Conuentu referrent, Tum igitur vt Episcopi responderent aliquantò durius, de quo postea & ad Principem ordines questi fuere. In illa igitur Episcoporum responsione, quæ ordinibus facta est, illa verba insuerunt, quæ Flacius & Flaciani in suis de hoc Conuentu narrationibus

nibus ita adducunt, quasi in tractationibus cum Episcopis, quibus Theologi interfuerint, per scripta sint. Sed de mendacijs suis ipsi viderint, & querant quomodo explicent. Hoc lectoribus satis sit, neq; in Conuentu hoc neq; post hunc ad vllas cum Episcopis actiones nostros Theologos, neq; ad Theologorum actiones Episcopos vsquam adhibitos fuisse, & de ijs, quæ Episcopi ordinibus responderant, ad Theologos relatum esse, planum fieri non poterit. Atq; hæc hoc modo in Conuentu Lipsensi acta esse, neq; quicquam omissum ex ijs, quæ ad Theologos & religionis negocium attineant, testes facimus vniuersos, qui deliberationibus huius interfuerunt.

Postea Princeps in charta patente typis exprimi curauit capita eorum, quæ de Adiaphoris in hoc Conuentu decreta fuerunt, qua & disertius quædam & explicatius, etiam cautius nonnulla, de ordinum admonitione & Theologorum declaratione exposita fuerunt, vt dubitationes omnes & calumniæ præciderentur, cum, vt inter eos, qui de Adiaphoris tantum conferrent, & inter quos de doctrinæ capitibus nulla controuersia esset, neq; vllius circumventionis suspicio, multa in superioribus tractationibus simplicius & incuriosius essent descripta, eam chartam Flaciani, qui facetiores haberi volunt, Lipsicum INTERIM minus appellant, vt discriminent à Cellensibus capitibus, quæ sunt his Lipsicum INTERIM maius vt diximus. Illa igitur editio talis est vt conuertimus.



EXCERPTA EX DECRETIS CON-  
uentus prouincialis proximè Lipsiæ habiti fe-  
rijs natalitijs, Anni 49.

**B**aptismus infantum cum Exorcismo, renunciatione, aduocatio-  
ne & confessione testium seu susceptorum, qui adhibentur, unâ  
cum alijs pietatis Christianæ ceremonijs doceri & usurpari  
debet.

Aetas puerilis in Catechesi Christiana diligenter institui de-  
bet, & ubi adoleuit de fide sua, quam profiteatur, audiri. Et quæ tes-  
tes Baptismi pro hac cum baptifaretur sponderunt, & renuncias-  
tionem factam Diabolo, ut confirmet, & quasi ratam faciat, atq; hoc  
modo, intercedente gratia diuina, in fide sua confirmetur, imposi-  
tione manuum & pñs precibus & ceremonijs.

Poenitentia, confessio & absolutio diligenter doceri, & in sa-  
cris concionibus exponi debet, & ad populum ad confitendum apud  
Sacerdotem, & ab hoc, ut Vicario Dei, absolutionem accipiendum,  
& simul ad preces, ieiunia & eleemosynas hortando instari debet.

Nemo etiam ad Sacramentum Corporis & Sanguinis Chris-  
ti admittatur, qui non prius & confessus ad Sacerdotem fuerit & ab-  
solutionem ab hoc acceperit.

Et de hoc simul populus diligenter doceri & institui debet, in  
hoc Sacramento Corpus & Sanguinem Christi nobis exhiberi, &  
hoc, unum nos fieri cum Iesu Christo Saluatore nostro, ut capite &  
membris Corporis huius, ita ut in ipso ad omne bonum educemur  
& alamur.

Item ut in communionem cum Sanctis crescamus & augeasca-  
mus, Multi enim unus panis sumus & unum Corpus, ut Paulus dicit.

Moneri etiam & doceri populus debet, Qui hoc Sacramen-  
tum indignè accipit, eum sibi iudicium manducare & bibere, eaq; de  
causa, ut peccatis in uita renunciatur, & ad ueram poenitentiam, pre-  
ces faciendas, eleemosynas, temperantiam, & de alijs, quæ ad uitam  
Christianam pertinent, hortationibus apud hunc iustandum.

Cum ægrotis seruare licebit ritum Apostolicum, & super  
his, ut preces Christianæ & consolatrices sententiæ ex sacris literis re-  
citantur.

Coniugium in his terris de institutione Christi ab omnibus  
ordnibus seruari debet.

Miffæ in his regionibus, æra increpando, & usurpatione can-  
delarum, uasculorum, cantionum, ornatus, & ceremoniarum cele-  
brentur.

Sacerdos & adminiftri huius, hys in locis ubi ministrorum  
tantum est, ut hoc fieri possit, eum usitato in Ecclesijs ornatu, decen-  
ter ad Altare accedant, initio Confiteor recitent, Accinenda autem

Introitus.

Kyrie eleison.

Gloria in excelsis Deo, Et in terra &c.

Dominus uobiscum.

Collecta.

Epistola latinè sicut & hæcenus commemorata uniuersa,  
Epistola autem ubi latinè cantata est, postea Germanicè quoq; po-  
pulo prælegatur.

Graduale.

Alleluia.

Sequentia, aut qui tractus appellantur, pro ratione temporis  
& festorum.

Euangelium latinè accinatur, & populo de libro Germanicè  
recitetur.

Credo in unum Deum. Patrem, & reliqua quæ Symbolum  
complectitur uniuersa eo modo quo in collegialibus Ecclesijs fieri  
solet.

In Parochijs, ubi non sunt collegiales Ecclesiæ pro Graduali  
germanicè cantiones ueteres usurpari possunt, ferijs natalitijs, *Ein  
Kindelein so lobelich*. Paschalibus, *Christ ist erstanden*. Pentecostes,  
*Wir bitten wir den heiligen Geist*. Et loco Symboli Germanica Pæ-  
raphrasis, *Wir gheuben all an einen etc*. Vna cum alijs cantionibus.

Sequitur :

Concio Euangelij.

Postea accinantur.

Dominus uobiscum.

Oremus.

Offertorium.

Præfatio.

Sanctus.

Consecratio, Et

Pater noster Germanicè.

Agnus Dei.

Communio, ut præbeatur Sacramentum.

**Communk**

Communicatio seu perceptio .

Collecta .

Benedictio .

Ministri Ecclesiæ quando concionantur, Sacramenta administrant, aut alia Ecclesiastica munera obeunt, usitato habitu Ecclesiastico utantur.

Horæ Canonice quæ Psalmos pios complectuntur, in collegialibus & oppidorum Ecclesijs r̄is, in quibus iam ante in usu fuere, ut accinantur, de tempore, Dominica & alijs Festis celebribus. Et ueres res puræ & usitate cantiones de tempore & Festis præcipuis, similiter ut retineantur.

Cantiones piæ & Christianæ in sepulturis, & post has, si qui sunt qui expeant, usurpari possunt, ad memoriam mortuorum & promissæ nobis & certæ resurrectionis.

Etiã imagines & picturas cruciatuum Christi & Sanctorum, in Ecclesijs retinere, & commonefactiones illas tantum esse, & his de rebus ne diuinus aliquis cultus tribuatur, populum doceri licet. Ita tamen ne statuas & Sanctorum picturas ulli superstitioni consuetudinis permittantur aut ferantur.

Feriæ.

Dominicæ.

Natiuitatis Domini Iesu Christi.

S. Stephani dies.

S. Iohannis Euangelistæ.

Circumcisionis Domini.

Trium Regum.

Pascharis cum b̄duo sequenti.

Ascensionis Domini.

Corporis Christi, ut de Sacramento corporis & sanguinis Christi conciones habeantur, & communicatio fiat.

Festa sanctæ uirginis Mariæ, de historia sacre scripturæ.

Apostolorum .

S. Iohannis Baptistæ.

S. Mariæ Magdalenæ.

S. Michaelis, unã cum alijs quibusdam diebus, quibus Ecclesiasticæ tantum ferie seruantur, concionando, Missam & communionem celebrando.

Tales sunt :

Conuersionis Pauli.

Decollationis Iohannis,

Quarta,

Quarta, quinta, & sexta dies in hebdomade paschatis diem  
præcedente.

Item quinta & sexta die hebdomados, In ieiunio etiam  
quadagesimæ, à Carnium esu ut abstinenceatur, & hæc ut politica cons-  
titutio ad mandatum Cæsareæ Maiestatis, ut seruetur, qua tamen  
ne obligentur quos necessitas excusat, ut sunt operarij graues, perez-  
grinatores, grauidæ, puerperæ, ægotantes, ætas senilis & puerilis.

Honestum etiam esse & consultum iudicamus, ut Pastores  
Ecclesiarum & administri, tam in cultu quam uita & moribus ita, sicut  
Sacerdotes decet, & honestè se gerant, Atq; inter se ipsi, assumpta  
opera & consilio Episcoporum aut Consistoriorum constituent, &  
quæ statuta fuerint seruari curent, ut in cultu inter Ecclesiæ ministros  
& politicos ordines discerni, & Sacerdotum ordini reuerentia debita,  
sicut par est, præstari possit.

Hæc charta complectitur, ut diximus, Adia-pho-  
rorum tantum designationem, de quibus solis quæsitum &  
actum fuit, de dogmaticis nulla est inserta mentio, cum  
post toties declarata de his Principis sententiã, et frequen-  
tes à Theologis factas monitiones atq; explicationes horum  
editas, nihil necesse esset ad Ecclesias nostras, amplius hac  
in parte quicquam fieri: Et per se, præter ea, quæ iam fie-  
rent & docerentur & hæctenus conseruantur, nihil posset  
aut deberet moneri, præscribi, constitui, neq; in hoc genere  
inquam quicquam ut mutaretur actum aut postulatum  
fuit, quemadmodum ex hæctenus descriptis cognoscere li-  
cet. De ordinatione etiam, quæ Episcopis restituatur, &  
cætera illa quibus potestati huius temporis Episcoporum,  
nostrarum Ecclesiarum ministri subyciantur, hæc etiam in  
hac designatione omissa sunt. De quibus quemadmodum  
nostrorum concessionis eiusmodi sunt, quæ & per se piæ  
sunt, & cum ijs quæ ab initio huius causæ semper à se nostri  
D d d promiserunt,

promiserunt, consentiant, ita cur fieri non potuerit hactenus, ut ea quæ Episcopis delata ad hunc modum concessionibus illis fuerunt, his etiam præstarentur, docent ea quæ ante oculos sunt & manifesta omnibus. Itaque in his terris nulla, neque illo tempore, neque ullo alio, Episcopis restituta est Ecclesiastica iurisdictio. Sed hæc huc usque Superintendentibus & consistorijs conservata, quemadmodum & in hac charta ad mentionem Episcoporum subiicitur, ut in correctione, de Consistorijs, quod Princeps Elector de restitutione, quæ his rectè fieret spem non posse concipere videretur, & ad hæc decreta tantum nullis præterea de rebus agendorum descriptio est suscepta, Quam chartam etiam idèo inferi oportuit, ut quid de collationibus Theologorum & ordinum in hoc Conuentu, de Cellensibus capitibus factum sit, cognosceretur, atque ita eorum, quæ Lipsiæ decreta sunt, vera & simplex extaret descriptio. Nunc igitur deinceps de ijs actionibus, quæ Lipsensem Conuentum consecutæ sunt referemus.

## MERESBURGICA.

Post Conuentum Lipsensem negocium datum Theologis, ut de ijs, quæ in Conuentu illo communiter approbata essent, & in genere per capita notata, de horum igitur administratione speciatim ut præscriberent, & Agendorum

dorum librum nouum conficerent, in quo & quomodo singula fieri oporteret, explicaretur, quod in Conuentu Principis significauerat se curaturum vt fieret. Nam etsi de confirmatione, & publica pœnitentia, & paucis alijs iam per scriptæ formulæ erant, tamen de cantionib. Ecclesiasticis in primis, sed & precibus ad ægrotos, ad puerperas, Sacerdotis accedentis ad Altare, item publicis earum, quæ collectæ vocantur, formula horarum Canonicarum, & alijs officijs Ecclesiasticis pluribus nihil erat speciatiim explicatum. Et quanquàm hoc etiam factum fuerat, vt à Theologis, quæ in cantionibus, Agendis, Pontificalibus & Missalibus pura non essent consignata essent, sicut supra in Celsensibus exponitur, tamen neq; emendata illa insertionibus meliorum fuerant, aut integritati restituta, neq; antequàm constaret, quid ab ordinibus ex hoc genere acciperetur, opera talis suscipi potuit. De his igitur constituendis mandatum quibusdam qui Meresburgi apud Principem Georgium Anhaltinum, &c. de hac causa conuenirent, atq; in re ita versarentur, vt in manus sumentes librum Agendorum temporibus Principis Henrici compositum, eum recognoscerent, & de Adiaphoris ijs, de quibus conuenisset, quomodo administrari deberent adijcerent. De confirmatione, de forma publicæ pœnitentiæ, de visitatione ægrotorum & captiuorum, de forma Missæ, de ijs, quæ in sepulturis monenda & homilijs funebribus, de cantionibus Ecclesiasticis, quæ in singulis Festis vsurperentur. Atq; vt de præcipuis capitibus doctrinæ Christianæ

pie formulæ institutionis necessaria simul his insererentur, & cautele Pastoribus de ijs rebus & casibus, qui sæpè in administratione Ecclesiastica accidere solent, vt præscriberentur, cuiusmodi quædam & in eo scripto insunt, quod ante bellum compositum & subscriptione Lutheri approbatum fuit, vt diximus supra in primi Conuentus expositione, Atq; hæc ad talem modum illi libro inserenda esse, iudicatum propterea, ne tantum Agendorum liber conscriberetur, & de solis Ceremonijs qui tractaret, cuiusmodi liber facile in abusus recidere posset, sed vt doctrina simul exponeretur, & quibus conditionibus, & quomodo Ceremoniæ seruandæ, & vt incidentibus difficilioribus casibus in ijs rebus, quæ ad munus ipsorum attinent, Pastores in promptu haberent, quibus instruerentur, quid fieri oporteret, &c. Hoc igitur ab ijs quibus hæc opera mandata fuit, summa cum fide & diligentia ita actum, & hi perlustratis atq; consideratis diligenter omnibus & veterum scriptis, & quæ in hoc genere extant à coniunctis nobis eiusdem religionis professione edita, librum agendorum confecerunt ad formulam mandatam, & copiosissimum omnium, qui perfectus fuit Mense Martio anni 49.

Contra hunc librum, cum nunquam eum vidissent Flacius & Flaciani, ita tamen tetras calumnias vt reliquis actionibus vniuersis, sic libro etiam huic offuderunt, vt si Alcoranus ille Turcicus esset, non posset exagitari inclementius, per irrisionem quidem, quando facetias consecantur, Magnum Pontificale hunc appellare solent. Et si au-

tem cuiusmodi ille liber sit, ex ijs quæ hæcenus narrauimus  
æstimari potest, & meminerunt quibus publicè recitatus  
fuit, vt mox dicemus, tamen vt separatim edatur vna cum  
alijs, quæ ad horum negociorum explicationem pertinent,  
operam dabimus, quod hoc tempore fieri non potuit, cum  
& prolixum illud scriptum sit, & excreuerint ea, quæ in  
præsentia edimus ad eum chartarum numerum, vt plura  
his addi commodè non potuerint. Editionem quidem libri  
illius multis gratam, & vtilem atq; iucundam lectionem  
futuram pijs & disciplinæ amantibus non est dubium.

Totius autem causæ huius, quod & ad Principem  
& Theologos attinet, explicatio, hoc vno libro nititur,  
Nam quid concessum sit, & quæ Adiphora & quomodo  
in Ecclesijs nostris vsurpari visum fuerit, in hoc planè &  
plenè exponitur, quorum notationes per capita tantum &  
indicationes breues in ijs actionibus, quas hæcenus descrip-  
simus, referuntur, vt propter breuitatem & nuditatem  
suam, vt sic dicam, suspicionibus & calumnijs patere ea,  
præsertim ad improbos & maleuolos, necesse sit, ibi autem  
ut in plena descriptione præcidantur hæc omnia, Itaq; ad  
Flacium & Flacianos refutandos nihil esse potuisset com-  
pendiosius, quàm Agendarum editio, Sed nos causas etiam  
& occasiones talium concessionum à primis initijs expone-  
re volumus, & quales se Theologi in hoc toto negotio præ-  
stiterint, antequam ad illam rituum descriptionem deuen-  
tum fuerit, quæ tamen & hanc causam difficiliorem faci-



faciunt, & minus necessaria videri possunt, quam eorum,  
quæ & quomodo concessa sint integra & plena descriptio,  
Ideoq; editio hæc, quam & Princeps Elector tum à se pro-  
misit, ne omittatur præstabitur.

## TORGENSIA.

**L**ibro agendorum conscripto, vt diximus, euocatus est  
Torgam ad 13. Aprilis, à Principe Electore Prin-  
ceps Georgius Anhalt. &c. vnâ cum Philippo Melantho-  
ne, D. Pseffingero, Daniele Gressero, Ioachimo Came-  
rario & quibusdam alijs, qui librum illum delectis ex nobi-  
litate, qui ad mandatum Principis Elect. hac de causa  
Torgæ conuenerant, recitarent, antequam Pastoribus Ec-  
clesiarum in his terris proponeretur, Sed impedita res fuit  
quasi tribunitia intercessione Theologi cuiusdam ex Fla-  
cianis emissarijs, qui qua impotentia animi, & ut lenissi-  
mè dicamus, incogitantia, Lutherum aliquando contra se  
irritauerat, ea Theologos etiam tum nostros, qui ibi con-  
uenerant inuasit, & consilijs & actionibus horum ita ira-  
cundè & maliciosè obtreclauit, vt & ex nobilitate multi  
ab ijs negocijs, quæ in manibus erant, abalienarentur, neq;  
Theologis nostris ullam recitationē suscipere liberet. Quod  
autem Flacianus ille scriptum quoddam actionibus insti-  
tutis tum opposuisset, in quo & Idolatriæ & desertæ veri-  
tatis Theologos conuocatos accusabat, ideò emissarij illius  
(cuius nomen nō edimus, vt mortuo parcatur) Eius igitur  
scripto responderunt tum Theologi hoc quod subiecinus.

**S**Tatim in initijs harum deliberationum, de rebus Ecclesiasticis hoc monuimus, quòd etiamsi bono consilio in aliquibus ceremonijs Adiaphoris concederemus (sicut possunt conscientiae in hoc genere aliquid tolerare, & pro ratione negotiorum etiam debent) futurum tamen esset, ut in multis locis Pastores non quiescerent, ex quo multae distractiones essent secururae. Sed huic sollicitudini nostrae, tunc opponebantur alia grauiora pericula, de externis gentibus, qui in has regiones mitti possent, sicut in Ducatu Vuirtebergeni factum esset, qui haec loca uastarent, Pastores uel omnino pellerent, uel interficerent, & hanc bene constitutam politiam prorsus dilacerarent.

Ad haec tanta mala auertenda non uoluimus in concessione de Adiaphoris difficiliores esse, Quare non obsequimur Papae neque huic commodamus, sed primum conseruamus omnia necessaria doctrinae capita & Sacramentorum usum, & oppugnare Papam, non est nomen tantum huius oppugnare, sed falsam doctrinam in capitibus religionis oppugnare, neque ad Papatum quicquam facit aut pertinet ceremonias recipere, quarum & in prima Ecclesia Apostolorum temporibus usus fuit, ex quibus nos hactenus plerasque retinuimus & usurpauimus, ut sunt Natalis Domini celebratio, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, dierum Dominicarum, &c. quas si seruare recusaremus, quod diceremus Papisticum hoc esse, barbaria talis contumaciam haberet & ordinis perturbationem animaduertendam, qua ad populum disciplina solueretur & impediretur doctrina. Omnino .n. hoc & indubitacè uerum est, ad disciplinam & plantationem doctrinae apud iuuentutem & uulgus ceremonias esse necessarias, etsi sit ut simul falsae de ceremonijs opiniones irrepant, quando desunt Concionatores intelligentes, qui populum de his recte doceant.

Secundo, quae de constitutionibus in hoc genere deliberata sunt & proposita, praecipue ad consensionem doctrinae, & unam in ceremonijs formam in harum terrarum Ecclesijs constituendam suscepta fuere, non ad Papatum confirmandum, Et uerum est, in prima uisitatione seu inspectione harum Ecclesiarum, cum in multis locis absolutio priuata, de puerperis ritus, & multae honestae ceremoniae prorsus exoleuissent, illo etiam tempore quasdam instauratas fuisse, & quanquam tunc quoque Islebius & alij quidam clamabant, Papatum à nobis instaurari, illa tamen ceremoniarum eiusmodi instauratio non culpanda uisa fuit. Quod si hac ordinatione quae proponitur, hoc perficeretur, ut ad disciplinam meliorem aditus patefieret, & de excommunicatione & alijs, quae ad uitam sanctius degendam

gendam faciunt, hoc modo constitui posset, multum hæc res boni afferret. Id quod & ex animo optamus, & hoc etiam laboramus, quantum possumus, ut iuuentus ad congressus sacros in templis frequentandos, & ceremonias quæ in his usurpentur, adducatur. Sed bene scimus multos esse consuetudine mala sic deprauatos, ut nimiam libertatem expetant, & de libertate sua tali magis pugnent quam de ræ & falsæ inuocationis, & disciplinæ ac uitæ honestate &c.

Tertiò, Etiam si obijcitur, tales concessiones ex metu fieri, ideoq; his confirmari Papatum, Hoc igitur si ita esset, & talis metus etiam causam his afferret, Tamen hoc non est culpandum, quod non priuati nostri boni, sed populi, sexus muliebris, & ætatis teneræ, atq; uniuersæ Reipub. salutis causa timidi sumus, & ita quidem, ut ad conseruanda retinendaq; necessaria illa capita concedamus ac remittamus aliquid in non necessarijs, præsertim cum scriptum sit, 1. Pet. 1. Patientes ubi opus est. Item Rom. 12. Seruate pacem cum omnibus in tolerandis atq; sustinendis afflictionibus confirmat, si scit se propter res necessarias affligi, neq; non necessarijs rebus causam sibi afflictionum, aut Ecclesiæ ut delerantur, aut aliæ uasitates ut fiant, quod attulerit.

Quartò, Etiam Reuerendus Doctor Martinus Lutherus sæpè suasilit, ut nostri offerrent se ad eandem cum aduersarijs formam in huiusmodi rebus & ritibus Adiphoris præstandam, id quod & aliquoties in Comitijs imperialibus factum est, & hac ipsa de causa Illustriss. Princeps & Dominus D. Iohannes Anhaltinus &c. Ratisbona ad D. Martinum ablegatus est, ut de hac re cum ipso colloqueretur.

Quinto, In ea ordinatione quæ nunc proponitur, nullæ insunt nouæ ceremoniæ, sed eæ quæ iam ante in usu sunt, ad hunc modum, boni ordinis causa, & ut eadem in ritibus forma constitueretur, sunt descriptæ & sæpè in hac descriptione expressa & repetita commones factio, ut una cum usurpatione harum uera & pura doctrina conseruetur. Cum igitur fatendum sit ceremonias, ut supra diximus, esse necessarias, cur usitatas has Feras atq; cantiones seruare nolumus, quibus addita sunt quædam de publica pœnitentia ac de confessione fidei in ceremonia confirmationis, quæ sunt ritus ad disciplinam utiles.

Sexto, Potest fieri, ut hæc ordinatio aliquibus in uicinia sit profutura, partim ut ad ueritatem doctrinæ adducantur, partim ut in hac conseruentur, quia in Silesia & alijs regionibus ante hæc tempora

pora multæ propter ceremoniarum discrepantiã à doctrinæ ueritate abhorruerunt.

Septimò, Nos contra atrociter accusamur, quod Idolatrias introducamus, quod ne à nobis fiat, Deus benigne nos custodiat, & exempla Iudæorum perperam aduersus nos adducuntur, cum Iudæi nouos cultus contra manifestum mandatum instituerent, & falsam insuper doctrinam adijcerent, quòd Deus illis placaretur, sicut ante hæc tempora de Missa & Monachatu similis fuit persuasio, Nos uerò nihil omnino nouorum cultuum instituiimus aut introducimus, doctrinæ etiam ueritatem conseruamus. Neq; ulli Ecclesiæ prohibitum est, de ceremonijs, sano intellectu, & disciplinæ atq; instructionis popularis causa, constituere. Sicut Paulus monet, 1. Corinth 14. Omnia decenter & ordine fiant in Ecclesia. Et hæc ipsa forma, quam nos in Missa publica seruamus, ad eundem modum seruata fuit ante mille annos, quemadmodum Dionysius planè testatur. Quare necessitas nobis offertur respondendi sic. Nullas nos hac ordinatione idolatrias introducere, sed toto pectore Deum oramus, ut ab idolatrijs nos custodiat. Quod autem Papistici ex nostris intestinis dissensionibus auismentur & ferociores reddantur, de hoc longa querela opus, & sunt in culpa ij, qui de rebus non necessarijs magis, quàm de necessarijs pugnant. Par esset importunos istos homines considerare nos quoq; membra esse harum Ecclesiarum, & ueram doctrinam amare, & huius causa fortassis plus afflictionum sustinere, quàm ipsi sustineant, Neq; tam immaniter Idolatriæ crimen nobis inferre. Est hic Pontificatus nouus, hoc importunum genus hominum cæteros omnes ad suas rationes adigere conari, & qui non obsequantur, eos tam horribiliter condemnare.

*Atq; re ita infecta Torgæ diceffum. Paulò post discessit ex Academia nostra Flacius, deferens locum suum, & prodens amicitiam, fidem, gratiam, officium, quæ & Collegio, & priuatis multorum beneficys, & Philippi Melanthonis plus quàm paternis debet, quod ut faceret, cum necessitatem sibi allatam uideri uelit ab actionibus & concessionibus nostrorum, iudicium permittimus ijs, qui in hæc nostra incident, an necessaria illa necessitas*

Flacij haberi possit, nam quid à nostris factum sit optima  
 cum fide hætenus exposuimus, de quibus omnibus si non  
 cognouit illo, quo nobiscum fuit tempore Flacius, cognos-  
 cere tamen ipsi & quærere de omnibus in promptu fuit, ni-  
 si ignorantiam affectauit. Nam vsq; ad hunc finem actio-  
 num omnium in Academia & Collegio hic nostro vixit,  
 Et quæ ad illud vsq; tempus, per se & complices suos, con-  
 tra nostros molitus fuit & perfecit, ea vt domesticus ho-  
 stis, qui in sinu nostro alebatur, suscepit vniuersa, quod ge-  
 nus hostium veteres Græci φιλιτὰς appellarunt. Hæc est  
 Paulina ψευδ᾽ ἀδελφία, quam inter grauissimas afflictiones  
 suas Apostolus commemorat. Ita igitur ab amicitia, con-  
 iunctione & societate laborum nostra in docenda iuuentute  
 Flacius discessit, neq; ab eo quidem tempore amico illo vti  
 nobis conceditur, sine tamen magno detrimento nostro,  
 τί γὰρ ἀπ᾽ ἰλιθῆ γένοιτο μέζωρ, ἢ ἐιλῆ κακός; & inimicitias  
 postea his terris, Ecclesijs, & Theologis in primis nostris,  
 Præceptoribus suis, manifestas denunciavit, cum substi-  
 tisset hic ab instaurata post bellum Academia annum in-  
 tegrum & Semestre, Et ad finem quidem vsq; actionum,  
 vt diximus, omnium.

Hunc igitur quoniam ita vult & laborat, dimitta-  
 mus, & hoc modo quasi ritu solennis auersationis, & repu-  
 diationis ἀποδιωκοπιώμεθα, quo verbo Græci de tali re vsi  
 fuerunt, & mendacia atq; calumnias huius, & cetera,  
 quæ omnes pios, & bonos, & Patriæ amantes, in hoc &  
 complicibus huius odisse necesse est, execremur & repudie-  
 mus.

Grim

# GRIMMENSIA.

**P**ost Torgenses has actiones Princeps Mauricius Elector ad Calend. Maji Cremam conuocauit Principem Georgium, & Theologos ex vtra Academia, vna cum Philippo Melanth. & Ioachimo Camerario, atq; Superintendentes & Pastores Ecclesiarum, in his regionibus, ibi ad conuocatos referri curauit, vt compositum ad ea, quae communiter à Theologis & regionum harum ordinibus approbata & decreta essent, Agendorum librum, cognoscerent, & sententias de hoc suas ederent, atq; simul de his ipsis actionibus, et consilio atq; voluntate sua, qua vniuersa suscepisset, ita vt res postulare tum visa fuit, contestationem fieri, quibus vt plus fidei haberetur, & suspiciones omnes praeciderentur, Princeps Elector postea ipse ad eos qui conuenerant, verba fecit & disertissimè uoce sua testatus est, Se non petere, vt doctrina mutetur aut vlla res necessaria, & nisi quod piè, & cum bona conscientia fieri posset, neq; haëtenus se concedi postulasse, neq; nunc etiam villo modo velle aut postulare, sed tantum vt ritus externus in ordine Festorum, lectionum, vestitu, retineant Presbyteri. Ita postea liber lectus fuit, & post considerationem diligentem omnium, communiter ab vniuersis responsum hoc modo, vt ex Germanico conuersum subiiciamus:

**N**os cum subiectione de nobis significamus. Vniuersos & Pastores, & cæteros qui ad cognoscendum librum conuocati sumus, consentientibus sententijs respondere, Nos compositam

positam Agendorum formulam per omnia, quantum & ad doctrinam & Ceremonias attinet, ita ut in libro descripta est, approbare. Simul autem de hoc monemus, Primum, si hæc ita ut constituta sunt, usurpari atq; exerceri debeant, ut ad præfectos & oppidanos Magistratus liber mittatur, quæ hæc ut fiant à Pastoribus postulent. Nam si Pastores hanc mutationem absq; postulatione tali præfectorum aut oppidanorum Magistratum introducerent, Pastoribus postea hæc obiectio incumberet, quod nouationum autores fierent, ad quas homines cogentur.

Secundò, quæ de agendis in hoc libro sunt, ea pro conditione locorum & numero ministrorum in Ecclesijs ut accipiantur, cum fieri non possit, ut omnia præstentur, si non sint administri, per quos illa fiant, quæ præscribuntur. Et hæc tamen ita ut seruentur, ne quid noui, & ijs quæ in libro expressa sunt contrarium, à quoquam introducatur, sed quæ seruari poterunt, ea ut cum ijs quæ præscripta sunt consentiant, & re communicata cum Superintendente & de mandato huius Pastores omnia faciant.

Tertiò, ut Magistratus operam det, ut Feriæ honestè, decenter & piè transigantur, nam quod ad Pastorum ministeria attinet, parati sunt ad operam Ecclesijs fideliter & diligenter præstandam. Actum Cremæ Cal. Maij. 1549.

*Quòd autem ab his, quæ ad hunc modum Cremæ acta sunt, aliquot Superintendentes absuissent, postea illi qui absuerunt, peculiariter Lipsiam conuocati sunt, & his reliquis ibi Agendorum liber ad similem modum propositus.*

*Ita igitur à Theologis & Superintendentibus & Regionum ordinibus, cum approbata essent ea de quibus hætenus scripsimus vniuersa, Quarto Non. Sextilis Princeps Elect. Mauricius literis missis ad omnes Præfectos gubernationi publicæ, & Principis negotia administrantem nobilitatem, edixit de ijs, quæ communiter approbata iam & decreta essent seruandis, vt coactionem ad suos legitimam & politicam vsurparet, cuiusmodi in omnibus edictis*

edictionibus & ordinationibus vsurpari oportet. Quam enim violare licet & euertere cuilibet, ea non est neq; ordinatio neq; edictio. Illarum literarum exempla postea typis expressa edidit, vt de voluntate & sententia sua publicè constaret, quod edictum cum per se eas actiones, quas hætenus descripsimus vniuersas, concludat, nos etiam hoc quasi colophone addito, narrationem de his rebus nostram in presentia concludemus. Edicti igitur sententia est hæc:

**N**oster fidelis. Nos de multiplicibus indicijs cognoscimus, esse multos in regione nostra homines, qui partim ipsi sibi sollicitudines fingunt, partim ab alijs, qui turbis & seditionibus occultè studentes, non tamen hoc agere uideri uolunt, in has inducantur, quasi hæc sit uoluntas, sententia & consilium atq; propositum nostrum, ut ueteres abusus in nostrarum regionum Ecclesijs instauremus, & nostros à uerbo Dei per uim depellamus, & negotium hoc paulatim ita agamus, ducamus, dum alias & maiores occasiones conficiendi huius obseruemus, qua in parte ex Concionatorum etiam ordine quosdam non habemus excusatos. De huiusmodi autem sollicitudine, & suspitionibus talibus, facillè intelligimus omnes illos & subditos & Concionatores nostros, qui talibus suspitionibus indulgent, de mutatione præsentium rerum spem concipere, ex quo facillè iudicare possumus, si quis conatus aliquid susciperet ad turbas & seditionem excitandam, futurum ut illud diffidens & suspicax hominum genus facillè se commoueri pateretur, alij quidem propter sollicitudinem talem & affectionem, quam de religione se habere sibi persuadent, alij ex maleuolentia, odio, turbandi studio, quæ in præsentia premunt & dissimulant, tum autem in lucem essent prolaturi. Etsi autem multis publicis scriptis nostris sententiam nostram benignè declarauimus, & in uniuersum omnibus tantum significauimus, ut cur de nobis talia suspiceretur nemo causam habeat, iterum tamen his literis tibi & cæteris subditis nostris significatum uolumus, non esse neq; sententiam neq; uoluntatem nostram, ut ullus abusus, qui Deo & sanctiss. uerbo huius & religioni Christianæ contrarius sit, admittatur, sed potius ea ut promoueantur atq; conseruentur, quæ uerbo Dei consentanea sunt, & ad Christianæ religionis conseruationem



conferant, Qua de re, & quomodo subditis nostris pacem & quietam gubernationem conseruare possimus, summa est sollicitudo nostra. Hortamur igitur benigne eos, qui uel ex simplicitate & sua sponte, uel ab alijs persuasi in illa sollicitudine sunt, ut eam de nobis deponant, neq; deinceps se in hanc duci patiantur, sed huic scripto nostro fidem omnino habeant, Et sicut nos diligentiam præstamus in cogitando de eo, ut Christianam religionem, & quietam & pacificam gubernationem his conseruemus, ita ipsi similiter, & animo sint erga Deum recto, & uitam degant Christianis dignam, & affectionem præstent erga Magistratum, ut Deus mandat, beneuolam, & obediendi studiolum. Cæteri autem qui tales sollicitudines commouent, & comminiscuntur atq; spargunt ea, de quibus nihil compertum habent. Illi igitur nisi conuertant se & à facinore desistant, pœnas non effugient, uel in hac uita uel in altera, cum consilia & animi horum nihil pietatis Christianæ habeant, sed neq; pijs neq; ueraces illi sint, & seditionum cupidi. Postquam uerò ex decretis conuentus Lipsiæ nuper habitis: quæ decreta in subiectissimo Romani Cæsaris Maiestati obediendi studio, de rebus ad Christianam religionem pertinentibus facta sunt: Ex illis igitur decretis, postquam capita quædam excerpti curauimus, de quibus in Ecclesijs regionum nostrarum institutendis per Consistoria & Superintendentes nostros constituatur, de quo ex Pastore tuo cognoscere poteris, ideò postulamus ut obserues, an Pastor tuus de Consistorij aut Superintendentis ordinatione ea præstet, aut hoc facere an recuset, & pro concione uel alibi constitutionibus illis obrectet, deq; hoc nobis, aut locum nostrum tenentis, atq; Consiliarijs nostris, uel Consistorijs significes, Quod si Pastor tuus aliquid requisierit, de quo doceri se uelit, id à Consistorijs aut Theologis in Academijs nostris VVitebergensi & Lipsensi petere ei licebit, ut in Ecclesijs regionum nostrarum consensio conseruetur, cultus diuinus promoueat, & debita Deo & legitimo Magistratui obedientia præstetur. Id quod & tu ut facias, & subditis tuis ut denuncies, te minimè recusaturum nihil dubitamus. Hoc modo id sit, quod omnino uolumus. Datæ Dresdæ 4. Iulij.

Anno 1549.

*Sequuntur*

SEQVUNTUR EPI  
STOLÆ QVÆDAM SCRIP  
TÆ AD DIVERSOS, QVIBVS ET

*quæ ἀδιάφορα concesserint Theologi, & quas harum  
concessionum causas habuerint, strictim ac  
summatim exponitur.*

PASTORIBVS ECCLESIAE  
*Hamburgensis. Phil. Melanth.*

**R**uerendi uiri & amici cariss. Non ægrè ferimus, nos amanter à uobis uel moneri uel reprehendi. Sunt enim & hæc officia in amicitia, præsertim in Ecclesia, necessaria. Sed tamen oramus uos, ut in iudicando, pro uestra prudentia, grauitate, & erga nos beneuolentia, candorem adhibeatis, nec ueteres amicos, qui amplius uiginti annis magnos labores & uaria certamina sustinuimus, & adhuc sustinemus, damnetis, sicut alij quidam, qui falsis criminationibus rabiosè nos infestantur, quibus ideo nondum respondemus, ne tam tristi tempore odia & dissidia magis inflammentur. Primum autem uobis significamus, Dei beneficio uocem doctrinæ eandem in Ecclesijs nostris & Academijs sonare, quam tot annorum consensu uobiscum profitemur, & quam nunc in uestra confessione propugnatis. Cumq; sciamus hanc doctrinam æternum Dei decretum esse, & perpetuam ueræ Ecclesiæ sententiam, nihil in ea unquam mutaturi sumus, ac ne quid mutaretur in doctrina & Liturgia, acerrimæ contentiones nobis hoc ipso anno cum aliquibus fuerunt, qui ingenijs, eruditione & autoritate in his regionibus excellunt. Quod cum ita sit, extant non obscura testimonia nostræ confessionis, ac aliquanto maiora odia et pericula subimus in tali confessione, quàm illi qui inter adplausores suos in tuto nobis cõuiciantur, quos optarem interesse uobis disputationibus, in quibus argumenta astutissimè excogitata, magno labore refutamur. Eduntur apud nos & libri iidem, qui ante bellum editi sunt, Nec ritus alij sunt in Ecclesijs nostris, quàm quos uis distis. Et quanquam non magna dissimilitudo est, tamen alibi plures alibi pauciores sunt, de qua dissimilitudine nec antea rixati sumus, nec nunc rixamur. Nam & esse publicos congressus honestos, & ritus non

tus non barbaricos in illis congressibus, imò & quædam disciplinæ  
 signa esse necesse est, in quibus si nihil contra mandata Dei institutum  
 est, de gestibus ipsis non esse pugnandum uos ipsi scitis, sed metuitis  
 in generali uerbo insidias, cum dicimus nos de Adiaphoris non pug-  
 nare, Veniūt eadem nobis in mentem, quæ uos prudenter prospicitis.  
 Et uoluntates multorum eò spectant, ut inclinationem ad totam po-  
 litiam Pontificiam faciant. Sed tamen cum occupati maioribus certis  
 minibus de rebus necessarijs omittimus rixas de Adiaphoris, decet  
 bonos uiros, qui talia legunt, adhibere dexteritatem in iudicando.  
 Vocamus Adiaphora non magicas consecrationes, non statuarum  
 adorationes, non circumgestationes panis aut similia, quæ aperte  
 damnantur uoce nostra & scriptis, imò ne ineptias quidem, ut excu-  
 bias ad sepulchrum. Talia qui uel odiose coaceruant, ut nos exagis-  
 cent, uel astute colligunt, ut Pastoribus duriora onera imponant, in-  
 suriam nobis faciunt, & suis affectibus morem gerunt. Alia multa  
 sunt Adiaphora, quæ & antiquissima Ecclesia instituit, & ad concin-  
 num ordinem & ad docendos seu commonefaciendos rudiores cons-  
 ducunt, ut ordo Festorum, lectionum, publici congressus, Examen &  
 Absolutio ante sumptionem Sacramenti, ritus aliquis publicæ poe-  
 nitentiæ, examen in confirmatione, publica ordinatio ad ministeri-  
 um Euangelicum, publicæ desponsationes, & preces in nuptijs,  
 honesti comitatus, aut etiam conciones in funeribus.

Hæc cum pleraq; in usu sint apud nos, et bono consilio retene-  
 ta sint, qua fronte dicere poteramus, nos nulla Adiaphora nihil usi-  
 tatum admissuros esse? An ut sit in factionibus & studijs partium,  
 odio aduersariorum etiam istos uetustos mores congruentes cum Eccle-  
 lesia Dei inde usq; à primis parentibus abijceremus? Sicut Cinesias  
 quidam Athenis festos dies contrarios populi consuetudini celebra-  
 bat. Et Asiani sues mactarunt & contrarium anni initium constitue-  
 runt, ut ostenderent se prorsus alienos esse ab Israelitis. Scimus ne uos  
 quidem probare talem nouitatem, Et reuerenter tueri uetustæ Eccle-  
 siæ ordinem, qui bono consilio institutus est. Ac præcipui ritus in  
 uestris & nostris Ecclesijs congruunt ad ueterem formam, quæ extat  
 in scriptoribus, qui ante Gregorium fuerunt. Disciplinæ seueritas  
 aliquanto maior fuit, & exercitia temperantiæ maiora fuerunt, quas  
 duas res nunc quoq; optamus curæ esse gubernatoribus, qui Cere-  
 monias, & umbras disciplinæ in speciem restituere conantur, non res  
 ipsas.

Sed reprehensio uestra, non de hac honesta consuetudine  
 Ecclesiarum

Ecclesiarum nostrarum loquitur, sed de quorundam ineptorum rituum instauracione, quæ fieri à potētibus uidetur, ut paulatim restituantur omnes abusus Pontificij. Hic mollicies nostra accusatur, quod non uehementius aduersamur, quod alicubi damus consilium Pastoribus, ne deserant Ecclesias propter hanc nouam seruitutem.

In ditone Marchionis Alberti aula primum petiuit, ut Pastores totum librum Augustanum amplecterentur ac sequerentur. Pio consensu nobilitatis, Ciuium & Pastorum modestè facta est recusatio. Decurrit ergo aula ad aliud consilium, proponit articulos, qui doctrinam & Liturgiam non mutant, sed plus rituum imponunt, qui utcunq; tolerari possunt. Additur comminatio, ut qui hanc normam sequi nolint, discedant. Etsi multi Pastores discedere malebant, tamen Ecclesiæ petebant, ne desererentur. Tali tempore quid consilij dandum fuit? Respondent aliqui uehementiores, atroci scripto perterrefaciendam fuisse aulam metu seditionis & hac Gorgone reprimentam, ne quid in Ecclesijs mutaretur. Id cur facere nolimus multæ causæ sunt. Et fortassis magis irritarentur inimici, qui nolunt sibi leges à nobis ferri, dicerent etiam attrahi exercitus Cæsaris, talia scripta esse classica bellorum exitialium patriæ. Nec uoluimus deserere Ecclesias, ut in Sueuis accidit, ubi in multis templis iam prorsus solitudo est, aut lupi iam præsent, qui doctrinam impiam & falsas inuocationes restituunt. Si tali tempore hoc nostrum consilium reprehenditis, ignoscimus nobis petimus, nec propterea nos damnari, qui uocem Euangelij eandem uobiscum sonamus, & aliquanto propiores periculo sumus, quàm uos qui habetis auditores æquiores. Et coram plures graues causas dicere possemus, cur hoc moderatius consilium utilius esse ius dicemus.

Quæ res aduersarios armauerit contra nos, qui audaciam ac potentiam eorum confirmauerit, longum esset dicere, & non est *επιστολικον*, ut Aristoteles dicere solebat, sed tamen dissensiones & dissimilitudo Ecclesiarum nostrarum uideretur *ἀφορμη* fuisse gubernatoribus, ut nouam normam proponerent.

Vt igitur clarè cerni possit, nos non cupiditate libertatis, non studio nouitatis, non odio dissidere ab aduersarijs, de magnis rebus pugnamus, in quibus euidētia ueritatis conuincit saniores etiam inter inimicos. Id iudicamus utilius esse, quàm de uestitu aut re simulari, ubi sapientes clamitant, nos tantum stulta morositate ac contumacia aduersari gubernatoribus, alere dissidia, attrahere peregrinas gentes. Talia multa cum audiamus, opponi non leues causas necesse est, Vobis in auditorio uestro omnia faciliora sunt, & uestram libertatem

libertatem uobis gratulamur, Semper autem aliqua est Ecclesiæ seruitus, alibi mitior, alibi durior, ac leniri ærumnas seruitutis consolatio ne uestra decet, non augeri condemnatione, dum fundamentum testemur.

Concordiam igitur inter nos, & mutuam beneuolentiam tueamur, ne inuocatio in nobis, aut in populo turbetur, neue tristes & perniciosæ dubitationes orientur ex quæstionibus non necessarijs, ut olim de Paschate accidit. Illi quibus & libertas minus impedita est, agant Deo gratias, & piè utantur ea ad illustrandam doctrinam, nec disciplinæ frenos propterea magis laxent. Alij in seruitute agnoscant castigari nos diuinitus, & ueram Dei inuocationem corrumpi non sinant, sicut scriptum est: Hæc omnia uenerunt super nos, nec oblitus sumus te. Nos non sumus suasores, ut Ecclesiæ turbentur, nec in dolore & periculo sumus quàm uos, sed ubi noua onera imponuntur, prudenter iudicandum esse sentimus, an reliquendæ sint Ecclesiæ lupis, aut facienda solitudo, an uerò seruitus toleranda sit. Nam neq; nos impias Ceremonias recipi uolumus, neq; sine grauissimis causis deserere Ecclesias, sicut scriptum est: Non deserentes congregationem uestram.

Hanc responsonem uobis satisfacturam esse speramus, & optamus, ut æterna sit inter nos concordia, & animorum coniunctio in Deo, sicut filius Dei in agone suo precatur, ut pater mentes omnium in Ecclesia copulet, ut unum sint in Deo. Bene ualete, 16. Aprilis Anno 1549.

### AD PASTORES ECCLESIAE in Marchia.

Venerandi uiri, sicut ipse filius Dei ante agonem orauit, ut Ecclesia sit unum in Deo, ita maximè oremus ipsum, ut consensus harum Ecclesiarum, in quibus sonat uox Euangelij in corrupta, & in quibus uera sit inuocatio Dei, tueatur. Principes etiam Electores cum unà essent, longa commemoratione exponens qualis sit dissipatio in alijs regionibus hortatus est Anhaltinus, ne sinant distrahi harum regionum Ecclesias, iam rectè sentientes. Ac nos quidem doctrinam in Ecclesia nostra sonantem, quæ quidem & cum Marchionis Electoris scripto congruit, quod ante annos 8. suis Ecclesijs proposuit, non mutabimus, nec restituemus uiciosos cultus, quos hactenus improbauimus,

Quod

Quod uerò de articulis factis in Iuterboch interrogatis, scito-  
 te nos non interfuisse illi arcanae deliberationi, in qua Principum facta  
 est subscriptio, nec exempla illorum articulorum habemus, nec con-  
 secrationes oleorum aut salis inter adia phora recensemus, ac semper  
 improbauimus illas oleorum consecrationes, & adhuc improbaui-  
 mus. Si qua in illis Articulis mentio facta est unctionis, illud etiam  
 additum fuit, restare Articulos non conciliatos, de quibus necesse sit  
 Episcopis iudicari quid desideretur. Postremò quòd interrogatis, si  
 liber Augustanus uobis simul cum Articulis proponeretur, quid sit  
 respondendum? Simplex est ueritatis oratio. Respondete uos nor-  
 mam doctrinae, quam Elector ante annos aliquot publico scripto Ec-  
 clesijs Marchicis commendauit, fideliter seruaturos esse, nec eam nor-  
 mam mutaturos. Si autem Princeps sic interpretetur librum Augu-  
 stanum aut alios articulos, quasi cum hac doctrina sui scripti congru-  
 ant, ac uelit ita respondere Imperatori, de ea interpretatione aut res-  
 ponsione ad Imperatorem, Vos Principi nihil praescribere, sed uos  
 testari, quod normam hactenus seruata[m] secuturi sitis, Hac respon-  
 sione fortassis Elector contentus erit. Scimus fieri solitudinem in mul-  
 tis Ecclesijs, pulsati sunt Pastores plures quadringentis in Sueuia, & ad  
 Rhenum. Tubingae nunc pulsati Pastoribus & Concionatoribus uni-  
 cus est Sacrificulus, qui, ut libro Augustano satisfiat, oblationem re-  
 stituit. Mirum est igitur, cur adhuc aetatem auream promittat Islebi-  
 us, cum manifestè uideat uastari tam multas Ecclesias, pios & doctos  
 uiros exulare cum totis familijs. Tantae calamitates cum alibi fiant,  
 nos etiam duram seruitutem, modo sit sine impietate, tolerandam  
 potius esse existimamus, quam discedendum ab Ecclesijs.

D. Pomeranus.  
 Philippus Melanth.

*PASTORIBVS ECCLESIAE DEI  
 in Comitatu Mansfeldensi.*

**R**euertendi uiri & amici cariss. Orat filius Dei in agone suo, ut  
 aeternus Pater consensum Ecclesiae tueatur, ut simus unum in  
 ipso, ut uerba quae extant in ea narratione, recitem. Nec est  
 irrita illa Filij Dei precatio, Semper erit aliquis coetus custos uerae do-  
 ctinae consentiens. Legi uestram deliberationem, quam iudico &  
 piam esse & cum nostris sententijs congruere. Etsi autem multa Ec-  
 clesijs nostris minantur, & profecto horribilis crudelitas in Sueuia  
 exercetur,

exercetur, tamen nec ueræ doctrinæ corruptelas unquam recipiemus, nec uiciosos cultus approbamus. In alijs rebus Adia phoris seruitutem quamlibet duram tolerabimus, Nec propter leues causas occasionem præbendam censemus ijs, qui pellere Pastores conantur, quare de re, cum à multis interrogati simus, scripsi quid mihi uideretur. Quanquam autem scio quibusdam horridiores sententias magis probari, tamen hæc magna causa est, cur seruitutem toleremus, ne fiat in Ecclesijs solitudo, qualis iam in multis locis est ad Rhenum & in Sueuia. Nulli sunt congressus, templa clausa sunt, nec Baptismus quidem in templis administratur, pelluntur Pastores, aliqui etiam trucidantur, rapiuntur aliquorum coniuges & filia. Nec Magistratus ulli opem ferunt suis Pastoribus, quidam etiam gaudent eos excuti. Cum igitur uideamus, quomodo in periculo sint non tantum docentes, sed etiam ipsæ Ecclesiæ, hoc est, pii coetus, tantisper donec pie possumus, manere apud Ecclesias studeamus, etiamsi toleranda sit aliqua seruitus, quæ tamen sit sine impietate. Oramus autem Filium Dei, ut ipse nos gubernet & poenas mitiget. Non humanis consilijs aut uiribus retineri lux Euangelij in humano genere potest, sed Dei opus, & beneficium est tanti boni conseruatio. Ab ipso igitur petamus & expectemus auxilium. Bene ualete, die 23. Ianuarij 1549.

*EPISTOLA SCRIPTA AD  
Francofordianos.*

**I**N tanta Ecclesiarum dissipatione & mæsticia optarim quam minimum fieri mutationum. Semper enim etiam tranquillis temporibus aliquid est in mutatione incommodi. Nunc multò magis dolore afficiuntur bonæ mentes, cum uident tales mutationes institui, quæ significant inclinationem ad inimicos nostros, quos certum est defendere uiciosos cultus, Propter hanc inclinationis opinionum triumphant & confirmantur inimici, & inter nos multi languescunt, & in dubitationem adducuntur. Quare suosores mutationis grauius accusantur, & iudicantur scandalorum insignium autores esse, uidelicet languæfactionis in ea parte, quæ recte sentit & confirmationis errantium, denique & obscuræ ueritatis & gloriæ Dei. Hæc non sunt exigua mala, de quibus postea rursus dicendum est cum fiet collatio scandalorum, quæ ex durioribus & mollioribus sententijs sequuntur. Prius autem discernenda est priuata confessio à consilio, quod alijs infirmis & dissimilibus datur,

Laurentius recte fecit, quod mortem prætulit edicto Decij de pecunia.

pecunia. Fuit enim in ea occasione confessio eius illustrior, & talis celsitudo animi singulari motu Spiritus sancti iuuabatur. Alius timidior censuisset pecuniam potius amittendam esse, quam uitam, & fuisset huius infirmitas excusabilis. Nihil igitur hic præscribam fortibus, qui etiam leui occasione confessionem illustrem suo periculo edere uolunt. Sed uideant ut ueras sententias profiteantur, earum fontes non sint, & non sint θραύδιλοι, audaces ante pugnam, postea in pugna dubitare, trepidare & delicere incipiant, quales uidimus multos usque ad ancillæ uocem fortes, ut in Petri historia exemplū propositum est.

Nunc autem non de priuata confessione disputo, sed de consilio dando alijs dissimilibus & infirmis, ut hoc tempore multi gubernatores petunt, ut pastores restituant aliquos ueteres ritus ἀδίαφογες, eamque moderationem sperant profuturam, ut plus non postuletur, nec turbentur Ecclesiæ propter alias res maiores. Fortassis autem hæc spes uana est. Hic tamen sentio petentibus tali moderatione gratificandum esse. Nec ignoro multa Stoicè & horridè dici contra hanc sententiam seu timidiorē seu æquiorē, cum initia mutationis confirmant aduersarios, ne quidem hæc parua ducenda esse ἀδιάφογα. Hanc duriorē opinionem si qui amplectuntur, amplectantur suo, non alieno periculo.

Cum Petrus dicit, patiendum esse ubi opus est, Præcipit ut confessio sit de rebus ueris & necessarijs, et occasio sit honesta adeundi periculi, ut cum Magistratus interrogant de doctrina, uel præcipiunt, ut factō ipso abijciamus doctrinam, sicut Ethnici præcipiebant, ut milites sacrificarent Idolis. Itaque non solum priuatim docti & fortes, sed etiam populus anteferre debet ueritatis confessionem uitæ, & pati in rebus ueris, quarum cognitio omnibus necessaria est, ut cum præcipitur de corruptelis doctrinæ recipiendis, aut de manifesto abusu Missarum, aut de inuocatione mortuorum. Et erudiendus est populus, ut discrimen intelligat inter necessaria, & non necessaria. Sed cum petitur, ut seruetur ordo ueterum cantionum, Feriarum & uestitus, Hic non iudico populum onerandum esse periculis, Cum Petri regula dicat, Patientes ubi opus est. Ut meminimus in loco uicino Basileæ igni crematum esse quendam propter esum carniū. Et si crudelitatem iudicum iustissime execramur, & constantiam boni hominis in confessione laudamus, tamen & ipse nequaquam male fecisset, si hoc periculum uitasset, & certe alios onerare nemo debet, ut tali occasione pericula sibi accersant. Secundò, Non tantum metu moueor, ut pijs, elegantes & similes ceremonias optem in Ecclesijs nostris



nostris esse. Sæpe ante multos annos non ego tantum, sed etiam alij multi gubernatores Ecclesiarum hortatores fuerunt, ut in Ecclesijs pia & similis forma rituum institueretur. Nec propterea doctrinam de libertate Evangelica abolemus, quæ de rebus multò maioribus conuocionatur, Sed omnes sani intelligunt, naturæ hominis conuenire ordinis elegantiam in publicis congressibus, sicut & Paulus dicit: Fiant omnia decorè & bono ordine. Ac dolemus in multis locis etiam utilitates ceremonias, absolutionis, cantionum, à cæteris abolitas esse.

Sed scandalum est confirmare aduersarios hac specie inclinationis. Ad hoc respondeo: Si constantia erit confessionis in rebus necessarijs, ut esse debet, non poterit defectio nobis uerè obijci. Volo enim & deinceps semper eandem uocem ueræ doctrinæ seruari, & nullos recipi impios cultus. In cæteris autem rebus ostendamus modestiam & tolerantiam nostram in seruitute. Hæc ipsa summissio si fieret retinendi Euangelij causa, honestior esset, quàm superbia in deserendis Ecclesijs. Præterea maius est scandalum deserere Ecclesias propter causas non maximas, aut præbere causam iudicij populi, qui diceret nos propter paruas res pertinacia nostra atrahere bella, quàm præbere aduersarijs qualemcunq; occasionem calumniandi nostram moderationem. Et cogita uter malè faciat, an ille durus & horridus, qui ut retineat laudem constantiæ, mauult Ecclesiam deserere, quàm uestem mutare, An uerò patientior seruitutis, qui ut prosit Ecclesiæ, sustinet onera quamuis ingrata, sed sine impietate, ut interea maneat Ecclesia in rebus principalibus in eodem statu, & non tollatur ministerium Euangelij, & non turbetur inuocatio in populo. Sæpe fit etiam, ut illi ipsi duri & uehementes maiora negligant, imò etiam impediunt, & interea de rebus minutis tumultuentur, sicut scriptum est de colantibus culicem & deuorantibus Camelum. Pugnant aliqui de ueste, & interea prorsus tacent de disciplina, imò magis eam laxant, tacent & de excommunicatione, & alijs neruis uiciorum cultuum. Sed confirmas inquirunt aduersarios.

Si erit constantia in rebus necessarijs, non confirmamus aduersarios, sed declaramus modestiam nostram & studium iuuandæ Ecclesie, quod etiam seruitutem duriores toleramus, & quidem ideo toleramus, ne Ecclesiæ deserantur, item ut intelligant omnes, nos non de nostra libertate, sed de necessarijs articulis disciplinæ dimicare. Ac seruitutem eo modestius feramus, quia prætextu libertatis nimium abusi sumus omnes. Fatendum est, non uulgarem fuisse petulantiam multorum in turbanda doctrina. Nec populus tantum, sed etiam gubernatores

gubernatores & seniores nimium neglexerunt exercitia temperantiæ  
utilia inuocationi. Magna fuit in discendo, in inquisitione, & expli-  
catione ueritatis negligentia, nemo curauit inspicere Ecclesias & rudio-  
res Pastores erudiri. Multi Doctores affectibus suis nimium indul-  
serunt. Aliqui etiam miscuerunt intempestiuè causam Ecclesiæ & alia  
negocia. Hæc nostra peccata & alia multa commonefacti iam præsens-  
tibus ærumnis deploremus, & ita seramus seruitutem, ut donec pos-  
sumus prodesse Ecclesijs, non discedamus.

Nec propterea amittitur libertas Christiana, si rectè docebi-  
mus. Nam corda scient tales ritus non esse cultus Dei, sed alia maiora  
opera, ueram fidem, inuocationem, dilectionem, spem, patientiam,  
ueritatem, confessionem, castitatem, iusticiam erga proximos, & alias  
uirtutes ueros cultus Dei esse. Sine hac doctrina & sine his uirtutibus  
libertas externa in cibis, uestitu, & similibus Adíaphoris non est li-  
bertas Christiana, sed noua politia gratior fortasse populo, quia pau-  
ciora uincula habet. Obijciunt autem aliqui dictum Pauli: Si quæ  
destruxi, ea restituo, præuaricator fio. Non errauit Paulus in destru-  
endo. Ac in hac nostra infirmitate, cum primum ueteres ritus aboliti  
sunt, magna fuit & docentium, & opinionum & locorum dissimili-  
tudo. Aliqui priuatam absolutionem prorsus aboleuerant, quod cum  
non sit rectè factum, etiam ante hoc tempus restitui eam optaui. Fa-  
teamur nos homines esse, & potuisse quædam temere & incircum-  
spectè dicere & facere. Talia si qua sunt, non grauati emendemus.  
Nec restitutio aliorum rituum mediocrius præuaricatio est, cum do-  
ctrinæ puritas retinetur. Nam qui Paulo obijciabant restitutionem  
illam, uolebant eum doctrinæ genus mutare, & alijs imponere legem  
Mosaicam tanquam necessariam. Hic repugnat Paulus, alibi in usu  
attemperat se ad mores eorum, cum quibus uersatur, & propter Ec-  
clesiæ utilitatem sua libertate non utitur.

Etsi autem scio multos de hac quæstione duriores sententiam  
magis probare, tamen si profutura est seruitus ad hoc, ne amittatur  
Ecclesiæ uocem doctrinæ, neq̄ onerentur uitiosis cultibus, pia & gra-  
uis causa est, cur seruitutem quamuis duram anteferamus alijs consis-  
tens, in qua tamen nec conscientie uulnerentur, nec inuocatio piorum  
turbetur. Et quia non leuiter antea nobis dissidia nostra nocuerunt,  
non moueamus nunc inter nos ipsos certamina non necessaria, sed  
singuli in alijs quædam boni consulamus, & communi tranquillitati  
condonemus, & leniamus Ecclesiæ moesticiam nostra æquitate, quan-  
tum possumus. Ac filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum  
oremus, ne sinat extingui lucem ueræ doctrinæ & ueram inuocatio-  
nem, 29. Ianuarij 1549.

Hæc

**H**Æc series est, hæ sunt occasiones deliberationum & concessionum omnium, Ex quibus & quid fecerit quisq; apud nos, & quales sint Flacij criminationes, atq; ex quibus procedant fontibus, planum est, quæ, ut status controuersia fiat notior & illustrior, summam reperiemus.

Imperator pertasus dissidiorum, quibus indies augetentibus uehementer concuti & conuelli Germaniam cernebat, hanc pacare & coniungere rursus uoluit dissensionibus de religione ante Synodum interea ad præscriptum certæ formulæ compositis, & ordinibus ad illius formulæ approbationem executionemq; obligatis, hacq; uelut fœdere quodam inter se deuinctis, neq; quid amplius ex religionis dissimilitudine uel tumultu uel bellorum existeret, & cessaret quæ ex dissidijs hisce nata in animis infederat altè radicibus actis diffidentia mutua, quod sæpe tentaret ante alijs modis. Cum autem persuasus esset hanc, quæ postea titulo & nomine libri **INTERIM** celebrata est, talem esse, quæ tantæ rei perficiendæ sit accommodatissima futura, in hanc ordines ut consentirent postulauit, & ante publicationem in consultationibus ac consiliorum & sententiarum collationibus priuatis, & multò magis ac pertinacius & acerbius post promulgationem, quod recusationem eius Maiestatis suæ contemptum complecti & labefactare autoritatem, & nouis ac maioribus distractionibus & conspirationibus nouis patefacere fenestram res doceret,

Mauricij Electoris & Theologorum nostrorum qualia fuerint & iudicia & responsa de libro priusquam id proferretur & post expositum est. Ante promulgationem cum de libri constitutionibus priuatim disputatum & tractatum

tractatum est, Theologi consuluerunt moderatius, quod si Imperatori expetenti pacem & consensionem, largirentur quaedam in externorum non impiorum rituum restitutione, hac se concessione impetraturos sperabant uicissim, ut emendarentur libro insertæ impietates, quas suis notationibus indicarant. Nam & tractationibus, quæ antè institutæ de eadem causa fuerant, meminerant, ut qui illis ita interfuerunt, inde usq; ab initio motorum certaminum, ut suis consilijs gubernarint pluraq; & suarum promissionum quas fecerunt Imperatori, non erant obliti, & has mutare sine scelere non poterant, Deniq; consulere Ecclesijs cupiebant cum nostris, conseruando scilicet in illis id, quod Dei beneficio habebant, tum Pontificijs adhuc oppressis mole tenebrarum, eiusdem ueræ doctrinæ & Sacramentorum usum impertiendo. Impetratum his nihil est. Perstitit in sententia Imperator, Processit libri publicatio. Hanc secuta est Theologorum à politicis uiris seiunctio ac separatio. Theologi, qui momenta controuersiarum omnium & debuerunt intelligere & norant, nullo modo sese assensuros fucosis & falsis conciliationibus libri, & has suo se periculo repudiaturus ac detrectaturos constituerunt, quod & fecerunt: idemq; consilium dederunt reliquis Pastoribus alibi, & ab hac sententia nunquam deflexerunt. Neq; in ulla parte uel minima defensæ contra aduersarios doctrinæ uocem mutarunt, neq; ullius rei concessione ulla libri superstitutiones probarunt, quas expresse semper condemnatas repudiarunt constanter.

Políticos & promiscuam multitudinem onerare uel disputationibus, uel confessione de obscurioribus & ignotis materijs noluerunt, quod & dissimiles esse & in religionis negocio non exercitatos pariter, & non eodem modo affectos, nec eodem animi robore præditos scirent, His satis esse

cenſuerunt, ſi de manifeſtis & quæ certo intelligerent eſſe  
impia uel ſponte uel edocti, ut de corruptelis doctrinæ luſ-  
trificationis, de Miſſæ priuatae abuſibus, de Pœnitentiâ, de  
Inuocatione Sanctorum, de magicis conſecrationibus & ſi-  
milibus expreſſe ac diſertè profiterentur, ſe librum amplecti  
nec uelle nec poſſe, quòd anteferendam eſſe ſciant obedi-  
entiâ Deo debitam, & res ad Dei gloriam uindictandam ac  
tuendam pertinentes, obedientiæ Magiſtratuſi debitæ. De  
rituum externorum non impiorum, & qui ſua natura ſunt  
*ἀδίαφογοι*, & utiliter retineri atq; uſurpari in Eccleſia poſ-  
ſent, conſeſſione, deferrent & ſponderent obedientiam Im-  
peratori. Quod quidem inde uſq; ab initio motarum con-  
trouerſiarum conſilium in omnibus de religione deliberatis  
onibus fuerant ſequuti.

Ita ſe ergò tandem ab Imperatore quanquàm conſen-  
ſum & approbationem in præſentia ſeuerè & obſtinatè fla-  
gitante, liberauit Mauricius Elector, ut reiectis ſua troce &  
teſtimonio ſuo manifeſtis & notorijs Idolis, erroribus & ſu-  
perſtitionibus libri, in reliquis, quæ piè & ſine conſcientiæ  
offenſa & non contra Dei expreſſa mandata præſtari poſ-  
ſent, obſequentem ſe futurum, re cum ſuis communicata  
obſtrinxerit. In hac ſententiâ perſeuerauit Princeps Mau-  
ricius, ut in ſua perſiſterunt Theologi.

De omnibus hiſ deliberauit Mauricius Elector cum  
ſuarum regionum ſubditis, Theologis adhibitis. Theologi  
perſeuerantes in ſua ſententiâ dehortati ſunt Principem  
cum obteſtatione à mutatione omni, quam uiderent pa-  
rituram & ſuſpiciones multiplices & uariâ iudicia, libro  
Auguſtino ſimul noua confutatione repulſo & exploſo.  
Reſpondit Mauricius Elector duorum alterutrum ſe oportere  
facere, (de tertio enim non faciendo, id eſt, de impietas  
tibus ſtabilitis in libro non recipiendis, ſe iam conſtituiſſe)  
Nana

Nam aut declarare se oportere Imperatori, si quidem multa  
contineret liber expressis Dei mandatis contraria & con-  
scientijs periculosa & per se impia, quaedam media & suo  
genere non impia, in quibus & quatenus cedere atq; ob-  
temperare possit salua Dei gloria, integra ueritate doctrinae,  
& incolumibus suarum regionum Ecclesijs: aut expressa  
omnis obedientiae recusatione experiri incertum belli euen-  
tum. Quod si hanc sequendam illi uiam censerent potius  
quam priorem doceri se oportere ante omnia de belli causis,  
An ad arma capienda contra Magistratum, & attrahen-  
dum suis Ecclesijs bellum, etiam satis sit futurum causae, si  
ante tentatum animum Imperatoris declaratione legitimae  
& à Deo mandatae obedientiae in ijs rebus, in quibus ipsi  
multo ante censuissent praestari eam sine impietate posse, pa-  
riter & sine discrimine omnem obedientiam detrectaret.  
Existimare se nunquam hoc ipsos uel suasuros uel proba-  
tuos esse, qui Imperatorem & Magistratum esse sciant, &  
uenerati sint ipsi atq; ornarint semper scriptis & concioni-  
bus suis, eumq; in haec consilia quanquam nec recta nec sa-  
lutaria, tamen bono studio pacis descendisse non ignorent,  
& in similibus deliberationibus multo ante & multoties de  
rebus medijs Imperatori pertinaciter non esse aduersan-  
dum, si ueritas doctrinae retineri possit, statuerint, ne secus  
ac res est, de doctrinae genere suspicetur ac de autoribus,  
quali praetextu emendationis abusu sit quaesita ἀναρχία  
in Ecclesia & Imperio. Nec se causam uidere, quare de ijs  
rebus ipsum armis seditiosè raptis dimicare contra Magi-  
stratum uelint, de quibus alios pugnare noluerint.

Sibi uero si de causa concludatur, & suarum regio-  
num subditis, tum hoc etiam cogitandum esse, an moto bel-  
lo uires harum regionum potentiae Imperatoris recenti uictor-  
ia plurimum confirmatae, & ad ducendum bellum instructae,  
sint sua

sint futuræ pares, tum præstandum atq; cauendum, ne si de non necessarijs neq; impijs incerta belli fortuna prælientur, amittant necessaria, deuastatis bello Ecclesijs prorsus atq; in solitudinem reductis, excusis pastoribus, deleto Ministerio, extincta uoce ueræ doctrinæ, sublato usu Sacramentorum, legibus honestis abolitis, neruis disciplinæ Ecclesiasticæ & politicæ administrationis incisis, & terris his uniuersis regni Pontificij idolomania & seruitutis acerbæ tristissimo iugo oppressis, cuius rei exempla cernantur in Ecclesijs Sueuicis & pluribus alijs uis domitis & disturbatis. Harum rerum si iacturæ non necessario bello præberet causam, graue hoc esset futurum sibi admodum & periculofum. Nec posse se ullo modo conscientia persuadere suæ, quod debeat detractione obedientia in ijs, quæ Dei mandatis non aduersentur, nec sint per se impia, bellis aut uerè aut certè in speciem seditiosis inuoluere, & obijcere periculis extremis non fortunas tantum suorum, sed multo magis animarum salutem & conscientiarum, quas, si res aliter caderet, necesse esset & dubitare tandem de religionis ueritate, errore concepto ex non distinctis necessarijs & diuinitus traditis à non necessarijs, & neq; præceptis neq; prohibitis à Deo, & periclitari de tota doctrina. Non fieri posse aliter, quin si hæc detrectet, quæ largiri possit, culpa se seditiosi & contumacis Principis & publicam pacem petulanter turbantis astringat.

Censere se itaq; experiundam prius esse alteram uiam, qua si nil proficeretur, faciliorem fore causam. Nam si uim usurparet Imperator tentata Libri exequutione armis, uim, si illa suppeteret, firmiore & certiore conscientia opponi posse. Si uis uis reprimi non posset, sustinere & perferre omnibus persecutionum calamitates in explicata & pia causa foret facilius, iam uerò se promisso & sponsione, qua usus coram Imperatore & alijs, decreta impia libri reiecerit, obligari

gari ad obedientiam præstandam, quæ piè & sine offensio-  
ne conscientiæ præstari posset. Itaq; se petere, ut interro-  
gait, de quibus ipse & sui concedere Imperatori in ritibus  
Adiaphoris possent aliquid, de eo ut cum respectu salutis  
harum Ecclesiarum & gloriæ Dei in primis & ueritatis do-  
ctrinæ piæ ac diligenti communicatione consiliorum decer-  
nant & respondeant. Nam & per se antea conditionem sua-  
rum Ecclesiarum flagitasse conformitatem in ritibus. Pro-  
pterea cupere sese, ut illam antea approbatam rituum de-  
scriptionem in hac deliberatione præcipuè intueantur.

Quid faciendum igitur fuit hoc statu rerum Theolo-  
gis? An desertis his Ecclesijs & destitutis communicatione  
doctrinæ, piorum consiliorum, commonefactionum, &  
consolationum in summo discrimine, quo res redierat ad  
pericula comitatura confessionem uniuscuiusq;, & pericli-  
tabatur cum ueritate doctrinæ salus animarum: An igitur  
fugere tunc debuerunt ceu mercenarij, ut fecerunt censores  
nostri, & consulere suæ tranquillitati, latebris quæsitis, in  
quibus tuto delitescerent? An uero in statione sua substan-  
tes operam dare debuerunt, ut plantatæ doctrinæ puritatem  
& ipsas Ecclesias quantum possent, tuerentur ac uindica-  
rent, & monendo consulendoq; arcerent ac summouerent,  
cùm machinationum dolos, tum uiolentiæ uim, quibus Li-  
ber Augustanus obtrudebatur, quocunq; suo cum pericu-  
lo? Et si cedendum non fuit, An faces seditionum esse &  
incitare debuerunt subditos ad eam obedientiam Magistra-  
tui armis seditiose detrectandam, ad quam piè & cum bona  
conscientiâ mandato diuino præstandam Princeps & sub-  
diti per sese, & de ueteri ac recenti permissione Theologo-  
rum sese obstrinxerant, præsertim cum hos ita affectos esse  
intelligerent, ut retinendæ doctrinæ & ueræ religionis cau-  
sa persecutiones sustinere ac subire non recusarent? An ue-



rō potius disertē erudire hos debuerunt, cū id peterent & postularent (neq̄ enim à Theologis hæc deliberationes oratae sunt, nec tam ad Theologos quā priuatim ad unum quēq̄ pertinuerunt) de quibus in doctrina hæcenus controuersis capitibus pertinentibus ad Dei gloriam & salutem animarum confessionem edere oporteret & nihil concedere. Quæ uerò ex humana autoritate pendentia, & constitui ac mutari humano consilio consueta non tamen contra normam sacrae scripturae, talia essent, ut concedi Imperatori possent, quo & Deo præstaretur cultus debitus, & non uiolaretur obedientia, quam Magistratui Deus destinauit atq̄ addixit, uitareturq̄ seditose contumaciae culpa, & uel bellorum rabies auerteretur, uel si persecutionum pericula expectanda essent, prius constitueretur, quas res oporteat autoritati humanae cuiuscunq̄ anteferre?

Qui uel relictas Ecclesias doctrina, consilijs & commonefactionibus destituendas, uel protinus concirandas contra Magistratus potius, quā recto discrimine inter diuinitus præcepta atq̄ immota & immutabilia, ac reliqua Adiaphora erudiendas prius fuisse censent, quomodo hæc Deo excusent, uiderint. Nostri ut fideles ac pijs Doctores ac ministri salutem Ecclesiarum suarū pluris fecerunt quā propriam, & quas rebus secundis ac florentibus constituerant ac rexerant, illis in aduersis & extreme laborantibus consilio pio deesse noluerunt, quicquid ipsis accideret priuatim uel ab hostibus uel à calumniatoribus.

Si itaq̄ consulendum fuit, quod dare consilium poterunt aliud, quā illud ipsum, quo toto tempore mutatis onis usi fuerunt? scilicet ut demonstrarent, quos in Pontificio agmine abusus, errores, cultus idolatricos taxassent, & ex his Ecclesijs sustulissent, quos sine impietate, abiectioe fidei, abnegatione ueritatis, periculo aeternae salutis reuocare non

re non possent, & propter quos hæc facta esset seiunctio, Deniq; de quibus constantiam in confessione, patientiam & obedientiam in cruce & persecutionibus Deo præstari oporteret: In quibus contra conatum obedientiæ declarare Imperatori liceret, qua declaratione uel amolirentur pericula, quæ impendebant non fortunis tantum uniuscuiusq; sed multò magis Ecclesijs ipsi, doctrinæ & toti ministerio. Aut si illa non auerterent, liberarent dubitatione & metu conscientias necessariarum à non necessarijs distinctione explicatas ac confirmatas.

Cùm ergo postulationi Principis & subditorum refragari nullo modo liceret, quanquam calumniarum metu abhorrentibus ab omni concessione, deuentum est tandem ad deliberationes de Adia phoris, quas electi ex ordinibus subditis & consiliarijs, cõceptis scripto formulis, exorsi sunt. De his quid concesserint & quatenus & quibus legibus ac conditionibus, & in quos usus, diserta, clara & explicata Theologorum responsa docent, Ex his ipsis, præter tres ritus uel quatuor ad summum, reliqui omnes antea his Ecclesijs in usu fuerunt, retenti consilio, mandato & autoritate Lutheri & aliorum, quibus inspectio & constitutio Ecclesiarum prima commendata fuit. Formam rituum eandem usurpat & usurpauit hucusq; in administratione & distributione Cœnæ dominicæ maxima pars Ecclesiarum in his regionibus, quæ in ordine concessorum rituum exprimitur, neq; additum illi quicquam neq; detractum est. Sola nostra Ecclesia & quædam uicinæ ἀνάθεμα ἔστω abrogauerunt, de qua ut & de linea ueste Reuerendus Dominus Pastor D. Pomeranus promittere plura non uoluit, quam à Pastoribus suæ inspectioni subiectis impetrare bona gratia posset, Ideo ἀνάθεμα ἔστω ex ea formula, qua postremo descriptus est ordo rituum obseruandorum in his Ecclesijs conformia

conformitatis causa, prorsus sustulerunt, ne confirmaretur  
introducenda Pontificijs abusibus adoratio panis, quamquam  
primæ & puriori Ecclesiæ in usu avâd hęc fuisset. De linea  
veste quidem sola, cuius usum tamen constat in maxima  
parte harum Ecclesiarum nunquam fuisse intermissum, plu-  
rimum turbarum ac tumultuum fuit excitatum, ita ut de  
hac penè sola præcipue dimicatum sit. Confirmationis ritum  
quem concedant, & quomodo ac in quos usus, quidue  
spectarint, descriptio admonet supra posita. De Festo cor-  
poris Christi, ut uocatum est, quod inter dies festos consig-  
nant postremò hęc, qui et digesserunt ordine capita rituum,  
& de singulis sunt sciscitati, eò libentius assensere, ut eo die  
de horribilibus abusibus & prophanationibus sanctissimæ  
Cœnæ Dominicæ in circumgestatione & adoratione panis,  
cuius tetra Idolatriæ nervos stabiliunt censores nostri,  
populus commonefieret & doceretur. Imo ut hoc festum  
esset uelut Enceniorum festum, quo de repurgato Templo,  
id est, de liberatis Ecclesijs nostris ab Idolo Maozim, quod  
autoritate Pontificum in Dei locum collocatum & à super-  
stitiosa multitudine diuinis honoribus atq; adoratione cultum,  
tot annis sanctum locum Tyrannicè tenuit & blasphemè  
polluit ac prophanauit. De hoc ergò beneficio & red-  
dito Ecclesiæ uero & integro cœnæ Dominicæ usu, ut seriæ  
& ardentes Deo gratiæ agerentur, & peteretur huius bene-  
ficij conseruatio. Mentione unctionis, quam uocem usura-  
parant hęc, qui de Adia phoris interrogarunt, consuetudinem  
uisitandorū agrorum receptam antè in his terris accipi, &  
cōsecrationes uel execrationes potius olei impias & blasphemæ  
extremè condemnatas & explosas esse, toties repetitæ  
commonefactiones de uisitatione agrorum & condem-  
nationes Christinatis ac consecrationum olei ostendunt eui-  
denter, quæ ex tota præmissa serie repetantur. Canonem  
torum

totum peculiari scripto refutarunt & reiecerunt, nec potest  
ulla ullius impietatis in his ritibus concessio demonstrari.  
De reddenda uero Episcopis iurisdictione non assensisse aliter,  
nisi ea conditione, si hostes sese illi non declararint ueritatis  
& Ecclesiarum nostrarum, & examina instituerint serua, quibus  
audiantur ordinandi de doctrina Ecclesiarum nostrarum:  
Mauricium Electorem similiter tota series deliberationum  
& exitus planissime conuincit, eatenus de restitutione  
iurisdictionis recepisse, quatenus Episcopi persecuturi  
Ecclesias nostras non essent, & ordinaturi legitime sine ulla  
obligatione impia commendatos. Post exploratas uero uoluntates  
Episcoporum, nihil omnino reddidisse illis, sed confestim a soluto  
Conuentu Lipsico curam rei Ecclesiasticae uniuersae Academiae,  
Consistorijs & Superintendentibus harum terrarum commendasse  
deuotum, id ergo cum publicum sit & notorium, tamen impudentissime  
Flacium contra hanc manifestam ueritatem tumultuari tam nefario  
clamore non puduit. Haec fere concessionum summa est.  
Nam ritus reliqui usitati Ecclesijs fuerunt antea.

De his quae ad conuocatos in oppido Grimmeni  
Pastores & inspectores suarum Ecclesiarum referri curauerunt,  
& quos conformitatis causa ritus requisierit Princeps  
Electo, testantur, quae supra sunt exposita. Simul autem  
ipse sua uoce tunc professus est grauiter & cum adseueratione,  
propter suspensiones, quibus grauabatur a Flacianis  
& calumnijs, nullam se uel requirere uel moliri in doctrina  
aut aliqua re necessaria mutationem. Sed hoc conari,  
ut declarando obedientiam Imperatori in confessione paucorum  
quorundam rituum non impiorum, & efficiendo in suis  
Ecclesijs conformitatem, quam exigeret necessitas, auerteret  
& pericula, quae minitarentur his terris uastitatem  
& religionis deletionem, & incommoda, quae ex rituum

tuum dissimilitudine atq; Ecclesiasticæ disciplinæ plus ni-  
mia laxatione abusuq; petulanti libertatis Christianæ hacten-  
us extitissent. Doctrinæ enim puritatem conseruatam se-  
cupere, & conseruare ac defendere Deo iuuante uelle uel  
cum uitæ & omnium fortunarum periculo. Ideò benignè  
se postulare, ne grauentur in horum rituum receptione &  
instauratione, ubi usus eorum abrogatus exoleuisset, nō in-  
uiti obtemperare, & secū unà hoc conari & agere, ne turben-  
tur, & maioribus implicentur periculis doctrinæ & minis-  
terio interitum allaturis Ecclesiæ, & ut hæc disciplina paulo  
seuereiore regantur, cuius laxationem detrimento his & do-  
ctrinæ propagationi ac morum gubernationi impedimen-  
to esse in conspectu sit.

Inde noua deliberatio orta, quæ ad Pastores proprie-  
pertinuit, quales se in abrogatorum rituum ἀδίαφορων resti-  
tutione gerere erga Principem & Ecclesias suas debuerint.  
Etsi enim maxima pars earum ceremoniarum, quæ requi-  
rebantur, nunquam in usu esse desierant, disputatum ta-  
men fuit, an reuocari in usum intermissæ possent ad cauens-  
das maiores perturbaciones ac dissipaciones, & conformita-  
tis atq; congruentiæ causa, & in gratiam Principis uolentis-  
satisfacere fidei & obedientiæ Imperatori debitæ salua pie-  
tate & religione ad Deum. Omnino cum institutum esset  
Principi, & conscientiæ propriæ & salutis suarum Ecclesiarum  
non discedere à promisso obedientiæ, quæ nihil haberet  
impietatis, Pastoribus aut deserendæ fuerunt Ecclesiæ,  
aut seditiones quocunq; euentu concitandæ contra Principem  
& Imperatorem, aut cedendum fuit, & ferenda seruis-  
tus non impia, ut ab omni impietate, superstitione & pro-  
phanitate Ecclesias defensas cum puritate doctrinæ & uero  
usu Sacramentorum conseruarent.

Ex tribus his sententijs, tertiam qui Grimmæ adfuerunt,  
elegit

elegerunt, Autores seditionum esse nec debuerunt nec uoluerunt, qui seditiosas molitiones & tumultuationes semper procul fugerant & fuerant execrati, & suo loco omnium uisum conatu antea compescuerant ac represserant, & de Magistratibus pie & honorifice docuerant, & de sese dixerant, si quid commouerent periculi aut parerent aduersi, editæ ab ipsis refutationes impietatum, hoc sese subituros suis ceruicibus, non deriuaturos à sese in harum terrarum incolas, denique quibus causa ad seditiose clamandum nulla iusta afferebatur. Ecclesias uero deserere, quo animo & qua conscientia potuerunt illo tristissimo & ærumnosissimo tempore, propter eas res, quas fuerant toties sponte largiti Imperatori: Cum iussi diserta Confessione explicarunt momenta controuersiarum, Crudelitas enim fuisset & impietas, si, ne reducerentur in Ecclesiam pauca Adiaphora, abiecissent ministerium spontanea desertione, aut seditiosis molitionibus præbuisent causam euerfioni Ecclesiarum, cum Adiaphora in nostra potestate posita, nobis seruire ad doctrinæ propagationem tractationemque, & ministerij conseruationem, pia exercitia, denique nominis diuini celebrationem debeant, Et à nobis pro ratione circumstantiarum, si expediat & sit utile ad damna et detrimenta cauenda maiorum uastationum, dissipationum uel & rægiæ usurpari uel omitti, aboleri, uel instaurari, liberè possint. Quicquid de causis mutationum talium edoctus offenditur, iniuste offenditur, & libimet ipsi causa est scandali. Prætulerunt ergo tertiam, quam de sequituris calumnijs certi et huius sententiæ causas ac rationes grauisimas & uerè pias atque Dei gloriam & Ecclesiæ salutem complectentes sæpe hactenus exposuimus.

Has Actiones ad Dei solius gloriam & conseruationem puritatis doctrinæ, uerorum cultuum Dei, omnium rerum necessariarum, ministerij Evangelici purioris in

hi Ecclesijs directas, quàm sceleratis calumnijs, quàm impudentibus mendacijs, quàm atrocibus infectionibus sine modo & sine exagitarit Flaciana factio, testantur Charitarum agmina, quæ totis decem annis instructa & emissa circumuolitarunt. Quid enim non tributum est nostris impudentissime? Initio hæc iactabantur uoces: Nihil fuisse largiendum, sed seditionibus aut terrendos aut excutiendos Principes, & perturbanda fuisse atq; euertenda omnia. Postea ad hæc accumulabantur alia: doctrinam de iustificatione corrupisse nostros: Reuocasse impias Ceremonias in Ecclesiam: subiecisse Ecclesias impijs Episcopis hostibus: Fornicatos esse cum scorto Babylonico: Conciliationes fecisse cum Belial, & gratificatos esse & seruasse Diabolo. Nec ulla cogitari aut concipi potest atrocitas criminum tanta, quam Flaciana factio non effuderit.

Prouocamus ergò ad cognitionem & iudicia omnium piorum in toto orbe Christiano, & obtestamur eos, ut propter Dei gloriam & Ecclesie salutem atq; incolumitatem, ad hanc ueram narrationem, de qua testaturos nos profitemur ubicunq; fuerit opus, Flacij ex suspicionibus, somnijs, rumusculis, calumnijs, mendacijs extructas atq; instructas accusationes & criminationes de corrupta doctrina, de receptis impijs ritibus, de collusionione cum hostibus haud grauatim conferant, Et an hæc concessiones paucorum & utilium rituum accommodatæ conseruationi ueræ doctrinæ & saluti atq; incolumitati harum Ecclesiarum, quæ sola spectata & quæsitæ fuit, cum ex his nullus alius sperari fructus ab illis posset, qui deliberationibus interfuerunt, præter eum, quem de criminationibus & condemnationibus iniustissimis perceperunt. Hæc inquam concessiones, an talium condemnationum atrocitatem meruerint, statuant. Simul etiam malis tantis, quæ Flacij calumnijs inuecta

uecta in Ecclesiam, crescunt quotidie & exasperantur, ut  
salutaria & conuenientia remedia quærant, oramus.

Vtinam delegitima & pia Synodo Principes religio-  
nis nostræ seriò cogitent, in qua de remedijs his uulneris  
bus Ecclesiæ adhibendis deliberetur communi consilio pi-  
orum hominum, ut frenetur & compescatur licentia & pe-  
tulencia improborum hominum, odijs, ambitione, super-  
bia & malicia corruptentium explicata dogmata, seditiose  
tumultuantium & muniendum sese factionibus, quorum  
præsidijs consistant & ferociant. Hoc ut faciant, propter  
Dei gloriam eos obtestamur. Præcipuum munus Princi-  
pum est, qui præcipua sunt membra Ecclesiæ, præstare, ut  
populus recte de Deo doceatur, & adstretiat ad ueros atq;  
à Deo præceptos cultus, & Deum recte in agnitione & fi-  
ducia filij ipsius Domini nostri Iesu Christi inuocet & colat,  
& prohibere, ne corruptelis nouis & explicatorum dogma-  
tum deprauationibus conuellatur Ecclesiæ consensus, &  
turbetur inuocatio piorum, Hunc consensum Deo iuuante  
nostri qua poterunt fide et diligentia ut semper fecerunt, iu-  
uabunt ac promouebunt.

Quæ autem consilia & studia, qui conatus, quanta  
de Ecclesia sollicitudo, qui gemitus, quam ardentibus ad De-  
um preces fuerint hoc tempore nostrorum, quæ sustinuer-  
int ipsi pericula, & narratio testatur, & nos possumus tes-  
tari omnes: Neq; Flacius ignorat ipse, qui tunc spectator  
horum omnium coram, & perfidus ac perniciosus ciuis Ec-  
clesiæ nostræ fuit, quiq; ex concessis ritibus pleroseq; paucis-  
simis exceptis, remansisse in hac nostra Ecclesia post muta-  
tionem probe nouit.

Nihil gloriose, nihil arroganter prædicamus de nos-  
tris, quos sua merita pijs omnibus omni tempore com-  
mendabunt; Sed agnoscimus & grata mente celebramus  
merita



merita omnium eorū, qui tunc, cum Sphinx Augustana in  
Ecclesias nostras immissa fuit, fortiter sese huic opposuerunt,  
& ne progrediretur, ac uastationes efficeret & lacerationes  
maiores, repugnando prohibuerunt. His agimus gratias  
publico totius Ecclesiae nomine, Agimus & Deo gratias,  
quod aliquos excitatos & roboratos Spiritu suo sancto im-  
pulerit ad suscipiendum uerae doctrinae patrocinium. Rur-  
sus & hos obtestamur, et alios pios ac bonos ubiq; locorum,  
ut nostris uicissim tribuant quod eis debetur, & cogitent  
hos primos & in prima acie ante ceteros omnes, & cum  
certamen ferueret maximè, dimicasse, & insultus atq; im-  
pressiones primas easq; difficillimas & periculossimas so-  
los sustinuisse, & exhaustisse prima pericula, & uehementis-  
sus petitos esse, et periculis semper fuisse proximos. Reliquos  
longius abfuisse, ac horum προμαχων certaminibus audacia-  
ores fuisse & tutiores. Nec propter inèdaces & ingratas ci-  
uiminationes Flacij hæc præclara nostrorum merita abijciant  
& obruant.

Edidit suam Princeps Elector confessionem intrepide  
de non sine discrimine coram Imperatore, testatus grauius,  
quod impietatibus Libri assentiri non possit. De reliquis,  
quæ cum pietate ad Deum & sine uiolatione expressi uerbi  
Dei fieri possent, spondit obedientiam, & cum præ ceteris  
solus urgeretur uehementius, ut qui aduersari solus & ex-  
equutionem prætextu deliberationum remorari sciretur,  
penè solus sustinuit iram Imperatoris, cōminationes & peri-  
cula, & tenuit reliquos, & ne procederet exequutio, impedi-  
uit, donec tandem confirmatos uiribus & potentia conatus  
Imperatoris elideret & euerteret omnes, & compararet suis  
ac reliquis Ecclesijs coniunctis firmam ac stabilem pacem,  
de quo beneficio primum Deo, deinde & optimo Principi  
gratiæ debentur aeternæ.

Edis

Ediderunt & suam Theologi de corruptelis omnibus priuatim & publicè confessionem ex professo, & in alijs scriptis multiplicibus, Repudiarunt Librum, & in reiectione perstiterunt. Nec defuerunt Ecclesijs reliquis consolando, monendo, docendo, confirmando, & doctrinam uoce ac scriptis publicis repetendo. Cesserunt Principi uolenti satisfacere mandato diuino præcipienti obedientiam erga Magistratum, ac suæ conscientiæ, & cupienti Ecclesias aliqua rituum & disciplinæ Ecclesiasticæ similitudine conformare concessis paucis ritibus, & ijs, quos concesserant, piè & utiliter declaratis, quique cum nulla prorsus sunt coniuncti impietate; approbatis reliquis, quorum usus iam ante in maxima Ecclesiarum parte perdurarat usque ad ista tempora.

Sed inclinationem ad Pontificios hac concessione factam fuisse clamitant. De hac respondemus. Ne existiment tam stolidos esse nos & incogitantes, ut causas harum præstigiarum, & huius calumniæ comparatæ ad fascinandam multitudinem non intelligamus. Quæ inclinatio fieri potest, si constanter propugnentur contra Aduersarios & retineantur, quæ contra eos defensa semper fuerunt, & eodem modo declaretur perpetuò atque illustretur discrepantia ac diuersitas, qua nostræ ac Pontificiæ Ecclesiæ dissident præcipuè ac differunt, & quibus non emendatis apud Pontificios, nulla nobis cum illis coniunctio, nulla possit esse societas. Nec tribuatur illis ulla in re quidquam, sed ostendatur Imperatori, (quod quam diu has de componendis dissidijs Imperator quicumque deliberationes renouarit & uiserit, fieri oportebit, si iniri in Imperio ratio concordia debet) quousque sese extendat obedientia ipsi, ubi desinat, & ultra quas metas nec

nec progredi illa debeat, nec ipsum exigere aliquid amplius deceat. Sunt autem hæc omnia à nostris præstita. Et quibus de causis aut debuerunt aut potuerunt ab usurpata antea confessionis forma discedere, & miscere cum controuersis ac necessarijs non controuersa & non necessaria, quæ accurate multoties distinxerant.

Quare autem, quæ hoc tempore sub Mauricio Principe facta est concessio, inclinationem peperit: quæ repetita fuit toties ante bellum, speciem inclinationis nullam habuit? Quare quæ à nostris à morte Lutheri usurpata est longe astrictior concessio ad amouendam ab his Ecclesijs seditiosæ contumaciæ culpam et maiora pericula auertenda, quæ totum erant abolitura ministerium, reprehenditur: Quæ uiuo Luthero ab ipso Luthero & scriptis publicis & priuatis, & cum Luthero ab his ipsis Theologis nostris præstita est Imperatori propter easdem causas, offendit neminem, & caruit reprehensione, imo fuit approbata. Cum concessiones utriusque temporis, si conferantur, edoceant, illas uiuo Luthero admissas plura largiri Imperatori, has artius contractas & explicatius definitas esse.

Sed tempus confessionis fuit, inquiunt? Quasi non fuerit tempus confessionis totum à mutata & emendata religione tempus, & non exegerint confessionem omnes de religione indictæ & institutæ colloquutiones, cum ad reddendam rationem fidei & doctrinæ autoritate Imperatoris toties Theologi nostri euocati fuerunt. An mutato dominio in his terris oportuit fieri & conditionem aliam profitentium causam fidei, & mutari causam ipsam, sententias & pia consilia, & dici ac doceri alia, quàm dicta fuerant ante mutationem, cum fiducia præsidij & defensionis augere animos poterat? An exuerunt tam subito naturam suam ad idem partibus edendæ confessionis deuolutis in Principem

pem Mauricium, & desierunt illa esse, quæ adhuc paulò  
antè fuerant, reliquis Principibus sese ad concessionem eo-  
rundem offerentibus? Quæ uerò illa tam subita conuersio?  
Si fingunt censores nostri, Christianum hominem talem esse  
debere, qui dogmata & sententijs mutare ex occasionibus,  
& inflectere consilia ad circumstantias, locorum, temporū,  
personarum & rerum, & fortiter petulans mouendis non  
necessarijs, & petulanter pertinax esse sciat in elidendis &  
impediendis salutaribus cōsilijs aduersatione speciosa, tunc,  
cum præsidio munitus & defensionis fiducia tutus fuerit,  
quod de sese Flacius probauit, quales sint ostendunt. Si  
pietatis, integritatis & constantiæ Theologicæ est eadem  
sentire & dicere quocunq; tempore & periculo quocunq;  
Cur condemnantur nostri, qui & de doctrina dixerunt ea-  
dam rebus secundis & aduersis, & de ritibus medijs conces-  
serunt eadem, et de apprehensa semel ac defensa ueritate pu-  
gnarunt eodem modo obiecti periculis extremis & omni-  
bus humanis destituti præsidijs, quo antea pugnarant præ-  
sidijs septi ac tecti uelut clypeo fœderis, cui ut nunquam  
confisi sunt tantum, ut fiducia illius rebus florentibus inso-  
lentius aut petulantius aliquid mouerint, aut detrectarint  
aliquid Imperatori contumacius ex illis, quæ concordiæ &  
pacis causa concedi possent, sic postea nec metu potentiæ  
Imperatoris uictoris, aut sequuturarum & iam impenden-  
tium persecutionum concesserunt aliquid amplius, quam  
concesserant antea, & hoc quod concesserunt abhorrentes  
ab omni mutatione, admiserunt propter Ecclesias de ueri-  
tate doctrinæ & salute sua sollicitas & periclitantes, et peten-  
tes sibi ostendi, de quibus cedere nec deberent nec possent,  
& quidem largiendis cum bona conscientia obedientiæ Im-  
peratori debitæ satisficeret. Non fiducia fœderis aut ullarum  
uirium humanarum mouerunt certamina non necessaria

ante bellum. Nec orbatū præsidij post bellum ac minis pe-  
titi & circumuenti periculis causæ piæ & necessariae, de qua  
certamen extiterat, defuerunt ulla in re.

Quid itaq; prætermissum sit à nostris, quod ad eden-  
dam confessionem pertinuit, & qua in re confessio hoc tem-  
pore præstita discreparit à priori, ex hac tota serie pertextæ  
narrationis censors nobis nostri ostendant. An non repe-  
tita sunt eodem modo sine mutatione ulla & sine mutatione  
refutationes & reiectiones abusuū, errorum, & idolorum  
Pontificiorum, & declaratum est explicatè & perspicuè sine  
ulla ambiguitate non sese approbaturus libri Augustiani im-  
pietates.

De ritibus uerò Adia phoris & de Episcoporum au-  
toritate nonne responsum hoc est, quod responsum semper  
fuerat antea: & quos ritus & quatenus probarent, nonne  
explicatè definitum est, procul remota & exclusa ac con-  
demnata omni superstitione & necessitatis ac cultuum im-  
pia opinione? etsi in his formulis notationes potius sunt &  
indicationes, & liber qui formam rituum obseruandorum  
integram proposuit Pastoribus Cremae, & receptus atq; ap-  
probatus est, integram habet descriptionem atq; explicati-  
onem.

Ne uerò concessionis uocabulo ludere uideamur,  
hoc addimus: Extant Lutheri concessiones publicis com-  
mendate monumentis, Extant & priuata confessionum  
Chirographa, & alia quæ communi consilio omnium no-  
strorum Theologorum Luthero uiuò & hæc gubernante  
conscripta fuerunt, & quidem ex his quædam paulò ante  
Lutheri mortem. Et prouocamus ad testimonia omnium  
eum Theologorum tum uerò Illustrissimorum Principum,  
qui tractationibus de religionis negotio in conuentibus  
Imperij & interfuerunt & præfuerunt. Nec dubitamus  
Illustrissimè

Illustrissimum Principem Philippum Landgrauum Habsiae  
&c. Dominum nostrum Clementissimum, cuius mentio-  
nem ea qua par est reuerentia hoc loco usurpamus, omni-  
um magna ex parte meminisse.

Vnam tamen ex plurimis Lutheri concessionibus  
formulam subiiciemus, cuius est *αυτογραφορ* in Bibliotheca  
Illustrissimi & Reuerendi Principis Georgij Anhaltini,  
eam potissimum ob causam, quod hanc Flacius uetera-  
torie deprauatam edidit.

**QVÆSTIO DE RITIBVS ME-**  
dijs proposita Luthero: An liceat ex ritibus medijs antè  
abolitis reuocare aliquos in Ecclesiam coniungendarum  
Ecclesiarum causa quadam externorum rituum con-  
formitate, ne Schismatici culpemur pugnantes  
de non necessarijs: An uerò libertas Chri-  
stiana pertinaciter sit defen-  
denda?

De hac quaestione respondit his uerbis Lutherus, si-  
cut de Germanico in latinum conuertimus.

**S**I de Capitibus controuersis consensus non fiat, quid attinet de  
his extra rem positis rebus demere multum aut concedere. Si  
constitutus consensus fuerit, quantum ad res medias cedemus,  
feremus, præstabimus, quæ nos decent & requirent ipsi. Vbiuncq;  
enim Christo sua tribuuntur, quæ nostra sunt propter Christum li-  
benter abiecta relinquemus. Sed ne cogitent contumaciam nos affe-  
ctare de industria, etiam pendente lite & controuersia hærente, ta-  
men, quantum ad me, pacis & concordia causa libenter de medijs  
rituum restitutione consensurum me promitto, sed ne his mea  
mihî conscientia oneretur. Idq; in omnibus meis professus sum  
scriptis. Utinam eosdem eodem modo ipsi amplecterentur. Sed ut  
his conscientia grauentur, Christus meus ferre nequit.

Hæc sunt Lutleri uerba. Sed non tam nitimur autoritatibus & exemplis, quam ueritate causæ. Quæ est enim mediõrum rituum ratio alia, quam ut seruiant rei principalis, id est, ministerio doctrinæ & Sacramentorum, exercitijs precum & inuocationis, & similibus rebus præceptis à Deo & necessarijs, sine opinione necessitatis aut cultus, quam ueræ doctrinæ uox irrepere non patitur, & si irreat, redarguit ac condemnat. Et hos usus ut præstent, quibus destinati sunt, cur non possent ex occasionibus circumstantiarum flagitantium mutationem, pio consilio nouari, abrogari, restitui, usurpari, omitti, sicut res poscit, ut principalia, integra, incorrupta & salua præstentur. Et de causis cur id fiat, populus rectè erudiendus est, quibus cognitis, qui non contentus tumultuatur in Ecclesia & calumniatur recta & pia consilia, improbus est, sibimetipsi & alijs offensionis est causa, & de tali scandalo, quas reddat Deo rationes cogitet. Non de mutationibus rituum mediõrum, sed de mutatione doctrinæ, necessariõrum cultuum mandatorum diuinitus concionatur Paulus, cum inquit: Cum, quæ destruxi, instauro, præuaricator sum. Quod si concessiones omnes & mutationes in rebus medijs censors nostri condemnant, quam habeant de medijs ritibus opinionem explicent nobis. Quæ est libertas Christiana in usu rerum mediõrum, si, cum opus est, de consideratione diligenti, iudicio & sententia piorum & intelligentium, cum Ecclesiæ salute, ut uera doctrina & omnium rerum necessariõrum usus integer & incorruptus conferuetur, ad normam ac præscriptum ueræ doctrinæ mutare eas non licet? Et quæ fuisset, non dicemus fauittia, sed incogitantia Theologorum, si hoc dubio & periculoso statu rerum conscientias tot mille hominũ onerassent confessione de ritibus medijs potius, quam de capitibus rerum principalium cõplectentium salutem uniuscuiusq;

cuiusq; ut taceamus de Theologis ipsis, quos, ut supra ostendimus, necesse fuit relinquere posteritati certa & explicata testimonia de reprehensis & emendatis in Ecclesia Pontificia erroribus, abusibus & idolatricis cultibus: Tradant ergo aliam de ritibus medijs doctrinam meliorem ea, quam Ecclesia omnium temporum habuit: Quanquam quid haereticus fecerunt aliud, quam quod recte constituta, dextre distributa, concinne illustrata, portentosis & a ueritate alienis detorsionibus discerpserunt, conuulserunt et obruerunt, ut nec quid reprehenderint, nec quid sentiant ipsi, intelligi possit.

Aut igitur demonstrent Censores nostri Mauricium Principem contra religionem & fidem erga Deum, contra boni Principis officium fecisse, quod praestare Deo in conseruatione uerae doctrinae & rerum necessariorum fidem & constantiam, Imperatori obedientiam, quae post obedientiam Deo debitam & pie & cum bona conscientia praestari posset, uoluit: Theologos itidem contra officium fecisse, quod ab initio mutationis in doctrina Pontificia & abusibus plurima emendarint, pleraque explicarint & constituerint rectius, omnia ad Dei gloriam & pacem atque concordiam in Imperio secundum normam sacrae scripturae & fidei analogiam direxerint & accommodarint, Et eodem modo, eademque constantia ueritatem doctrinae & res necessarias pertinaciter defenderint ac retinuerint omni tempore. De ritibus autem medijs propter praedictas grauissimas causas, eandem pertinaciam non usurparint erga Imperatorem, Nec impediuerint PRINCIPEM Mauricium uolentem suae & suorum conscientiae ac saluti consulere, & cupientem suas Ecclesias de doctrina ante consentientes, rituum etiam ac disciplinae Ecclesiasticae similitudine conformare atque coniungere, neque id temere, sed re ipsa hoc flagitante:



Aut igitur hoc faciant, aut desinant calumnijs suis has Ecclesias turbare, & innocentiam bene meritorum sceleratè lacerare ac conuellere, & in nos falso conferre causam scandalorum, quæ ipsi maliciose excitarunt petulantibus & tribunitijs clamoribus, quæq; nouis subinde calumnijs auxerunt & augent.

Si eam impendisset Flacius operam declarandis Ecclesie diligenter & fideliter fontibus ac causis cõcessionum, quæ & à principio causæ & postea eadem in ritibus medijs usurpatæ sunt erga Imperatorem, cui oportuit ostendi ueras discessionis à Romana Ecclesia causas, quam præstitit operam in pñs, rectis & salutaribus consilijs calumniose exagitandis, bonis & innocentibus uiris crudeliter lacerandis, turbandis miserè Ecclesijs nunquam in has calamitates Ecclesie coniectæ fuissent, & scandalorum nihil extitisset, de quibus quid respondeat Deo iusto iudici, ipse uiderit.

Oramus autem censores nostros, ut pauca quædam se moneri à nobis patienter ferant, quæ fortasse occupatis operosiore cura, & nimia sollicitudine de alijs, quadam sui obliuione exciderunt de semetipsis. Oculos quæsumus paulisper à fixiore contuitu aliorum abductos conuertant in semetiplos, & in repetito ex illis scriptis, quæ prolata Mænius Ecclesie communicauit, nunquam satis laudatæ à semetipsis constantiæ suæ speculo sese contemplentur. Et ad susceptas ac habitas eodem tempore de obedientia erga Imperatorem & quid in ritibus externis concedi posset, consultationes ac tractationes, quæ exprimunt illius gloriosæ constantiæ idæam, componant censuras suas & iudicia. Tam concinnè enim hæc ad illas congruunt, ut arte accommodata uideantur, & iudicatu esset difficile, qui condemnarentur, nisi ex decennialibus clamoribus Flacij nos peti  
con

constaret. Certe dum petunt alios, incogitanter sentetipos eodem feriunt & iugulant ictu. Hoc ipsum enim quod fecerunt condemnant. Si quæ propter Imperatorem susceptæ fuerunt deliberationes à multis pijs Principibus, de obedientia ipsi debita, quatenus ipsi debita & præstanda sit publicæ in Imperio pacis & concordie causa in religionis negotio, hoc sine institutæ fuerunt, ut gratum fieret Diabolo, quo nihil potest dici, aut cogitari atrocius & horribilius, cui Deo seruerunt nostri Censores suis deliberationibus & sententijs. Ipsi se intueantur & sua examinent atq; expendant. Sed & hæc permittimus iudicio Ecclesiæ & omnium piorum.

**E**XPOSITA EST HACTENUS  
uniuersa series & ordo omnium actionum & deliberationum, quarum causam præbuit infœlicis Libri Augustani publicatio, Qua in narratione nihil suppressimus, nihil mirauimus, nihil insidiosè occultauimus, Sed omnia ita ut gesta, deliberata & responsa sunt, bona fide commemorauimus, etiam ijs non dissimulatis, quæ & prius meminimus atrocissimè exagitari ab iniquis censoribus, & adhuc cum aliqua specie ad imperitum & disciplinæ inimicum, & nimix libertatis appetens uulgus traduci & reprehendi posse non ignorabamus. Ex quibus ipsis tamen rectè acceptis, & simul consideratis diligenter rerum ac temporum illorum momentis & periculis, non dubitamus, quin omnes cordati & sani, & non prorsus odio nostri occæcati Lectores, sint intellecturi calumniarum, quibus deformatæ sunt hæc Ecclesiæ, uanitatem, & nostros Theologos, & Ecclesiarum gubernatores illorum criminum culpa, quæ eis factio FLACIANA impegit, liberaturi, & ingenuè pronunciaturo, adhibitos illis deliberationibus  
tali

tali tempore, aliud facere, suadere aut admittere nec potuisse, nec debuisse: atque etiam confessuri, se, si ad easdem deliberationes fuissent pertracti, tali statu rerum, auditis tantis obstinationibus, & tam serijs contestationibus Magistratus, idem responsuros & concessuros fuisse.

Nunc etiam hoc addemus: Etiam si gubernatores harum Ecclesiarum illis perturbatissimis temporibus, cum undique urgerentur suis simul & publicis harum regionum periculis, & ob oculos haberent tristissimam faciem, & miserissimam oppressionem Ecclesiarum in Sueuia & alibi, aliquid uiderentur fecisse, consuluisse, aut concessisse timidius & languidius, quam alijs uel natura, uel *βυλα* uel *δὲ* fortioribus probaretur: tamen causam iustam Flacio non fuisse, ita atrociter & hostiliter Præceptores & Collegas suos infectandi, criminandi, & ceu summorum scelerum reos ac conuictos, condemnationis & Anathematis fulminibus ferendi, quos nouerat ministros DEI esse, legitima uocatione ad docendum Euangelium adductos, quos sciebat in eo munere multos annos ad caniciem usque, cum egregio ipsius Lutheri testimonio, fideliter, constanter, & utiliter uersatos fuisse: Sciebat eos multa certamina cum aduersarijs & alijs, quærentibus pugnantium doctrinarum fucosas conciliationes in conuentibus Imperialibus, & ad eam rem institutis Colloquijs, sustinuisse: Sciebat eos, hac ipsa constantia in defensione synceræ Doctrinæ sæpe potentes, & prius clementes sibi Principes grauiter offendisse, & in maxima pericula uenisse: Sciebat eos, nihil unquam sibi potentia, rerum, fauoris, applausus, prætextu Evangelij captasse aut quæsiuisse, sed in hoc simplici & pio ac salutaris studio semper occupatos fuisse, etiam uoletudini, rei familiari, dignitati, tranquillitati, famæ suæ non parcetes, ut incorrupta Euangelij doctrina, diuinitus accensa,  
conserua

conseruaretur, & ad posteros fideliter propagaretur. Hunc cum sciret Flacius perpetuum cursum fuisse Præceptorum suorum, & aliorum Dei ministrorum, debuit reuerentissimè de ijs sentire & opinari, & nihil mali uel suspicari saltem, uel, si quæ etiã suspiciones de illis subortæ fuissent, eas consideratione prioris, & perpetuæ ipsorum fidelitatis, constantiæ & pietatis, obruere & delere.

Sed quid Flacius? Statim ubi ab Electore Mauricio primi conuentus indicuntur, & deliberationes secreto inchoantur, antequàm quidquam sciret ab ipsis conuocatis perperam suatum aut concessum esse, atrocissimas contra Præceptores optimè de se & uniuersa Ecclesia meritos, suspiciones concipit, eas auditis narratiunculis somniorum, & quibusdam surreptitijs Epistolis & rumusculis confirmat ac roborat, suisq; uenenatis illis cogitationibus, tantum indulget, ut eas pro firmissimis demonstrationibus habens, diutius secum coquere solus non posset, sed prouolaret in publicum, & illas suas suspiciones, magnis clamoribus, occultato tamen aliquandiu nomine suo, in uulgus spargeret.

Postea nactus locum tutum, & idoneum ad illud suum propositum, etiã apertè Præceptores de sacrilegio, & corruptelis Doctrinæ & collusionem cum hostibus accusat, & nihil non comminiscitur, ut eas suspiciones suas imperitæ & suspicaci, & gubernatorum criminationibus gaudenti multitudinì quàm uerissimilimas efficiat. Plane idem faciens, ac si quis ex crapula inquietus somniet horribile incendium, eoq; somnio perterrefactus, & excitatus, exiliat in publicum, & tenebrarum tectus caligine, magnis uociferationibus ingeminet in plateis & foro, Incendium, Incendium, & ad omnes domorum ianuas impetuose pulsans, homines placidè dormientes excitet, tandem etiã irrepens in turrim post se clausam, Campanæ terribili impulsu signum  
K k k pericu

periculosissimi & uasti incendij edat. Vbi eiusmodi clamoribus, quiritationibus, pulsationibus euocati & consternati ciues, cum urnis & alijs instrumentis ad restinguendum incendium comparatis, passim excurrant, trepidè & anxie circumspicientes & quarentes locum incendij, tandem ægrè conspectum & agnitum in celsa turri autorem clamorum & presentis tumultus & consternationis, sciscitentur, cur ita uociferatus sit, fores domorum & campanam publicam pulsauerit? Ille uerò pergat aliud nihil uociferari, nisi Incendium, Incendium, Subuenite, Accurrite, Restinguite: Illi autem respondeant: se paratos, & ideo adesse, ut opem ferant, modo locum incendij indicet, ac monstret: Tandem ille, somnij sui uanitatem prodere non ausus, fumum ciuibus alicubi ex Pistoris furno adsurgentem monstret, eoque illos accurrere, & mox aedes non prius intus inspectas, an & ubi sit aliquod in eis incendium, totas demoliri, subruere, atque ita omnes inhabitantes homines unam cum periculoso incendio obruere & suffocare magnis clamoribus hortetur, flagitet, iubeat, & nisi imperata faciant, eos hostes & proditores Patriæ & communis salutis ciuium proclamet & conuicietur.

Hic si ciues eatenus illius somniatoris iudicio fidem habeant, ut ad domum quidem illam Pistoris, cum urnis aqua plenis & incendiarijs uncis & scalis accurrant, sed prius tamen cautius agendum rati, ut inhabitantibus hominibus parcant, eosque ex incendio si possint, eripiant, effractis foribus irrumpant in domum, ibique nullum incendium præter ignem in furno recte curatum inueniant, & ibi uideant Pistorem cum suis ministris lucubrare, & stertentibus alijs ciuibus, operas nocturnas panificij sedulo facere pro communi totius ciuitatis necessitate, & ignem accuratè custodire, simul mirantem & reprehendentem illam uicinos

rum

rum utolentam irruptionem: Hi inquam Ciues ita frustra perterrefacti & insuper etiam foedè delusi ac irrifli à uanissimo illo concitato nocturni tumultus, an sibi temperare possent, quin in mendacem illum quiritatorem impetum faciant, eumq; illis ipsis instrumentis incendiarijs, quæ ipso hortatore corripuerant, obruant, uel ex communi ciuitate in perpetuum exilium ceu *ελασος* & interturbatorem communis quietis eijciant?

Hoc planè modo FLACIUS suspicionum suarum uenenatarum somnio conterritus, & excitatus, initio actionum, antequàm quidquam certè comperisset, libellis falso nomine inscriptis, turbare mentes Hominum cœpit, prædicere, præmonere, ut metuant insidias, struï fraudes & occultas machinationes puræ doctrinæ, & non frustra hos Eleusinos congressus institui paucorum, & maxime illorum, qui uideantur cæteris esse leniores minusq; pugnantes, Cauent igitur, & quid fieret attenderent,

Cumq; iam his primis clamoribus animos hominum perculisset, & attentos reddidisset, ut tutius porrò clamare & turbare quietas Ecclesias posset, in arcem Magdeburgensem confugiens, ita ibi fortis factus est, ut nomen suum tandem professus, emitteret apertas accusationes Præceptorum, & hortationes, ut ceu pestes & nocentissimi seductores & mangones Religionis, surgerentur, Eas accusationes tam atroces cum homines intelligentes diligentius aspicerent, repperunt uerè pro incendio fumum, ex necessario ignis usu exhalantem, sibi monstrari, pro sceleribus daminari necessaria uocationis opera, denique meras suspiciones, somnia, caullationes, nugas, rumusculos, surreptas Epistolas, detortos aliò familiares sermunculos,

pro ipsa ueritate & evidentibus demonstrationibus, hominibus obtrudi & uenditari, unde mox eius clamores, ut manifeste falsos, & ad concitandam multitudinem, ignaram actionum illarum, & suspicacem, & credulam comparatos, contemnebant, qui illorum, quos exagitabat Flacius, honestissimè & integerrimè actam uitam & perpetuum studium pietatis, his suspicionum & inanium nugarum centonibus opponebant.

Ita huius sui primi actus & initionis clamorum nullas alias habuit causas Flacius, quam ut ostendimus, uanissimas suspiciones, conceptas ex illis conuocationibus Theologorum, & congressibus paucis cum Episcopis harum regionum.

Deinde ubi acta & responsa & conclusa in conuentibus illis ab Electore Mauricio imperatis, cum aliquibus clam communicata fuissent, & paulatim ita ut fit, in plurimum manus peruenissent, Flacius, qui iam dudum nihil nisi pessima suspicari de suis praeceptoribus consueuerat, & in omnes eorum, non sermones & scripta modo, sed in nutus etiam, gemitus, risus, gestus, atque adeo in somnia quoque eorum intentus, ea omnia per quosdam ad hoc partim conductos, partim conciliatos & preparamos emissarios suos & Coricæos uenabatur & conquirebat; summopere laborauit, ut particeps fieret scripti Lipsici, in quo illa annotata fuerant, ut supra exposuimus, capita mediocrium rituum in Ecclesia, quibus concessis uel receptis, cum obtestatione grauissima persuasi fuerant Theologi, pacem harum regionum, & incolumitatem Ecclesiarum, & liberum usum incorruptæ doctrinæ & Sacramentorum, redimi & retineri posse.

Eius igitur scripti copiam nactus Flacius, tum deum serio exultare, Triumphare, gloriari de suis illis antea sparsis

sparsis præmonitionibus, & palam prædicare: nunc tantum liquidò apparere, se uerum uatem, salutarem monitorem, pium ac sollicitum curatorem Ecclesiarum, & salutis singulorum fuisse: nunc cerni dudum prædictum prouentum & fructum illarum occultarum congressionum, & consultationum: actum esse de religione pura, proditam esse libertatem Evangelicam, susceptum denuò iugum pristinum Pontificiæ Tyrannidís, commissas miseris ouiculas lupis mitratis. Hæc ita se habere, ut demonstraret certo, & suam fidem, & sollicitudinem pro Ecclesijs omnibus comprobet, attestatam faciat, Typis diuulgat illa ipsa capita τῶν ἀδιὰφορῶν Lipsiæ proposita statibus huius ditionis, eaq; nomíne ipso aequat libro pernicioso Augustæ publicato, & adiectis Scholijs, singula uerba ferè in impium sensum detorquet, & in summa, miro & ipsi soli cum paucis alijs possibili artificio cauillandi & calumniandi, conatur persuadere omnibus, nihil nisi uenenum præsentissimum in illis capitibus contineri.

Nec uerò nullo successu hoc tunc egit. Nam cum multorum animos prius suspitionum suarum emissis telis laucíasset, nostrosq; suspectos plurimís reddidisset, aliqui etiam odio nostrorum propter alias, & quidem etiam iniquissimas causas flagrant, apud multos illis suis clamoribus hoc efficit Flacius, ut nostrorum actiones & concessiones seu impías damnarent, & publicè editis scriptis contenderent, tali tempore nihil quicquam largiendum Imperatori fuisse, sed qualibet potius pericula subire oportuisse, quàm uel solius lineæ uestis receptione, mutationis & inconstantia in professione doctrinæ suspitionem alijs præbere. Ibi excurrerant homines disertí in patentissimum campum de scandalo, quàm perniciosum illud sit, quàm atrocium poenarum comminatione à Christo interdictum,



quam non facile ulla excufatione aut deprecatione elucenda. Declamabant etiam fortes ipsi, utpote extra teli ictum, ut dicitur, procul constituti, & firmis mœnibus & aggeribus septi, de laudibus constantiæ in confessione, de contemnendis omnibus periculis & minis persequentium, allegantes piorum Martyrum exempla, atq; etiam sanctarum Mulierum sæpè & puellularum fortitudinem, quæ exquisitæ acerbitalis cruciatus & supplicia immania perferre maluerint, quàm quicquam in Tyrannorum gratiam de professione Christianæ pietatis concedere aut remittere.

Quorum ut prorsus dissimiles nos, seriò damnabant, ceu aliqua Tyrannis & hostibus Euangelij mollicie & timiditate largitos, & suo exemplo nos fortes & constantes esse, ac ne pilum quidem etiam de plane Adia phoris concedere uel Imperatori uel cuiquam alij debuisse clamabant.

Hic nos illis animosis condemnatoribus aliorum minus audacium (omisso paulisper Flacio) breuiter respondimus, & sic cum eis agemus, quasi compertum nobis sit & constet, ipsos seriò tunc ita adfectos fuisse, ut uideri uolebant, & uero pietatis zelo flagrasse, (quem tamen multi iactarunt quidem gloriosissime, sed quàm uerè, euentus ostendit, & ostendet deinceps manifestius) Sed demus iam hoc plerisq; ex nostris reprehensoribus, eos pietatis feruente studio tunc impulsos fuisse, ut statuerent, in hac deliberatione de Adia phoris, prorsus nihil cedendum fuisse, & potius uniuersa in extremum discrimen adduci debuisse, quàm timoris & mutabilitatis notam in se recipere.

His inquam calidis & imperterritis censoribus hoc respondemus, si ita est, ut gloriantur, quod ipsi illa uehementia consilij sui eò spectarunt, & de hoc anxij & solliciti fuerunt, ut gloria Dei amplificaretur, ueritas salua esset,  
puris

puritas doctrinae conseruaretur, liber & integer usus Sacra-  
mentorū retineretur, Ecclesiarum recte constitutarum  
status maneret incolumis, euitarentur corruptelae repurga-  
tae doctrinae, fugerentur multiplices prophanationes ordi-  
natarum diuinitus Caeremoniarum, & arcerentur alij abu-  
sus impiarum traditionum ab his Ecclesijs, quae uoce &  
spiritu LVTHERI diuinitus excitato ab istis pestibus  
liberatae fuerant: nos plane animis, proposito, & cupidita-  
te cum ipsis, & ipsos nobiscum coniunctos, & de hoc ulti-  
mo sine constantem & laudabilem inter nos omnes consensum  
fuisse.

Nam ex actis, deliberatis & responsis supra expositis  
animaduertere potuit lector, & Principem, & status huius  
ditionis, & Theologos, constanter & consentienter saepe  
contestatos esse: non se de Doctrinae ueritate & Syncerita-  
te quicquam mutari cupere, petere, aut permissuros esse:  
nullos palam impios & prohibitos ritus in Ecclesias suas re-  
cepturos aut approbaturus, denique nihil aut concessuros aut  
accepturos, quod quoquo modo gloriam Dei imminuere,  
ueritatem obscurare, aut conscientias piorum saeciare pos-  
sit. Hunc fuisse nostrorum animum, & hanc constantem  
uoluntatem, cum ex superioribus actis liquidò pateat, fate-  
antur necesse est illi impugnatores nostri, nobis, quod ad  
hoc principale officium & ultimum finem attinet, unum ac  
idem prorsus cum ipsis fuisse consilium, propositum, uo-  
tum, eundemque conatum, atque ita utrisque unam quasi me-  
tam, unum scopum praefixum fuisse, ad quem consilia, co-  
natus & actiones nostras utriusque dirigeremus, eumque fuisse  
pium, salutarem & necessarium.

Sed modos & media, quibus ad illam communem metam  
perueniri posset, dissimilia fuisse ab utrisque quaesita & electa,  
pro utrorumque captu, spe & uiribus, libenter et ultrò fatemur  
Ipsi,

Ipsi cum magis contra Imperatoris potentiam mun-  
niti essent, & belli calamitates nondum fuissent experti,  
censuerunt illa bona, quæ paulò ante enumerauimus, glo-  
riam Dei, ueritatem, lucem Euangelij, libertatem in uisus  
legitimo Sacramentorum, euitationem impiorum rituum,  
& impiæ seruitutis Pontificiæ, & alia ornamenta Ecclesi-  
arum suarum, ita constanter sine ulla cessionis nota reti-  
nenda esse, ut ne minimum etiam in ritibus quantumuis  
concessis & indifferentibus reciperetur aut mutaretur hoc  
tempore, cum mutatio rituum iuxta præscriptam in Au-  
gustano libro formam exigeretur, & si propterea uis ab  
Imperatore aut Pontificijs pararetur, iudicarunt eam armis  
& uis opposita repellendam esse. Et si ita accideret, ut illato  
ab Imperatore bello uincerentur, & succumberent, non  
propterea tamen tantæ æstimari aut formidari debere uasta-  
tiones agrorum, direptiones urbium, cædes ciuium, raptus  
& contumelias honestarum Matronarum & uirginum,  
maclationes aut tristia exilia ministrorum Euangelij, uasta-  
tiones Ecclesiarum, dissipationem scholarum, euerisionem  
disciplinæ, & alias infinitas calamitates, quas bellicus furor  
ceu diluuium regionibus importat, ut metu illarum linea  
uestis à concionaturo indueretur, aut lectiones Euangelio-  
rum & Epistolarum ad aram latina lingua recitarentur,  
aut similes ritus natura sua non impij reciperentur in illas  
Ecclesias, ex quibus fuissent semel exturbati, cum sibi &  
alijs magnis clamoribus uel ipsi uel alij persuasissent, illam  
cessionem in minimis quoque & liberrimis ritibus, plerisque  
interpretaturos & accepturos esse, pro omissione confessio-  
nis omnibus mandata, prodicione ueritatis, abiectioe re-  
purgatae doctrinæ, susceptione pristini iugis Pontificij, re-  
ditu ad priores sordes uomitu eiectas, denique pro abnega-  
tione Christi, pro Ecebolismo, & pro extrema propheta-  
te & impietate.

Hæc

Belli incrimina-  
da quædam

Hæc cum illorum esset sententia tam dura, tam periculosa, tam anceps de uis ducentibus ad illam ultimam mentem, quam communem, & eandem prorsus utriusque nostrum fuisse, supra ex toto corpore actionum & deliberationum cerni potuit, ingenuè fatemur, nos ab ipsis dissensisse, & aliam mitiorem ac tutiorem, non nobis, sed Ecclesijs nostris, & infirmæ multitudini rationem secutos esse, qua nihilo minus ad eundem scopum pertingere nitentur, quem illi condemnatores nostri se spectare iactabant, uidelicet ut manerent Ecclesiæ nostræ in pristino statu, retinerent incorruptam Euangelij doctrinam, pios Doctores, & legitimum usum Sacramentorum, pauculis quibusdam receptis ritibus, natura sua non impijs, non prohibitis, qui in plerisque harum regionum Ecclesijs ab antiquo consueti & usurpati fuerant, quam ipsam tamen leuissimam mutationem non ipsi excogitaueramus, non proposueramus, non urseramus: sed potius dissuaseramus, & incommodam futuram his Ecclesijs, & multos offensuram, plurimis autem obtrectandi causas præbituram, palam prædixeramus, ut ex actis liquet. Tandem tamen cum Magistratus palam testaretur, se puritatem doctrinæ omnino in his Ecclesijs saluam uelle, & nihil recepturum, quod impium & conscientijs periculosum foret, & à nobis exigeret, ut indicaremus ea, quæ salua pietate & integra conscientia admitti possent, & eorum restitutione, sicubi essent collapsa, summo Magistratui politico debitam, & sæpe ante promissam, & ultro delatam obedientiam declararemus: Cumque hac flagitatione sæpe multumque urgeremur, & nobis spes etiam præberetur, hac lenitate nostra, has Ecclesias incolumes, & à bellicis uassationibus immunes fore: Fatemur nos celsisse, & de mediocri aliquorum rituum receptione, abolita tamen

omni superstitione, consensisse ijs, qui eam lenitatem tan-  
topere à nobis exigebant.

Nec uerò tam hebetes fuimus, ut non tunc etiam  
prospiceremus & diuinaremus, hanc nostram mitiorem  
sententiam Ecclesijs quidem nostris & his regionibus fa-  
lutarem futuram esse, nobis uerò apud alios, qui durio-  
rem sequerentur rationem, & constantiæ laudem & opinionem  
apud uulgus aucuparentur, parituram esse perpetuam igno-  
miniam, & ijs, qui iam dudum nos alijs de causis oderant,  
& quærebant, quod nobis speciose obijcere possent, præ-  
bituram liberam ac plausibilem occasionem, & facultatem  
summè nos deformandi & calumniandi. Sed nequaquam  
nobis nostra fama & tranquillitas pluris fuit, quam com-  
munis Ecclesiarum utilitas, pax & incolumitas, qua Dei  
beneficio adhuc fruuntur hæ regiones, & fruerentur suauis-  
us, nisi illi ipsi iniqui censores multorum animos sine  
iusta causa suis importunis clamoribus perturbassent, &  
studiose nouas distractiones uoluntatum & animorum  
quæsiuissent, & effecissent.

Sed cum scirent, aut certè de talibus uiris, qui semper  
in ministerio docendi Euangelij fidem, integritatem &  
pietatem suam omnibus probassent, hoc statuere & spera-  
re deberent, eos in summa rerum & principali ac ultimo  
sine consiliorum secum consentire, hoc est, spectare glori-  
am Dei, querere & adiuuare summo studio & conatu con-  
seruationem & propagationem sinceræ Doctrinæ; etiamsi  
uidissent eos non iisdem medijs & uijs progredi ad illam  
communem metam, quæ ipsi septi præsidjs armatorum &  
munitionibus inclusi elegerant, tamen non debuissent suos  
Præceptores, Collegas, & fratres tam atrociter propter  
hanc mitiorem & minus periculosam rationem tanquam  
perfidiosos, transfugas, & proditores ueritatis damnare &  
publicè

publicè proclamare, sed cogitare, sapissimè hoc accidere in deliberationibus communibus, ut etiam tunc, cum sententiæ de summa rerum & ultimo fine, uidelicet de salute Reipublicæ, congruant, tamen dissensiones aliquæ de medijs ducentibus ad propositum finem oriantur, ubi aliquis uehementior natura uel studio eligit & ostendit gloriosa quidem medijs, sed nimis periculosa & lubrica, non habita uel sua uel aliorum imbecillium ratione: alius uerò circumspectior, & commiseratione aliorum infirmorum timidior, quærit uias minus quidem splendas & gratas, sed tutiores tamen, quibus nihilominus salus Reipublicæ conseruari possit.

Ita possunt in una nauis dissensiones inter nautas oriri de gubernatione nauis, cum sunt exorti uehementes flatus aduersantes recto cursui, ut aliquis iuuenili ferocia audax uel natandi peritus uel alia spe euadendi ductus, non habita ratione in eadem nauis uersantium imbecillium, suadeat fortassis, rectè aduersus oblucentes uentos expansis uelis, & remigum summa uis & sudore, nauim propellere, & iubeat omnes uectores, robustos, debiles, uiros, mulieres, senes, pueros, cum summa difficultate & fatigatione remos trahere & alias operas facere, ut hoc difficili & periculoso navigationis modo quam primum nauis in portum quaesitum perducatur.

Alius pericula & nimios labores talis navigationis prospiciens, nec tam sibi quam miseræ multitudinì uectorum timens, habeat idem propositum perducendæ nauis in constitutum portum, sed censeat alia tutiore navigationis forma utendum, quam δ'ευτορορ πλοῦν Græci uocant, ut contractis nonnihil & obliquatis uelis, & cedendo aliquantum uentorum uiolentiæ, etsi serius, minore tamen cum difficultate & periculo & laboribus nauigantium in opratum portum perueniatur.

Hic si durus ille & <sup>ἐπιτολιδυ</sup> & alieno periculo  
audax gubernator, alterum suum socium cautiorem &  
tutioris cursus suasorem, summopere tamen conantem, na-  
uim ad optatum portum perducere, conuictis palam pro-  
scindat, proditorem eum nauis, & impeditorem commu-  
nis salutis nauigantium, timidum & ignauium nauitam uo-  
citans, poterit ille quidem in naui inuenire aliquos suorum  
clamorum adplausores, sed sani omnes alterius tutius con-  
silium probabunt, cum ad eandem metam spectet, & con-  
sultum cupiat non tam suæ, quam omnium reliquorum  
dissimili robore corporis præditorum salutis, quam ille uehe-  
mens suo filis robore & natandi facultate, prorsus negli-  
gat.

Sed uideamus dissimilis conatus in consilio bono &  
pio elegans exemplum nobis propositum in Euangelica  
Historia, quæ extat Iohannis ultimo capite.

Post resurrectionem Domini & Saluatoris nostri Ie-  
su Christi penuria uictus urgente, exeunt piscatum Petrus,  
& duo filij Zebedei, Iohannes & Iacobus, Thomas item &  
alii duo Apostoli <sup>ἀπόστολοι</sup>, quibus se adiunxerat Nathanael  
Cananaeus. Cumq; hi septem totam noctem frustra labo-  
rantes nihil cepissent, summo diluculo cernunt quendam  
hominem in littore maris Tiberiadis, ut uocatur à Iudæis,  
stantem, à quo interrogati de successu piscationis, cum se-  
querrentur operam & tempus perdidisse, iubentur iacto  
denuo reti in mare ad dextrum maris latus, melius sperare.  
Huius ignoti hominis monitionem secuti Apostoli, cum  
iterum fortunam tentassent, uno tractu contra omnem  
consuetudinem & spem suam ceperunt 153. grandes pisces,  
ut postea ex numeratione eorum compertum est; ita imple-  
ta sagena, ut eam tam multi robusti uiri ægre traherent, &  
mirarentur ipsi Apostoli, rete tanto pondere, & copia tan-  
torum

torum piscium distentum, non alicubi ruptum esse ante,  
quam ad littus pertraheretur, à quo aberant interuallo du-  
centorum cubitorum.

Hæc inuisitata, & sine dubio miraculosa præda, in eo-  
dem illo loco excepta, in quo totam noctem frustra labora-  
uerant, mouit Iohannem, ut statueret, aliunde eam esse nisi  
à Deo præsentem non posse. Eo igitur beneficio & alijs con-  
iecturis motus, primus agnouit & Petro indicauit, illum in  
littore stantem hominem, autorem tam foelicis consilij, esse  
ipsum Dominum Iesum à morte resuscitatum, & antea  
quocq; aliquoties post resurrectionem suam conspectum.

Hoc indicio audito, & credito, omnes discipuli ar-  
denti desiderio corripuntur conueniendi, alloquendi &  
exosculandi Dominum, & unanimi proposito, & consenti-  
entibus uotis ad eum quam primum uenire laborant, Sed  
huic simili & conformi proposito & cupiditati, adhibent  
dissimiles modos & conatus.

Nam Petrus, ut erat reliquis discipulis feruentior  
spiritu (sicut eius Historia, & imprimis illa postrema fortitudo  
testatur) relictis socijs cum nauis & præda Piscium, &  
omisso communi labore remigationis & tractionis pondero-  
sissimæ sagenæ, cui promouendæ iam ante uix omnes  
septem suffecerant, ægré imperata sibi tanta mora, dum  
nudum corpus circumiectione & cinctura indusij tegeter,  
& in mare se celeri saltu abiicit, cum nauis uideretur ob re-  
moram piscium lentius processura, & tardius uentura ad  
littus, ipse uerò cuperet animi quodam ardore singulari,  
quam primum esse in littore apud Dominum, ut ei gratis  
as ageret, à quo & foedæ abnegationis ueniam prius be-  
nigne erat consecutus, & nunc cum alijs hoc beneficio do-  
natorum piscium miraculoso adfectus. Quare improbato  
aliorum lento processu, etiam cum periculo suo & socio-  
rum,



rum, quos sudantes in remigationis & tractionis labore iurare debuerat, in mare profundum se deiecit, ac fretus & Domini uicinitate, & uel robore uel natandi peritia sua, quomodocumq; potest luctatur, contendit, & laborat, ut nauis accessum ad littus anteuertat, & Christum Dominum primus salutet & complectatur.

Reliqui uerò sex Discipuli quib; remigandi & trahendi labor per se difficilis, & tantam paucitatem hominum superans, post unius socij intempesium & curiosum, ut accusari poterat, imò etiam temerarium discessum conduplicatus fuerat, uires suas intendunt, sudant & nituntur, quanto possunt conatur, ut idem quod Petrus petierat, assequantur, hoc est, ut ad Christum Dominum primo quoq; tempore non ipsi modo tutiore ratione perueniant, sed simul etiam totam nauim, unà cum largo munere datorum piscium, ad littus incolumem adducant, sicut & iubentur expressa uoce Christi, dicentis: Afferte huc de piscibus, quos nunc cepistis, quo dicto mandat eis, ut illud donum Dei, singulari bonitate idè datum, ut & omnipotentia Christi, & beneficentia, & amor erga ipsos etiam post resurrectionem conspectior fieret, magnificentiant, custodiant, & ad littus secum attrahant, quod sine magno labore, quem Petrus deseruerat, & sine communicatis operis fieri non poterat. Quod si omnes uel plures alij quoq; imitari feruorem & impetum Petri uoluissent, ut deserta nauis in mare se præcipites darent, uniuersa illa præda piscium singulari beneficio data, dimissa in mare perisset antè, quàm in littus attracta conspiceret, & ex numeratione piscium magnitudo beneficij, & datoris largitas, & potentia diuina Domini agnosci, considerari, & prædicari potuisset, ac relicta uentis & fluctibus nauicula submersa fuisset.

Nec uerò postulare aut exigere à reliquis suis fratribus

bus

bus debuit aut iuste potuit Petrus, ut ipsius impetum & ze-  
lum imitantes, deserta nauis, se quoque in mare abijcerent, cum  
alii fortassis robore corporis, usu & peritia natandi Pe-  
tro non essent æquales, atque ita se ultrò absorbendos Eleme-  
nto aquarum hominibus inimico tradidissent, contra man-  
datum: Non occides.

At inquit Petrus, debebant omnia pericula cõtem-  
nere, & meo exemplo fortiter subire, fiducia opis Christi  
tunc presentis, & auxilium polliciti in periculis, id quod  
prius nauigantibus sedata horribili tempestate etiam præstia-  
terat.

Hic respondere poterant reliqui fratres: Frustra alle-  
gas nobis tuum factum Petre, cuius nullum expressum  
mandatum habes, & expeditior ac robustior nobis es. Nos  
qui minus sumus robusti, minusque gnari natandi, adde eti-  
am magis timidi, & horrentes profundi maris uoracitatem,  
nec scimus ullum nobis mandatum dari, ut hoc inusitato &  
periculosissimo modo ad Christum festinemus, cū nobis na-  
uim concesserit, eamque magna piscium multitudine etiam  
tardauerit, quam expressis uerbis iubet saluam ad littus ad-  
duci. Nos inquam, etiamsi amore Christi non minus quam  
tu, ardemus, eius benignitatem æque agnoscimus, eius cons-  
pectu lætatur, eius alloquio & complexu pariter tecum  
frui quamprimum optamus: tamen id faciemus modis ab  
ipso concessis, & tutioribus. Fuerit sanè tua enatauo tibi  
difficilis & laboriosa, & periculorum plena Petre, ideoque  
gloriosior: tamen hoc concedas necesse est, istum talem mo-  
dum ueniendi ad Christum à te electum, non à Domino ti-  
bi mandatum, atque ita non omnibus tui dissimilibus necessa-  
rium, sed tibi arbitrarium fuisse. Interea hoc quoque fateri  
cogeris, nos non minus, imò plus laboris sustinuisse,  
quam tu, dum post subtractam tuam operam, nobis labor  
auctior

auctior factus est, & scimus certò, nostrum laborem in tus-  
endâ & conseruanda nauî, & custodienda & extrahenda  
præda piscium, Christo Domino probari, cuius manifesto  
iussu, eam ad littus adducere debuimus, quæ nobis tota,  
unâ cum nauî periisset, si tui omnes similes esse uoluisset  
mus.

Hæc uerè dicere potuissent reliqui discipuli, si Petrus  
ab ipsis similem audaciam postulasset.

Quid uerò censes uel ipsum Dominum uel alios san-  
nos homines dicturos fuisse, si Petrus hoc suo facto elatus  
& inflatus, quod reliquos fratres anteuertisset hac enatio-  
ne periculosa ad Christum, suam fortitudinem contemtri-  
cem periculi præsentis, flagrantem Spiritum & cupiditatem  
ante alios salutandi Christum, & fiduciam incolumitatis,  
& securitatem nixam præsentia Domini, & labores suos  
palàm iactitasset, prædicasset, & ad fastidium usq; ingemis-  
nasset? reliquos autem lex fratres ignauitæ, timiditatis, atq;  
adeo impietatis & ingratitude accusare uoluisset? quod  
ipse solus agniti Christi ardente amore accensus, illumq; so-  
lus præ alijs pluris faciens, quàm uestes suas, quàm socios,  
quàm nauim, quàm captam piscium multitudinem, quàm  
deniq; uitam ac salutem suam, ausus fuerit in profundum  
mare ex tuta nauî desilire, fluctibus & procellis se commit-  
tere, natatione difficili & periculosa corpus fatigare, & cum  
uitæ discrimine contendere tam diu, donec ex fluctibus elus-  
ctatus Christum Dominum & Redemptorem primus cor-  
ram alloqueretur, & amplecteretur.

Reliquos uerò suos fratres nihil tale ausos, sedisse in  
nauî tranquillos, ociosos, expectantes, donec uentorum  
secundis flatibus suauiter ad littus adpellerentur timuisse  
non solum mollî cuticulæ, sed uestibus etiam, ne illæ maris  
na aqua foedarentur, uel potius uentri deditos metuisse, ne  
prædam

prædam partam amitterent, si ex naui desiliendum sit, atq; ita pluris fecisse iacturam paucorum discipulorum, quam Magistrum, Redemptorem ac Salvatorem suum, cuius conspectu propiore et complexu, ut quam primum fruere-  
tur, nihil non facere, nihil non subire ac pati, nihil non in discrimen adducere uel abijcere quoq; debuissent, Sed pro-  
didisse ipsos hoc lento processu ad littus, simulatum tantum, frigidum & languidum amorem suū erga Christum, quem formido leuissimi periculi, et metus iacturæ rerum uilissimarum propemodum totum extinxerit. Se uerò suum zelum & ardentissimum amorem Christi periculo uitæ suæ, & iactura & desertione omnium rerum carissimarum testatum fecisse. Quare se solum dignum esse consuetudine & fauore Christi, illòs non modo indignos, qui discipuli & Apostoli nominentur, sed etiam meritos, ut post hac pro Hypocritis, pro ingratis & ignauissimis desertoribus, pro mammonæ cultoribus habeantur, qui non dignentur prius ad Christum uenire, nisi & molliter uectentur ad ipsum, & culinam instructam ac paratum uictum secum aduehant,

Hæc si Petrus coram Christo Domino suo & coram alijs declamitare uoluisset, suum facinus audax unice iactitans & reliquorum Apostolorum pios & salutes & Deo gratos labores ita fœdè deformans, ita calumniose & uenenatè deprauans (quæ tamen pio & candido Apostolo nunquam in mentem uenissent, qui iam uno, eorū tristi lapsu, orto ex audacia & nimia fiducia proprii roboris & constantiæ satis duriter admonitus & edoctus fuerat de amanda & colenda in posterum modestia) an quisquam credet, Christum hanc gloriosam iactantiam & calumniosam & falsissimam aliorum deformationem, æquo animo laturum fuisse? Ac non potius hanc insolentiam &

factum Discipuli sine mandato & necessitate audacis, & quasi accersentis sibi periculum graui obiurgatione impro-  
baturum, quod suam stationem in Naui deseruisset, & ab-  
iectis remis ac destitutis socijs, nauim unà cum munere  
piscium nequaquam contemnendo, sed dato, ut esset pi-  
gnus amoris erga Apostolos & indicium omnipotentiae  
suae, quantum in ipso esset, prodidisset, & procellis ac flur-  
tibus omnia illa dissipanda & absorbenda reliquisset:  
Contra uerò cum excusatione laudaturum fuisse reliquos  
discipulos, quod in statione uocationis suae persistentes,  
quamuis destituti unius socij opera, labore iam aucto, nau-  
uim saluam seruare, & illud largissimum munus piscium,  
non frustra datum, maximis cum laboribus & difficulta-  
tibus ad terram adducere studuissent.

Hoc exemplum nunc conferatur ad haec recentia  
tempora, ut appareat, quam iuste nos reprehendant illi  
iniqui censores nostri.

Primum consideretur discrimen inter factum Petri,  
& quorundam Clamatorum audaciam.

Petrus, ubi ex miraculosa captura piscium, & inditio  
Iohannis animaduertit, Iesum Dominum esse illum,  
qui in littore conspicitur, quem serio & unice diligebat  
ob singularem in se clementiam & lenitatem, qua post fœ-  
dum lapsum in gratiam receptus fuerat, exarsit in eius corde  
uerum incendium, quo quasi extra se raptus propemo-  
dum occœcatur, ut quid facere, quid cauere, quid uitare  
debeat, non uideat, atq; ita labores necessarios abiiciat, pe-  
ricula omnia contemnat, seque in medium Mare saltu des-  
mittat, ut quamprimum ad Christum perueniat, Sicut fa-  
ciunt pueruli, cum parens post longi temporis absentis-  
am diu desideratus domum nunciatur aduenire, ibi ex nar-  
turali *σοφῆ* exoritur in pectusculis ipsorum ingens deside-  
rij

rii flamma, & dum properant obuiam currere in amplexum patris, abiectis etiam rebus carissimis, quas in manibus habent, oblitii quoque decori & periculorum, tanto saepe ruunt cum impetu, ut parentes consternati illo nimis rapido & periculoso cursu, obiurgent liberos, nihilominus tamen delectati illo ardenti Filiorum amore & leticia.

Ita Petrus quoque uehementia amoris abripitur, ut non habita ratione decori, officij, aut periculi sui, sequatur impellentem impetum, ubi etsi Christus reprehendere poterat Petrum tanquam curiosum & temerarium, quod neglectis necessarijs operis faciendis, cum reliquo coetu discipulorum, ultro se in aquas cum periculo uitae, sine mandato praecipitet, tamen agnoscit & probat illum amoris & ueritatis impetum in Petro, & sic tamen etiam amplectitur hanc festinationem Petri, ut non modo non condemnet reliquos discipulos, non eodem impetu ex nauis exilientes, sed ipsorum dissimilem & tutiorem conatum adducendi nauim saluam cum praeda, nouo etiam & expresso mandato confirmet, adprobet & commendet, cum inquit: **A FERTE DE PISCIBVS QVOS PRAEHENDISTIS NVNC.** Quo mandato bene posuit intelligere Petrus, recte significari, rectius se facturum fuisse, si uitatis illis periculis, cum reliquis in nauis mansisset, & adductionem miraculose praedae adiuuisset. Quare existimans se moneri & iuberi, ut ad intermissos in illa festinatione inconsulta labores fratrum reuertatur, mox aquas maris iterum ingreditur, & socijs egre trahentibus sagenam suo robore subuenit, Clare enim inquit textus: **ASCENDIT SIMON PETRVS &** traxit rete in terram plenum maximis Piscibus. 153.

Ex his manifestum est, ex mera abundantia & ardore amoris erga Christum, non ex ambitione, curiositate, le-

uitate, hunc impetum Petri inconsultum & periculosum ortum fuisse, quem ideò Christus placidè tulit, & amplexus est, ita tamen, ut rectè ipsum Petrum reprehenderet, & ad communem aliorum laborem remitteret, & alteros, qui in nauì manserant, non condemnaret, sed laudaret.

Iam nobis ostendant ueris Argumentis ij, qui calidorum illorum consiliorum autores fuerunt, & improbarunt alios lenius agentes: Ostendant inquam, & probent nobis primùm, illam suam uehementiam consilij de non recipiendo uel minìmo etiam ritu non impio & prohibito, ex simili amore Christi, ex similiter æstuante in pectoribus ipsorum studio gloriæ Dei, & pietatis profectam fuisse, sicut haud dubiè Petrus sui facti tantum immensitatem, & uiolentiam amoris erga clementissimum suum Dominum causam habuit illius sui periculosi facti, & ignoscemus ipsis quoque, quòd suas naues deseruerunt, quòd relictijs Ecclesijs & alijs functionibus suis, temerè & πολυπραγματικῶς in alias Ecclesias irreperunt, quod cum certissimo periculo non quidem se (qui tutos receptus quæsiuerunt) sed alios in mare precipitauerunt, hoc est, eiusmodi consilij incenderunt, ut alij qui ipsis obtemperantes, in fluctibus periculorum perierint, aliqui rebus multis & caris amissis agrè enatarint, Reliqui si obsecuti fuissent, & Ecclesias suas, & politias amissuri fuissent.

Hæc inquam errata ipsorum omnia illis condonabimus & ignoscemus, ubi ostenderint, se hac in parte, Beato Petro similes fuisse, hoc est, illorum suorum consiliorum nullam aliam causam, nisi amorem Christi, studium pietatis, ueritatis, & gloriæ Dei habuisse.

Sed quid si nos, si opus sit, ostenderemus, idq; non somnijs, non rumusculis, sed factis ipsis & euidentibus testimonijs probaremus, Ex ijs, qui tantopere nostros Præces  
ptores

ptores impugnarunt, aliquos causis longè alijs, quàm Petrum impulsos, ad actionem illius Dramatis, in qua se tam diu iactant, initio descendisse? & doceremus: aliquos quidem, ut suo Theatro libertatis appetenti, & disciplinæ inimico gratificarentur, reiecisse & damnasse omnes ritus quantumuis nihil superstitionis adferentes,

Alios, ut laudem ipsi pietatis, firmitatis, constantiæ in confessione aucuparentur, condemnasse & deformasse eos, qui moderatione aliqua utendum censebant, & non impiam, in rebus planè indifferentibus seruitutem ferendam potius, quàm uniuersa simul Regio & Ecclesiæ perpetua Tyrannide hostium Euangelij opprimerentur.

Alios qui per ambitionem crescere cupiebant, cum sua eruditione & uirtute excellere non possent, accepta hac occasione, eos qui ipsorum cupiditati obstare & nunc speciose deformari posse uidebantur, omni opinione & laude meritorum & autoritatis spoliatos, uulgo contemptissimos efficere uoluisse.

Alios quacunq; occasione læsos à nostris, adiungendo se criminantibus nostris, hoc pacto acceptam iniuriæ am ulcisci uoluisse.

Alios cum quosdam odio nostri flagitare ex alijs causis uiderent, apud quos insectatione nostri se magnos fore sperabant, suam illis operam ad criminationem nostrorum ampla mercede locasse.

Hæ causæ si quos ad illam tantam uehementiam & insectationem huius Academiæ & Theologorum impulerunt (sicut profectò de aliquibus certò adfirmare & ostendere possemus) næ illi sunt dissimilimi Petro Apostolo, & nequaquam digni, qui eius zelo se tegant & excusent.

Sed demus sanè hoc aliquibus illorum, qui Adiazphoris tam fortiter aduersati sunt, quòd ideò tantopere



pugnauerint pro præsentibus Ceremonijs contra alias nouas aut ueteres prius à Luthero propter adiunctam superfluitationem abolitas, quia flagrantes amore Dei & studio pietatis ac ueritatis, metuerint, ne receptis aliquibus ritibus, Doctrina simul corrumperetur, & Pontificij abusus omnes simul in has Ecclesias irreperent.

Fuerit sane hoc ipsorum propositum pium, spectans solam gloriam Dei, conseruationem ueritatis, incolumitatem Ecclesiarum: Sed diximus antè, & uniuersa series actorum hoc testatur & comprobatur, eandem uoluntatem, idem propositum, idem plane studium, eundem profusus conatum nostrorum Præceptorum fuisse, quod ex uniuerso uitæ ipsorum cursu, ex immensis laboribus quos sustinent, ex periculis & arumnis quibus onerantur, cerni potest, & uident omnes qui coram illorum uocem audiunt, & operum inspectores sunt.

Habent igitur & nostri hoc unicum propositum, & hunc omnibus suis actionibus præfixum scopum, ut ad Christum & ipsi quam rectissimè ueniant, & simul saluam ex fluctibus maris educant ad Christum uniuersam nauem, hoc est, Ecclesiam, cum egregia illa piscium præda diuinitus donata, hoc est, cum puritate doctrinæ, cum legitimo usu Sacramentorum, cum libertate in non mandatis ceremonijs, cum disciplina, cum *ὑποτάξει*, cum studijs bonarum artium, & alijs Ecclesiarum bonis ac ornamentis.

Hoc cum ita sit, sicut reuera est, quam obsecro iustam causam habent Flacius & alij manipulares ipsius, cur in omnibus fermè scriptis suis has Thrasonicas & uanissimas gloriationes toties inculcent, ingeminent, exaggerent: languentibus, consternatis, trepidantibus, musitantibus, silentibus, succumbentibus, refugientibus alijs, se solos ceu Atlantes cælum sustinuisse ne rueret: se solos ceu Hercules aduersus

aduersus Hydram multicipitem fortiter substitisse, contra clamasse, depugnasse, uicisse, Triumphasse: sua solorum uirtute, constantia, *παρρησία* integrum & saluum mansisse, quicquid adhuc in his regionibus & Ecclesijs est reliquum doctrinae Euangelij incorruptae, Sacramentorum, sanorum rituum, pietatis, libertatis, ac denique religionis? An Petrus simili gloriatione aduersus suos collegas & fratres, coram Domino Christo, mendacis, superbiae & omni uanae Gloriationi insensissimum & inimicissimum, post illam non mandatam enatationem suam, impune sese extulisset & iactitasset?

Multo minus tulisset Christus, si Petrus ultra illam de facto non usque adeo ubique excusabili gloriationem tam superbam & intempestiuam, etiam mandatas operas & labores difficilimos aliorum Apostolorum ita uenenate suscipisset interpretatus, quasi ignauia, studio uentris, auaricia, neglectione & contemptu Christi sederint in nauis & lentius processerint.

Quae uero malitia & uirulentia est nostrorum reprehensorum, quod nostrum illum primum & salutarem conatum, directum, ut diximus, ad mandatum & necessarium finem, etiam summorum scelerum criminibus deformare audent?

Quod stationes ipsi suas in Ecclesijs & Scholis deseruerunt, quod in aliena loca, & quidem in urbibus munitis quaesita se ingresserunt, quod in aliorum actiones nihil ad ipsos proprie pertinentes curiosè inquisuerunt quod multis exitium suis consilijs attraxerunt, plurimos in extrema pericula coniecerunt, quod nulla commiseratione imbecillium, nulla *σοφῶν* erga miserè distractas, & extremè periclitantes Ecclesias affecti, leuiter curarunt, si omnia belis uastarentur & euerterentur, quod suis clamoribus Ecclesias

clesias turbarunt,, quod consensum docentium in perpetuum sustulerunt, quod communes hostes Euangelij deuò contra nos armarunt, & ad persecutionem excitarunt, quod rogis miserè crematorum in multis regionibus Martyrum, quasi faces admonuerunt, quod inter coniunctissimos fratres discordias Cainicas seminarunt, easq; quotidianis scriptiõibus & epistolis adhuc alunt, confirmant, auget, & hoc ipsum unice student, ne dissidia tollantur, ne uoluntates coagmententur, ne uulnera Ecclesiae pijs & salutaribus congressibus eruditorum & Dei timentium sanentur, ne corpus Doctrinae sanæ comprobaturum piorum hominum consentientibus suffragijs ad posteritatem transmittatur. Hæc inquam sua facinora his summis prædicationibus & titulis ornant, & iactitant, quòd sint zelus, pietas, libertas Christiana, excubiæ pro salute gregis, auersio corruptelarum Doctrinae, defensio ueritatis, deniq; ipse Spiritus sanctus, Christus adeò ipse.

Nostros uerò Præceptores, & alios illis adiunctos pios, qui tot annos Ecclesias rexerunt, piè uixerunt, purè docuerunt, in suis Ecclesijs & alijs locis diuinitus commendatis constanter permanserunt, nullis inde se propositis amplis præmijs abduci, nullis intentatis formidabilibus periculis expelli permiserunt, in uno simplici & perpetuo studio illustrandæ & propagandæ ueritatis perstiterunt, suis scriptis & officijs docentium animos conglutinare studuerunt, ingrudente periculoso illo tempore, ipsi suorum Discipulorum & auditorum ingratitude patienter tulerunt, & alios, à quibus consulebantur hortati sunt, ne propter indifferentes ritus lineæ uestis & cantionum non impiarum, Ecclesias suas desererent, sed in his minutis rebus tolerarent aliquam seruitutem, non sauciantem conscientias, & fortiter tuerentur & propagarent puritatem Doctrinae, contra quam, si  
quas

quas corruptelas, aut manifestè impios ritus conarentur  
ipsis obtrudere hostes Euangelij, ut tunc læto et firmo ani-  
mo potius quiduis paterentur, quàm serui essèt Idolatriæ &  
mendaciorum.

Hæc inquam facientes & suadentes Præceptores  
nostros isti Neophyti, colatores culicum & absorptores Ca-  
melorum, quibus non criminationum contumelijs consper-  
serunt, & deformarunt? Quos risus, quos Sarcasmos ipsis  
non impegerunt? Quibus Calumniarum gladijs eos non  
confoderunt & lacerarunt?

Parum fuit, quod nominarunt eos timidos, ignauos,  
glacie frigidiores, mutos Canes, Mercenarios gregum cu-  
stodes: Conati sunt persuadere uulgo, eos ceu perfidiosos,  
ac proditores ueritatis colludere cum hostibus Christi,  
assentari Principibus, uentris ac pecuniæ & suæ tranquilli-  
tatis causa, corrumpere ultrò Doctrinam, recipere impios  
ritus, obijcere oues lupis laniandas, deniq; nullum tam atrox  
probrum & conuicium dici potest, quod ipsi non ausi sint  
contorquere in eos, qui ipsorum uehementiam non imita-  
ri uolebant, quos tamen fatebantur suos fuisse Præceptores,  
collegas, amicos, fratres, quos sciebant optima fide, pio stu-  
dio, magnis laboribus, mira tolerantia in multis arumnis  
constanter finem ultimum spectasse, ut puritas & ueritas  
Doctrinæ conseruaretur & ad posteros propagaretur,  
quem finem ipsi quoq; illi gloriosi & fortes hostes lineæ ue-  
ritatis se præfixum sibi habuisse uideri & credi uolebant.

Quid igitur discriminis est? Nostri alia mitiora &  
tutiora media ad illum communem finem ducentia secuti  
sunt, illi uehementia & periculorum plenissima eligebant.

Nostri discrimen faciebant inter ritus necessarios, &  
non necessarios, inter mandatos seu prohibitos & indiffe-  
rentes:

De doctrinae puritate & necessarijs ritibus nihil cedendum aut largiendum aduersarijs, manifestè prohibitos abusus nequaquam recipiendos esse censebant. De indifferenteribus iudicabant, si puritas Doctrinae & incolumitas harum Ecclesiarum, & pax publica comparari & retineri posset, receptis aliquibus talibus, remota superstitione, aliâ quam non impiam seruitutem non esse recusandam.

Illi sine discrimine contendebant, de omnibus extreme dimicandum esse, & reum abnegatae totius doctrinae fore, si quis uel solam lineam uestem in templis alicubi usurpanti solitam, sibi iniici pateretur.

Nostri iudicabant, si propter recusationem talium indifferentium rituum desererentur Ecclesiae, nec ipsos qui se his frivolis causis pelli à suis Ecclesijs passî fuissent satis tranquillam conscientiam habituros esse, cum Petrus dicat: Patientes ubi opus est, Item: Non deserentes congregationem uestram, Et præbituros causam, ut in ipsorum locum substituerentur aut ignari doctrinae, aut manifesti hostes.

Illi terrebant ministros, quod læsuri essent suam conscientiam, si ullum talem ritum ex Adiaphoris reciperent aut approbarent, quos ipsi uel alij prius ex Ecclesia, ut inutiles eiecissent.

Rursus illi clamabant, imbecilles auditores offensum iri illa mutatione, si quæ prius essent destructa, restituerentur.

Nostri consulebant, ut populus rectè institueretur, illos ritus sua natura non malos, propter aduersam à Pontificijs superstitionem improbatos fuisse, & posse ordinis & disciplinae & conformitatis causa aliquos recipi, sine ulla superstitionis labe, & si quis postea offendi uellet, distinguerentur scandalorum genera, inter quæ etiam est illud, cum homines delicati & morosi, & disciplinae insensî offenduntur

tur etiam in ea re, quam sciunt nihil impietatis in se continere.

Denique nostri considerabant dissimilitudinem auditorum suorum, inter quos multi fuissent imbecilles, impatientes laborum & calamitatum & damnorum, quæ bellum adfert, quibus ut parceretur, malebant ipsi se onerari his ritibus, quam recusatione omnium Adiaphorum bellum in has regiones attrahi.

Illi vero nullius sexus, nullius ætatis, nullius ordinis, aut status rationem habendam iudicabant, quin omnibus periculo extremorum malorum confessio etiam in recusatione horum indifferentium rituum imponeretur, quocumque caderet euentus & fortuna belli.

Hanc fuisse nostrorum ab ipsis dissensionem de medijs fatemur, cum tamen de ultimo fine congruerent utrique (nunc enim sic loquimur, quasi certum sit illos duos impugnatore Adiaphorum, unam cum nostris solam gloriam Dei, integritatem veritatis, & salutem Ecclesiarum, non alios supra enumeratos fines spectauisse) Et nunc pius ac intelligentem lectorem iudicem facimus, & iubemus liberè statuere & pronunciare, utra pars rectius saluti communi Ecclesiarum consuluerit. Etsi nobis non hoc agitur, ut illos bonitate consilij superasse uideamur, satis nobis erit, hoc de nobis sentiri & pronunciari à bonis uiris, nostros etiam si minus commoda media ad illum ultimum finem consequentem elegisse iudicentur, quam alteri, tamen non esse sua lenitate consilij hoc commeritos, ut tam atrociter, tanquam perfidiosi, proditores, transfugæ, criminentur & damnentur, & nisi publicè reuocent, ex Ecclesia prorsus & à societate Christiani nominis excludantur.

Quid enim obsecro eiusmodi scelerum in omnibus illis actionibus deprehendere potuisti Flaci?

Initio, antequam quidquam in illis congressibus, & deliberationibus Theologorum, statutum, concessum, aut conclusum esse resciscere potuisti, clamasti, meras superstitiones & ambiguos rumores in uulgus credulum spargens, ut tibi aditum ad ea quae secuta sunt, praestrueres.

Deinde postquam uulgata sunt capita illa, Lipsiae proposita de ritibus Adia phoris, quae tamen Theologi non excogitarunt, neque illis uerbis conscripserunt, quibus proposita sunt, sed aliunde oblata admisserunt, iuxta eam tamen declarationem, quam prius statibus huius ditionis exhibuerant, in qua disertè omnem opinionem impietatis & superstitionis remouerant, & clare contestati fuerant, se de puritate Doctrinae, & legitimo usu Sacramentorum nihil cuiquam concessuros, neque quidquam recepturos, quod conscientias laedere posset, neque tamen pugnatu ros contumaciter de ritibus natura sua licitis & non prohibitis, si quidem aliqui contenderent, illis concessis uel receptis, Imperatorem placari posse, ne his regionibus bellum inferat: Ibi tu, ut expositum est, Triumphos egesti, quasi iam captos & irretitos sua confessione manifestè teneres Praeceptores & collegas nostros, ubi reuera nihil seclerate, nihil impiè, nihil perfidiosè ab ipsis actum aut gestum proferre potuisti, sed uniuersum id, quod te, ceterosque tuos suffragatores offendit, fuit lenitas consiliorum, conata tueri & conseruare tutioribus uis illa coelestia bona in Ecclesijs nostris, quae uos egregij πολιορκίται armis potius & bello defendenda esse censebatis, cuius belli praeterquam quod omnis euentus incertus est, sepe etiam uictoria uincantibus est funesta, & causa maximarum calamitatum, ut de pugna ad

gna ad Chæronæam dictum est: κλάισ' ὁ νικῶσας ὁδὲ νικηθεὶς  
ἐπόλωλε, Flet uictor, perit uictus sæuo ense peremptus.

Nec uerò hæc lenitas est adhibita & usurpata in his  
deliberationibus idè, quod Theologi SIBI metuerent,  
aut SIBI tranquillitatem quærent, aut aduersarijs gra-  
tificarentur, sed quia commiseratione mouebantur imbe-  
cillium in his regionibus, qui ante paucos annos calamita-  
tes bellorum experti, nouo bello non perinde clementer ab-  
ituro, ut antea, sed omnia fundus uastaturo, à Theologis  
non erant onerandi, si alia remedia sine impietate adhiberi  
possent, quibus auerteretur uastatio ab his Ecclesijs, & reti-  
neretur integer & liber usus incorruptæ Doctrinæ Euange-  
lij & Sacramentorum.

Hanc piam & salutarem lenitatem nostrorum, si tu  
scelus & perfidiam & impietatem uocas, sicut facis, ostens-  
dis ipse impietatem & sceleratam crudelitatem tuam, quam  
alibi quoq; non semel declarasti, sicut alio tempore fortasse  
cognosces, si uoles.

Extra hanc lenitatem ex optimis rationibus profes-  
ctam & ad pium scopum directam, in uniuersis illis delibe-  
rationibus & actionibus toto illo tempore celebratis, nihil  
inueniens quod tu ueris rationibus, ut impium, ut scelera-  
tum, ut indignum pijs Ecclesiarum & Scholarum guber-  
natoribus, culpæ queas, si te rumpas, aut si te torqueas  
more uiperarum in omnes gyros et flexus, tamè iterum atq; iterum  
dicimus, nihil tu proferes, quod merito adpellari debeat aut  
possit, scelus, publica recantatione dignum, qualem uos  
egregij Censores à nostris erigi & extorqueri debere cla-  
matis.

Ex his igitur omnibus quæ hactenus exposuimus, ma-  
nifestum est, nullam tibi iustam fuisse causam, ita atrociter  
criminandi Theologos harum Ecclesiarum, & præcipue



Philippum Melanthonem Præceptorem & Collegam nostrum, quem tu præcipuè delegisti ex reliquo Theologorum cœtu, cuius deformatione & deiectione, tibi nomen & famam apud indoctos & tui similes alios, bonis infestos conciliares, de quo ut peculiariter pauca tecum confabulemur (plura enim ipsius modestia de se nos prædicare non sinit) ut nunc taceamus ipsius merita in uniuersam Ecclesiam & posteritatem, ita is priuatim de te bene est meritus, ut etiam si quid atrox designasset, à te præcipuè excusandus & defendendus fuerit.

Venisti huc peregrinus ex Illyrijs usq; ignotus, ignarus, egens. Recepit te in suam familiaritatem, admisit ad secretiora colloquia, prouexit te supra alia communia officia, eo usq; ut commendaretur tibi professio Hebrææ linguæ cum stipendio amplo, præscripsit tibi, quæ tu auditoribus tuis diceres, quod etsi fecit alijs pluribus quoq; tamen ideo hic commemoratur, ut ostendamus, nullo non officiorum genere, quo intimos suos amicos ornare consueuit illius uiri inimitabilis beneficentia, ab eodem te quoq; uberrimè adfectum & adiutum fuisse.

Hæc uiri tanti erga te hominem peregrinum & natione Illyricum beneficentia, comitas, humanitas, & interior conspectus totius uitæ ipsius, occupatæ tantum in iuuandis alijs, in qua plurimarum uirtutum exempla lucent, te si quidquam uirtutis agnosceres, aut amares, ita conciliare ipsi debuerat, ut etiam si uidisses ipsam alicubi lapsum, hoc illi non modo condonares, quod hominis erat agnoscentis communem omnium infirmitatem in lapsus pronam, uel saltem silentio tegeres, & occultares, quod erat amici, beneuolentiam hanc benefactori se debere agnoscentis, sed etiam uerecundè excusares, quod solent filij audientes etiam iustas parentum criminationes.

Debent

Debent autem discipuli eandem pietatem Præceptoribus, quam liberi parentibus, cum uere accipiunt paternam & Doctoribus beneficia.

Sed quid facit Flacius? Huius sui præceptoris adeo benigni & benefici, dicta, facta & consilia, quæ non congruunt ad ipsius inquietam & seueram naturam, quorum Philippus suas habet rationes & pias causas, accipit & exponit Flacius pro tetris lapsibus, pro foedissimis nauis, pro atrocibus sceleribus, eaq; quasi exultans & triumphans passim spargit, pingit, tragice amplificat & auget, quare ostendit se impio NOHAB filio HAM quàm similitimum esse, qui uidentis nuditatem Patris, non tegit & excusat, quod erat filij, non silet, quod erat modesti & uerecundi domestici, Veniam dantis errato senis non pernicioso: sed prouolat foras, clamat ad fratres, exaggerat delictum patris, depingit foeditatem iacentis senis, narrat suas suspiciones de alio tetriciore facinore commisso per ebrietatem.

Quid deliquerat autem pater Noha tantis clamoribus & accusationibus filij dignum?

Laborauerat diu in cultura uineæ suæ, quam DEO monstrante rationem, primus plantauerat, debilitatus fuerat æstu, illa defatigatione duplici contraxerat sitim, reuersus domum, ad recreandas uires corporis hauserat uini plenioris phusculum, delectatus illo suauissimi & naturæ hominis conuenientissimi liquoris potu, cuius uim calefaciendi & turbandi cerebrum prius non fuerat expertus, qui dum incautiùs bibit, & Deo creatori & monstratori tam salutarium rerum post singulos exhaustos scyphulos, gratias agit, sentit caput turbari, incipit fieri hilariusculus & loquaculus, edit gestus testantes læticiam, tandem fessus de laboribus, & fumis impleto opinione citius capite

capite obdormiscit ueenrandus Senex, atq; ita oppressus  
somno, iacensq; non in publico, sed intra suum conclaue,  
infectens per quietem aliquas corporis partes, quarum con-  
spectum natura tegi uoluit, retexerat. Interuenerat Ham fi-  
lius medius inter tres, qui fortassis etiam spectauerat patris  
hilarioris gestus prius insolitos, & ætati illi indecoros, &  
sermunculos liberiores cum indignatione audierat, tandem  
ubi etiam uidet ita deformiter cubantem & stertentem pa-  
trem, non operit partes tegendas, sed lætatus, se nactum  
aliquid in patre reprehensione dignum, à quo ipse propter  
turpiorem uitam fortassis seuerius quàm reliqui fratres ali-  
quoties fuerat obiurgatus & castigatus, ut se ulciscatur, ex-  
currit in plateas uel in agrum fortassis, fratres anxie qua-  
erit, inuentis cum indignatione & detestatione narrat patris  
ebrietatem, delirium, turpissimam fœditatem, probrosam  
toti generi obscœnitatem, ex heluatione & ebrietate pro-  
fectam, fortassis etiam monet fratres, & hortatur, ut com-  
municato consilio, omnes simul patrem adeant, hanc illi  
turpitudinem probrosam toti posteritati obijciant, & remo-  
tionem à gubernatione familiæ minentur, nisi huius sui  
facinoris culpam coram ipsis filijs deprecetur, & iuramento  
confirmet, se posthac simili dedecore familiam sanctam non  
deformaturum. Sed fratres reliqui Sem & Iaphet minime  
obsequuntur impij Hami postulationibus, sed quod sciunt  
pietatis officium requirere, festinanter faciunt, pallium suis  
humeris iniiciunt, & ne sancti patris sui & reuerendi Senis  
partes secretiores aspiciant, auersis ab ipso faciebus suspen-  
sorum & lento gradu, ne somnum patri excutiant, reciprocan-  
do ingressi in tabernaculum, uestesq; placide ex humeris de-  
missa, nuditatem patris contegunt, propter quam pietatem,  
postea à patre egregiam & diuinitus approbatam benedicti-  
onem consequuntur. Impius uero Ham diris imprecationibus ex

bus ex Ecclesia Nohe excluditur, totaq; eius posteritas illis calamitatibus subiicitur, quas postea à populo Israel perpessa est, qui ex filijs pij Sem prognatus fuerat.

Hanc igitur Hami crudelem impietatem Flacius imitare maluit, quam fratrum duorum Sem, & Iapeti uerecundiam & piam reuerentiam.

Cum enim ut dictum est paulo ante, ipse peregrinus, egens, & nulla admodum eruditionis laude commendatus à Philippo in cœtum familiarium & amicorum fuisset receptus, & in intimum coniunctionis cœclauē assumptus, ac planè ut filius habitus, quod ipsum fateri Flacium necesse est, qui in hac maledicentia sua & odio hostili adhuc gloriatur, sibi aditum ad Philippum liberum patuisse, se cum illo sæpè multis magnis de rebus collocutum fuisse, & in illis familiaribus congressibus audiuisse ex illo secretos sermones, arcanas querelas, narrationes nocturnorum somniorum, qualia solet Pater cum liberis secretò communicare, nihil suspicans de tali perfidia & impietate filiorum, quod illa patris uerba sint in uulgus cum calumniolis deprauationibus sparsuri: Ita igitur inquam loco filij habitus Flacius, nescimus quo uerbo aut facto offensus à Philippo odisse eum cœpit, & pessima de illo suspicari, & singula eius uerba, gemitus, ac somnia obseruare & consignare, ut ijs aliquando cōtra ipsum uti in loco posset.

Incidit postea æstus ille & tempus laboriosum & difficile, propter crebras deliberationes de libro Augustæ proposito, quibus defatigatus Philippus, cum in unum omnes respicerent aut incurrerent, uisus est Flacio dormire, hoc est, remissus agere, minus cursitare, minus clamitare, quam Flacius pro inquieta & crudeli sua natura expectabat, cui graue & aduersum erat, non cœlum terræ misceri, non concitari plebem ad arma capiēda, ut ui, non liber

modo Augustanus, sed uniuersa Pontificia potestas ex Germania exturbaretur.

In hoc somno, hoc est, lenioribus actionibus & consilijs Philippi uisus est sibi Flacius etiam nuditatis aliquid in eo animaduertisse, ex talibus coniecturis, quod iussu Mauricij cum Episcopis, Misnensi & Numburgensi congressus & collocutus fuisset, quod ijs, qui censuerant ritus aliquos medios absq; superstitione denuo in has Ecclesias recipiendos esse, consensisset.

Ibi statim Flacius, antequam exploraret illorum congressuum causas, & euentus, cur instituti fuissent, quid in illis actum & transactum esset, Item, quo consilio, qua ratione, qua conditione illi *εὐδήφοροι* ritus admissi essent: erumpit in publicum, clamoribus & quiritationibus suis, non plateas, sed totam Germaniam replet, hortatur, monet, obtestatur omnes, ut tanti uiri turpitudinem, foeditatem, scelera (quae nulla unquam in eo uiderit uel ipse, uel quisquam alius) contemplantur, detestentur, & abominentur, ac praecipue reliquos suos fratres incitat, ut communem patrem secum odisse, fugere, persequi qui non uereantur.

Inuenti sunt tamen ex discipulis Philippi plurimi, (inter quos & nostra nomina libenter profitemur) qui his furiosis & impijs sualibus Flacij recusarunt obsequi, & si quae suspiciones erant ab ipso Flacio & alijs contra eum excitatae, adspicere eas & admittere noluerunt, sed candoris & pietatis pallio super iniecto, tegere & obruere studuerunt.

In hos postea simili acerbitate inuectus Flacius hostiliter eos persequitur, publicisque scriptis condemnat, aduatores eos adpellans, nihil mutire aduersus Praeceptorem audentes, & nihil nisi τὸ ἄντρον ἕφα sonantes,

Nos

Nos uerò Flaci, cur hunc & præceptorem & Patrem nostrum tuo exemplo odissemus & persequeremur, causam nullam habemus, qui nullam in eo talem, qualem tu mendacissimè calumniator nunquam uisam aut animaduersam fingis, foeditatem unquam conspeximus, nec si quid ex communi hominum imbecillitate, in tanta temporum perturbatione, negotiorum uarietate, periculorum magnitudine, occupationum immensitate, quibus is obruitur, ab eo factum aut dictum esset aliquantò inconsideratius, aspicere illud uellemus, multò minus suspicionibus & calumnijs augere & deprauare, sed potius candidè tegere, ignoscere, & perpetuo silentio obruere, cùm nobis certò constet, ipsius uoluntatem & propositum rectissimum esse, studium pietatis ardens, & conatum indefessum illustrandi gloriam Dei, & doctrinam Euangelij incorruptam ad posteros transmittendi, quam tu scelerate Nebulo, iam huic iam illi turpiter & contra conscientiam adsentans, deprauare Sophismatum & cauillationum miris & inauditis præstigijs conaris.

Ab isto tuo impio studio & conatu nos alienissimos esse & toto pectore abhorrere, ingenuè & clarè profiteamur, & publicè contestamur, nos in professione ueræ & Synceræ Doctrinæ, sicut ea in his Ecclesijs & Academia hac sonuit hæcenus Dei auxilio & adhuc sonat, constanter mansuros, & tuas cauillatorias subtilitatulas relicturos illis Gallis Gallinaceis, qui sterquilinum uerrentes preciosis gemmis granula triticea uel potius culices & araneas & mucos ex tuis similibusq; naribus emunctos & abiectos præferunt, & studiosè inquirunt.

Nostrium etiam Præceptorem, quem scimus à te falsissimè deformatum esse, nihilo minus amabimus, uenerabimur, & ut Patrem debitæ reuerentiæ & pietatis officijs

officijs colemus, Deum sedulo & ardentibus votis orantes, ut ei uitam proroget, uires addat, & roboret, ut lucem Euangelij tueri aduersus tuas & aliorum conspurcationes quam diutissimè possit.

Hac post expositionem actorum adijcere uoluimus, ut ostenderemus Flacium nullas causas habuisse conuictorū suorum, Et quidem quos pepererit Ecclesiae his clamoribus fructus, in conspectu est: Horribilibus scandalis inuoluit Ecclesiam, sauciauit plurimorum piorum mentes & languescit in ijs fidem & inuocationem, confirmauit rabiem aduersariorum & exacuit tyrannidem, uinculum concordiae dissoluit: inuexit perpetuam diffidentiam; petulantia ingenia armauit licentia audacter quiduis fingendi in dogmatibus, & quæuis suo arbitrio petulanter turbandi praetextu libertatis Christianae; in promiscua multitudine auxit & confirmauit natam paulatim ex laxatione disciplinae Ecclesiasticae effrenem atq; impotentem ferociam, quam comitatur profanitas, contemptus penè omnis religionis, odium legum ac disciplinae, ut res docet.

Horum malorum autorem eum esse, nimis uerum est, & nimis uerè quotidie discimus & experimur cum Ecclesiarū calamitate publica, & dolore nostro maximo. Hac si peccata leuia esse ducit, errat, & qualia sint, experietur, ubi mortuus conscientiae senserit. Si laudem etiam inde sibi & gratiam uendicat aliquam, quae debeat ei alia, quam quae debetur Sycophantae, uerae doctrinae & piorum consiliorum calumniatori, turbatori concordiae & piae consensionis, obtrectatori insidioso bonorum uirorum & bene meritorum, iudicent pii, iam uerò molitur longè atrociora.

Sed & haec & omnia nostra Ecclesiae iudicio subiicimus, quaeq; de nostris commemorauimus, exemplis actorum probaturos nos profitemur quandocunq; & ubicunq; fuerit opus.

Nunc

Nunc de dissidiorum obiectione quædam addemus. Obijciuntur nobis seditiosa Flacij certamina satis acerbè cum ab alijs, tum uerò in primis à profugo desertore & proditore agnitæ ueritatis Staphylo, quæ quod mœrore afficiunt Spiritum sanctum, & impediunt seriã inuocationem in multorum piorum animis, & dubitationem de doctrina commouent, & in promiscua multitudine cõtemptum pariunt totius ministerij, augentq; profanitatẽ, & uniuersim Dei gloriam obruunt, lucemq; ueritatis paulatim extinguunt, & nunc manifestè diuellunt ac distrahunt Ecclesiã, quæ fuerunt eiusdem doctrinæ professione deuinctæ inter se atq; consociatæ: Illa ergo ob has causas dolorem nobis adferunt maiorem, quàm explere possemus, si tantum funderemus lachrymarum, quantum aquæ uoluit Alys. Agnoscimus fata ultimæ & delyræ senectæ mundi, quæ Christus mutationes & distractiones tristissimas allatura prædixit. Sed quid præstari à nobis ampliùs potest ad hæc mala sananda & scandala auertenda, quàm præstitum est hæctenus? Moderatè tulimus has tam acerbis & atroces insurrectiones atq; condemnationes nostris, ne responsando dissidia magis inflammarentur, atq; loco nostro & doctrinæ nostrarum Ecclesiarum & aliarum artium necessariarum explanationem Deo iuuante fideliter adiuuimus, & studia adolescentiæ formauimus ac reximus, qua potuit fieri diligentia ac sedulitate. In quorum utroq; plus fortassè effectũ fuisset à nobis, nisi furiosi clamores Flacij conatus nostros multipliciter impediuisent.

Nunc quod semper futurum cogitauimus & prædiximus, procedit Flaciana factio, & non solum deliberata de Adiphoris reprehendit, sed & scripta uituperat, in quibus Doctrinæ summa pio studio collecta est, & paulatim alias atq; alias explicatæ doctrinæ partes carpit & arrodit.



De Adiaphoris ita prouocamus ad iudicia omnium pios  
rum in Ecclesijs nostris, ut hac prouocatione contenti, pro  
fiteamur nihil nos amplius rixaturos esse de quibuscunq; ca  
lumnijs ad hoc certamen pertinentibus.

De doctrina quod monuimus initio, repetimus.  
Est & fuit inde usq; à tempore editæ confessionis Augu  
stanae in Ecclesijs & Scholis nostris & in scriptis omni  
bus, quæ prodierunt, summus & perpetuus de doctrina  
consensus, qui in confessione expressus est summas  
sim. Et ne uideamur ideam constituere aut fingere alia  
quam, affirmamus consentire cum Prophetis & Aposto  
cis scriptis, cum Symbolis Apostolico, Niceno, Atha  
nassiano, cum totius primæ & purioris Ecclesiæ perspicuis  
testimonijs doctrinam nostrarum Ecclesiarum, quæ expli  
cata est à Luthero fusè & sparsim in plurimis scriptis, à Phi  
lippo *μεθοδικωτερω* in confessione Augustana, Apologia,  
Locis communibus, Commentarijs Epistolæ ad Romanos;  
& repetita recens in ea confessione quæ scripta est, ut exhibe  
retur Synodo Tridentinae, si processisset, & assensione ac  
suffragijs præcipuæ partis nostrarum Ecclesiarum ostens  
dendæ confessionis causa denuo approbata est, itemq; in  
formula examinis, Locis communibus germanicis, & res  
sponsionibus ad articulos inquisitionis Bavaricæ, Quorum  
scriptorum cum alia tum uerò expressè locorum communis  
um uolumen anno proximo ante mortem suam editum, tes  
timonio publico Lutherus Ecclesiæ commendauit, ut dis  
putatione omni sublata testaretur suam sententiam cum illa  
doctrina congruere, quæ in confessione Augustana & Lo  
cis communibus comprehensa est & expressa.

In his scriptis doctrinam eandem esse, atq; inter se  
consentientem & affirmamus, & fateri oportet, uel ho  
stes ipsos quantumuis inuitos, & in hac doctrina nihil  
controuer

controuersarum, nihil certaminum uel dissensionum apud nos esse uel fuisse adseueramus, Hanc & statuimus & profitemur esse aeternam & immotam Dei ueritatem uoce Euangelij patefactam, ac perpetuum Ecclesiae Christi consensum, & hanc uera fide constanter amplectimur, & Deo iuuante retinebimus ac tuebimur contra praestigias ac corruptelas quorumcunq;, Nec mutauimus in eo quidquam, nec mutaturi sumus, Nosq; & pericula nostra Deo commendamus, cuij & placere qualescunq; conatus & labores nostros, & curae nos esse ac fore semper propter aeternum filium Iesum Christum certo confidimus. Et hunc Dominum nostrum Iesum Christum ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος & caput Ecclesiae suae nobis perpetuo affuturum non dubitamus quaecunq; acciderint, sicut dixit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Item, Ero uobiscum usq; ad consummationem saeculi.

De hac ipsa doctrina ita consentiunt nobiscum praecipuae in Germania religionis nostrae Academiae, Tubingensis, Heidelbergensis, Marpurgensis, Francofordiensis, Gripswaldensis, Rostochiensis, Haffniensis, ut ne in his quidem de ulla parte doctrinae contentiones extiterint aut dissidia. In hunc consensum inuadit Flacius petulanter cum quibusdam paucis suis manipularibus, Repetitas ex puriore doctrinae ueteris & primae Ecclesiae explanationes fundamentorum nostrae religionis, id est, doctrinae πρὸς ἁγίους manifeste abiicit, bellum inferens filio Dei. Officio Spiritus sancti, quo arguit mundum de grauissimo peccato incredulitatis in filium, & efficit in cordibus assentientium Euangelio salutarem poenitentiam, uoce & ministerio Euangelij, reuocatis cordibus à terroribus mortis & inferorum, scurriliter illudit similitudine & comparatione Psittaci, Quae de discrimine legis & Euangelij explicatae tradita sunt in scriptis nostrorum, ueteratorie discerpit ac mutilat, & confundit  
Sophista

Sophisticè. Doctrinam de libero arbitrio, de Iustificatione hominis coram Deo gratuita, de noua obedientia sequente fidem in iustificatis, cuius concessionem disertam & explicatam, extorserunt nostri aduersarijs etiam ueritatis & testimoniorum scripturae euidentia reuictis & conclusis Ratis bonae, sicut hoc publicè notum est, prorsus corrumpit, Enthusiasticis, Schuuenckfeldicis, Papisticis, Antinomicis de Lyrijs, obscuratam & penè obrutam. Qua de re legantur recens editae Responsiones ad Articulos inquisitionis Bauariae à Philippo Melanthonie. Omittimus deprauationes alias & confirmationes manifestorum idolorum, & abominandarum opinionum, quibus & in Deum contumeliosis, & perniciosis uitae ac moribus Christianis, & traditae doctrinae contrarijs confertur in Deum peccati causa, & constituuntur in Deo contradictoriae uoluntates, mentes humanae abductae à conspectu & fiducia Iesu Christi Mediatoris, & auditione, lectione, cognitione ac meditatione doctrinae, ex cuius auditu fides est, secundum Paulum, totae conuertuntur ad expectationes adflatuum, raptuum, coactionum, His imaginationibus fanaticis tandem cum evertitur certitudo totius fiduciae, qua sese mentes in promissionem uniuersalem includunt, ac in obedientia & merito solius filij Dei mediatoris perpetui firmant, tum adimitur & excutitur animis consolatio omnis, qua extincta necesse est hos ruere, aut in desperationem aut in Epicureum contemptum & prophetitatem. Sed non hoc in loco instituire enumerationem & refutationem omnium eius corruptelarum propositum est.

Quod sese ergo iste Flacius, qui se semper putre membrum nostrarum Ecclesiarum fuisse haecenus satis probauit, cum suis manipularibus ab hoc nostro consensu disiungit

iungit, id præstari à nobis non potest. Scandala fieri oportet,  
sed ueh scandalorum autoribus.

Ne moueantur igitur his impijs conatibus & clamori-  
bus Flacij & manipularium eius pij, eos monemus & obtes-  
tamur propter Dei gloriam & ipsorum salutem, sed intue-  
antur in hunc consensum, qui & in scriptis nostrorum extat,  
& est inter præcipua & plurima nostrarū Ecclesiarum mem-  
bra, Hunc consensum in scriptis quæ extant requirant, & ad  
hunc se adiungant, atq; ad illum cœtum, qui in uestigijs ijs-  
dem persistit ac perseuerat, nec cuiusuis spiritus uertigine in  
alias atq; alias opiniones subinde impelli sese patiantur. Vni-  
cum hoc est & fuit studium nostrorum inde usq; à tempore  
constituti corporis doctrinæ, ut dicerent τὰ ἀντὶ πρὸς αὐ-  
τῶν, præcisis nouis, peregrinis & periculosis disputationibus,  
& de iisdem eadem repetituri sunt, quoad uita suppeditarit,  
Deo ducente,

Lutheri de doctrina nostrarum Ecclesiarum sententiam,  
cuius nomen Apostata isti suis portentis falso prætendunt,  
non petant pij ex commentis, quæ malitiosis detorsionibus  
quarumcunq; particularum autori falso affingunt & scriptis  
ipsius falso assuunt, sed ex perpetua eius sententiâ, & ex illis  
scriptis nostrorum, quæ cum aliàs tum in præfatione primo  
suorum operum Tomo præfixa anno proximo ante mortem  
testimonio suo comprobauit, in quo iudicij & uoluntatis  
postremæ testificationem quasi testamento consignatam ex-  
tare uoluit, ne uel suspicari quis posset, de præcipuis doctri-  
næ capitibus inter ipsum & Philippū dissensionem aliquam  
fuisse, prælagiens ut opinamur, monitu Spiritus sancti, secu-  
turas suæ doctrinæ calumnias, & Sophisticas ac malitiosas  
detorsiones suarum sententiarum, in alienum et peregrinum  
sensum, ad errorū, quos ipse refutatos damnasset, confirma-  
tionem. Detestamur autem impudentiam Flacij, Galli &

similium, quod ut portenta suorum commentorum fucis quibuscumque populo uenditent, mentiri in re manifesta & toti mundo cognita non pudet, referenda esse illa Lutheri testimonia ad prima & uetera scripta, quae initio emendationis cum horridiora fuerunt omnia, ante comprehensum in confessione Augustana doctrinae corpus exierunt. Nimia haec est impudentia, quam Deum ulturum esse non dubitamus. Detestamur merito & malitiam eorum, qui ut explerent sua erga nos odia, & de manibus pia scripta excuterent, quibus quicquid habent de doctrina nostra noticiae, coguntur referre acceptum, uelint nolint, in editione Tomorum Ienensium omisis his Lutheri testimonijs alibi infarserunt uirus suum calumnijs temperatum & mendacijs. Hoc uere est Lutheri scripta corrumpere.

Sed his omisis hortamur & obtestamur pios, ut quae sit & semper fuerit doctrina nostrarum Ecclesiarum in his scriptis, quae enumerauimus, inquirant & considerent, & in illo doctrinae perpetuo inter se consensu confirmatis animis acquiescant, nec ullis sese amplius uociferationibus turbari sinant. Vincet tandem ueritas ex circumfusarum calumniarum impedimentis explicata. Nec conatus istos & ista Sycophantica artificia speret Flacius successus habitura esse diuturnos, quibus tum hinc inde particulas excerpendo & uiole nta atque improba Sophistica detorquendo in sensum prorsus contrarium perpetuae sententiae & doctrinae nostrorum, tum explicatum etiam conuellendo & inuoluendo euertere doctrinam nititur & huius assertores, ut diu quaesitum regnum sibi confirmet.

Atque ita claudimus hanc nostram expositionem, quam testificationem uolumus esse de illis, quae gesta sunt, quod sic gesta sint, & iudicium Ecclesiae permittimus, quieturi in posterum omisis istis rixis non necessarijs de calumnijs & mendacijs

mendacijs manifestis, & operas pristinas ea fide, sedulitate  
& moderatione auxilio diuino facturi, qua fecimus haec  
nus.

Oramus autem Deum aeternum Patrem Domini  
& saluatoris nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis &  
resuscitati ueris & ardentibus gemitibus, ut quod aeternus  
filius precatus est in agone Sanguinem sudans praedolorum  
magnitudine, reddat Ecclesijs nostris piam & saluta-  
rem concordiam, & semper inter nos sibi ueram Ecclesiam  
colligat, in qua lucem doctrinae suae conseruet, & quam  
sancto suo Spiritu regat ac doceat, & prohibeat conatus  
Diabolorum & malorum hominum insidiantium ueritati  
doctrinae, & molientium uastitatem atque interitum his  
miseris alueolis Scholae nostrae, sicut hos mirandis modis  
haecenus texit, defendit & seruauit contra tot tanque  
multiplices insidias & insultus, de quo immenso & inenarrabili  
ac penes stupendo beneficio toto pectore illi gratias  
agimus per Iesum Christum filium

um Dominum nostrum,

A M E N.

F I N I S.

